PORTVGALIAE MONVMENTA HISTORICA

A SAECVLO OCTAVO POST CHRISTVM VSQVE AD QVINTVMDECIMVM

IVSSV ACADEMIAE SCIENTIARVM OLISIPONENSIS

EDITA

SCRIPTORES

VOLVMEN I

FASCICVLVS I

OLISIPONE

TYPIS ACADEMICIS

MDCCCLVI

C.9/2698

PORTVGALIAE

MONVMENTA HISTORICA

PORTVGALIAE
MONVMENTA
HISTORICA

A SAECVLO OCTAVO POST CHRISTVM VSQVE AD QVINTVMDECIMVM

IVSSV ACADEMIAE SCIENTIARVM OLISIPONENSIS

EDITA

BIBLIOTHECA DAS CORTES
Duplicado

SCRIPTORES

VOLVMEN I

OLISIPONE

TYPIS ACADEMICIS

M DCCC LVI

Duplicado

BIBLIOTECA NACIONAL DE LISBOA

B. N. L.
DEPOSITO LEGAL
314654 - 3.XI.69

C.G.
2698

Scientiarum historicarum hodierno permotae splendore, magnoque in hoc, vel etiam in superiori saeculo, incremento, pleraeque Europae nationes, priscas suae quaeque gentis origines perquirendi ardore, vetusta temporum monumenta pandere, et tamquam in magna horrea ingentem colligere messem anxie, maximisque impensis enituntur. In lucem itaque prodeunt chronica, narrationes, historiae, leges, publica privataque diplomata, partim antiquitus mandata typis, partim nondum edita, tum in amplissimas collectiones, tum in singularia redacta volumina. Repertaque iam hucusque ignota documenta, in tabulariis, bibliothecis, scriniisque amissa, detersis nunc

No meio do progresso dos estudos historicos neste seculo, e ainda no antecedente, a maior parte das nações da Europa tem procurado com grandes esforços e á custa de avultadas despezas colligir em vastos repositorios os monumentos das suas epochas anteriores. Chronicas, relações, memorias, legislação, diplomas publicos e privados, tanto impressos como ineditos, tem visto a luz publica, formando collecções completas ou distribuidos em corpos separados. Estão-se desenterrando diariamente do pó das bibliothecas e dos archivos monumentos desconhecidos, que vem modificar completamente muitas opiniões historicas, corrigir outras, e confirmar definitivamente outras.

tandem saeculorum pulvere et tinea, permultas historicas narrationes, scriptorumque iudicia et opiniones aut penitus immutant, aut corrigunt, verumque ubicunque confirmant. Certis denique historica critice fundamentis suffulta, recteque vetusta facta perpendens, historiam ad veram erigit scientiam, quae hominum praesens, futurumque genus, non in sterilis sapientiae gloriam, sed in frugiferam certamque ducit doctrinam, in omnis exempli salubribus antiquitatis documentis positam.

Patrio igitur amore flagrans, aliorumque populorum, haec aemulantium studia, exemplo excitata Regia Scientiarum Olisiponensis Academia suam item patriam exoptavit antiquorum locupletare monumentorum editione, ad illarum editionum instar, quas Germania, Gallia, Anglia, Italiaque iam vulgavere, et nunc etiam vulgare satagunt. Academici ideo illi, in historiae et antiquitatum studiis praecipue versati, tantae, ut par erat, molis operi ex Academiae consulto strenue accincti sunt; operisque tam ingentis efforma-

Por este meio a critica, exercida severa e imparcialmente sobre elementos seguros, póde apreciar bem o valor dos factos, tornando-se assim exequivel reduzir a historia a uma verdadeira sciencia, que habilite o presente e o futuro para tirarem vantagem das licções do passado.

Movida por amor da patria e por uma nobre emulação, a Academia Real das Sciencias de Lisboa quiz dotar o seu paiz de uma collecção analoga ás que successivamente se tem publicado e continuam a publicar em Alemanha, em França, em Inglaterra, em Italia e em outras partes. Os membros da Secção d'Historia e Antiguidades da mesma Academia foram, como era razão, encarregados especialmente dos largos trabalhos que tão vasta empreza exigia. Approvado pela Classe das Sciencias Moraes e Politicas, e de

tio, sive methodus, peragendi, statim Classi Scientiarum Moralium, Litteraturaeque ab uno ex eius sociis ad examen proposita, postquam ibi probata fuit, similiter a regio Administro, ad quem res pertinebat, laudatis Academiae conatibus, probatur, executionique mandandam decretum fuit. Haec efformatio, seu programma, non operis tantum litterariam methodum; sed etiam rationem et ordinem, quibus monumenta illa colligenda essent, indicabat: Classis tamen haec litterariam methodum, cum utilitas aut necessitas suaderet, modificandi arbitrium servabat. Programmatis, quod super monumentorum editione Academia probavit, aliquot capita referre expedit.

I. Historiae et Antiquitatum Classis monumenta Portugaliae historica medii aevi, a saeculo VIII. ad XV. finem, iam in lucem edere properabit.

II. Collectio haec in tres magnas divisa erit Partes: — A — Monumenta res gestas narran-

Litteratura, o plano da obra, que fora offerecido por um dos seus membros, foi submettido ao Governo, que lhe deu a sua sancção, louvando o pensamento da Academia. Esse plano abrangia não só o desenho litterario da empreza, mas tambem indicações sobre o modo practico de colligir os monumentos que della deviam ser objecto. Quanto, porêm, ao primeiro ponto, a Classe reservava a faculdade de modificar o seu programma, se posteriormente se julgasse necessario ou util altera-lo. Eis os artigos delle relativos á ordem da publicação:

Art.° 1.° A Secção de Historia e Antiguidades começará sem perda de tempo a preparar a publicação dos Monumentos Historicos de Portugal durante a idade media, abrangendo o periodo decorrido desde o VIII.° seculo até o fim do XV.°

Art.° 2.° Esta collecção conterá tres grandes Divisões: — A — Monumentos Narrativos —

tia: — B — Leges, Iurisqueprudentia: — C — Diplomata, Actaque publica et privata. Monumenta haec in lucem ita edenda sunt, ut quaelibet magnarum trium Divisionum, tamquam singulare membrum consistens, integrum cum caeteris, eadem methodo, et sub eodem titulo consentiens perficiet corpus; et hoc modo cuiusvis Divisionis sive volumen, sive fasciculus typis seorsum mandari poterit, dummodo quaevis Divisio, in exponendis monumentis, saeculorum ordinem, annorumque successionem in unoquoque saeculo, quantum possibile erit, servet.

III. Prima Divisio omnes historicas narrationes comprehendet, tam magna, quam parva chronica, necrologia, sanctorum, illustriumque virorum vitas, unius, aut plurium eventuum notitias, inscriptiones denique, quibus suae aetatis res gestae dilucidentur. Huiusmodi monumentorum ad tempora ultra saeculum XII. spectantium, quae iam evulgata fuerint, quaeque aliquot vix referant huius regionis eventus, qua Portugaliae postea porrecti

B — Legislação e Jurisprudencia — C — Diplomas e Actos Publicos e Privados. A publicação será feita de modo que cada uma destas Divisões constitua um corpo sobre si, mas ligados todos por um systema e titulo commum, podendo imprimir-se um volume ou um fasciculo de cada Divisão, sem dependencia das outras. Seguir-se-ha, todavia, em cada uma dellas a ordem dos seculos a que se referir qualquer monumento, e dentro de cada seculo, quanto for possivel, a ordem chronologica.

Art.° 3.° A primeira Divisão deve abranger todo o genero de narrativas historicas, quer sejam pequenos chronicons, ou chronicas mais extensas, quer sejam obituarios, biographias, agiographias, quer relações avulsas d'um ou mais successos; quer finalmente inscripções, que por algum modo esclareçam a historia do paiz naquellas epochas. Os monumentos historicos de qualquer das especies precedentes, que se referirem a tempos anteriores ao seculo XII.°, que

sunt fines, excerpta tantum typis nunc mandanda erunt; quod pari modo faciendum erit, dum de exterorum populorum chronicis, historicisque narrationibus agatur, in quibus aliquid ad nostras res spectans narretur.

já se achem publicados pela impressão, e que só parcialmente respeitarem a successos occorridos nos territorios em que veio a constituir-se a Nação Portugueza, devem publicar-se unicamente em extracto. O mesmo systema se adoptará, quanto ás chronicas e narrativas historicas estrangeiras do seculo XII.°, e dos seguintes, que contenham noticias relativas a Portugal.

IV. Secunda Divisio tribus constabit membris:

1. Civiles leges generales, itemque generale, sive universae civitatis, consuetudinarium ius.

2. Locorum leges, consuetudinariumque ius, municipia instituentes chartas amplectens, sive *forales*, privilegia illis addita, consuetudines, decreta, privata denique municipalia statuta.

3. Leges peregrinae, iurisqueperitorum sententiae, executioni in Portugalia, quasi subsidiarium ius, mandatae.

V. Haec tertia Divisio in quatuor membra hoc subdividetur modo:

Art.° 4.° A segunda Divisão constará de tres Secções:

1.ª Leis civis geraes, e direito consuetudinario geral.

2.ª Leis locaes, e direito consuetudinario local, abrangendo as cartas constitutivas dos municipios, ou foraes, no sentido restricto desta palavra, os actos addicionaes a elles, e os costumes e *degredos* (*decreta*) ou posturas municipaes.

3.ª Leis e jurisprudencia estrangeiras adoptadas para uso interno, como direito subsidiario.

Art. 5.° A terceira Divisão subdividir-se-ha em quatro secções:

1. Publica super regni regimine acta, comitiorumque, sive magnatum populique conventuum, inquisitiones, statutaque ad commercium, reique publicae regimen spectantia; omnia praeterea documenta illa, quae hodierno nomine *statistica* appellantur.

2. Diplomata cuiusvis conventionis inter Portugaliam aliosque populos, foedera scilicet, pactiones, pontificia rescripta, bullae, pacta conventa, omnia tandem nunc *diplomatica* dicta.

3. Publica acta, regiaque diplomata, quae ad privatorum attinent negotia, sive de singulis personis, sive de personarum communitatibus agatur; de donationibus, aliisque conventionibus inter reges privatosque sibi subditos actis, iuraque data, seu ut vocant, *sententiae*, pro tribunalibus, aut a iudicibus.

4. Privata monumenta, et acta, privatorum inter se conventa, epistolae, rerumque domesticarum, et negotiorum procurandorum, memoriae, quae suae aetatis socialis vitae notitiam aliquam praebeant.

Historiae et Antiquitatum

1.ª Actos publicos pertencentes ao governo do Reino, devendo entrar nesta categoria as actas das côrtes, as inquirições, as providencias fiscaes e administrativas, e os documentos estatisticos.

2.ª Diplomas respectivos ás relações externas do paiz, abrangendo tractados, convenções, bullas e rescriptos papaes, correspondencias diplomaticas etc.

3.ª Actos publicos e diplomas regios com objecto singular, e relativos a corporações ou individuos, abrangendo doações e outros contractos entre o rei e os subditos, sentenças de tribunaes e magistrados etc.

4.ª Actos e monumentos privados, contendo contractos particulares, correspondencias epistolares, memorias puramente domesticas, registos e notas d'economia privada, que possam illustrar a historia politica e social do paiz.

Um dos membros da Secção

Classis unus ex sociis, probato hoc programmate, statim tabularia, bibliothecas, archiva, scriniaque huius regni perquirendi, omniumque monumentorum supra XIV. saeculum notitiam, cognitionemque acquirendi accepit munus: in posterum huiusce, sequentiumque saeculorum monumenta similiter prescrutari Regia Academia differens, socium illum in publico tabulario, *Torre do Tombo*, refertissimo fortasse inter Europae tabularia, opus suum persequendi occasionem adripere statuit, dum ab itineribus in provincias abstineret, tempusque iterum proficiscendi exspectaret. Indeffessa haec per duos annos perquisitio monstravit, maximum, praeterque omnium exspectationem, monumentorum per varia nostri regni loca superesse numerum: et quamvis exterorum saepe hostium, civiumque nuper nostrorum, quod miserabilius est, iterata bella, et strages experti essemus, ut non loquamur de incuria eorum, quibus haec antiquitatis monumenta custodienda tradita fuerant; varii tamen generis tam abundans numerus,

d'Historia e Archeologia foi desde logo encarregado de examinar os archivos e bibliothecas do reino e de verificar a existencia de todos os documentos e memorias anteriores ao seculo XIV.°, que ahi existissem, reservando a Academia para depois o instituir novas indagações acerca dos documentos deste e do seguinte seculo, devendo o seu commissario nos intervallos das viagens nas provincias fazer um trabalho analogo no archivo geral do reino (*Torre do Tombo*), um dos mais abundantes da Europa. Durante dous annos estes exames, conduzidos com vigor, deram em resultado saber-se, que, apesar dos estragos e perdas causadas por invasões estrangeiras, e pelas perturbações e guerras civis que tem agitado Portugal nestes ultimos tempos (sem falar no desleixo das corporações ou individuos a cuja guarda estavam confiados esses thesouros historicos), ainda existem em diversas partes do reino muitos milhares de monumentos de diversas especies nos proprios originaes, ou em copias coevas, ou finalmente em registos antigos e au-

aut autographorum, aut eiusdem aetatis apographorum, et etiam in antiquis regestis authentice descriptorum inventus est, ut supra duodecim millia dinumerentur illa tantum monumenta, quae XIV. saeculum praecedunt. Magna autem horum documentorum copia, simul et alia in publico tabulario *Torre do Tombo* iam collecta, et ordinata, non nostrae modo regionis, sed universarum Hispaniarum historiae, a saeculo IX. ad medii aevi finem, magnam rerum gestarum notitiam praebitura sunt.

Tot ergo monumentorum millibus hac velut universali recentione inventis, Classis illa academica Scientiarum Moralium, Politicarum, Litteraturaeque consilium, sive programma, operis sui, nunc tantarum divitiarum, rerumque varietate tam mirifice aucti, partim immutare necesse habuit. Divisio rerum primitiva, divisionumque partitiones maxime nunc obstabant, ne monumenta edi coepissent, quae tamen mora universae displicebat Academiae: omnia, necesse erat, nota colligere monu-

thenticos, excedendo a doze mil os anteriores ao seculo XIV.º; monumentos que, com os do Archivo da Torre do Tombo, subministram importantes materias para a historia nacional, e ainda para a do resto da Hespanha desde o IX.º seculo até o fim da idade media.

O resultado deste como recenseamento geral excedia a expectação da Classe de Sciencias Moraes, Politicas e de Litteratura, e compellia-a a fazer algumas alterações no plano da intentada obra. As multiplicadas subdivisões das materias eram um obstaculo invencivel a que se começasse a publicação com a brevidade que a Academia desejava. Seria necessario primeiro reunir todos os monumentos de cuja existencia houvesse noticia, escolher os que merecessem vêr a luz publica, e estudar attentamente cada um delles pa-

menta, quaeque publici facienda iuris seligere, horumque singula inspicere, versare, ut, secundum genus suum, unumquodque in proprium reduceretur ordinem. In nulla nihilominus magnarum divisionum quidquid in lucem prodire poterat, nisi prius inter sui ambitus fines rerum universa moles digesta esset; quamquam uniuscuiusque saeculi monumenta seorsum typis mandanda crederentur. Methodus prius statuta non parvam praebebat utilitatem, sed omnes conatus coercebat publici iam faciendi iuris aliquot monumenta, quae historicis praecipue prosunt studiis: et quidquid lucis et ordinis illa praebitura esset methodus, hoc in quocumque volumine additus rerum index, recte dispositus, ac methodicus afferre aeque poterat.

Magnarum trium divisionum limites servare statuit Academica illa Classis: — *Scriptorum* scilicet, vel *Monumentorum Historicorum*: — *Legum*, *Jurisque prudentiae*: — *Diplomatum*, *Actorumque*, sive publicorum, sive privatorum; servata tamen in unaquaque earum, quantum

ra os classificar segundo a sua natureza nas diversas Secções. Nenhuma destas, portanto, devia reputar-se prompta para a impressão, embora se fizesse independentemente e sobre si o trabalho relativo aos monumentos de cada seculo, sem que dentro desse limite se tivesse concluido a distribuição das materias. Na verdade, o methodo de classificação adoptado a principio tinha indubitaveis vantagens, mas essas vantagens eram compensadas pelo inconveniente de retardar indefinidamente o impulso que a Academia tinha a peito dar aos estudos historicos, e podiam supprir-se com a addição, no fim de cada volume, de um indice methodico redigido em harmonia com o plano primitivo.

Nestes termos a Classe de Sciencias Moraes, Politicas e de Litteratura resolveu conservar a separação das tres grandes Divisões ou corpos — de Escriptores ou Monumentos Narrativos — de Legislação e Jurisprudencia — e de Diplomas ou Actos Publicos e Privados, seguindo

possibile erit, temporum ratione. Cumque Socius ille academicus, qui per regni tabularia et archiva missus cuncta perscrutatus fuerat documenta, eorum enumerationem, catalogumque, saeculorum rationem indicans, perfecisset; facile equidem erat, ea documenta seligere, et secundum temporum indicatam seriem in lucem edere. Super Scriptorum autem distinctione Academica Classis singularem tantum divisionem instituit, duplicem monumentorum statuens seriem: prima narrationes illas amplectitur, quae ad eventus, vel ad *personas* nostrae historiae referuntur; res etsi gestae, *personae*que natae sint in hac regione ante conditum Portugaliae regnum: secunda vero excerptorum series descripta est ex scriptoribus exteris, qui aliorum populorum historias scribentes, ad nostram forte quae attinent, gesta, rerumque narrant eventus: nondum attamen Academica Classis statuit, an quaedam forsan ex his scriptis iam publici facienda sint iuris; vel eo quod edita nunquam fuerint; vel alia litteraria, historicave causa.

quanto fosse possivel em cada um delles a ordem chronologica. Como as notas tomadas pelo commissario da Academia nos diversos Archivos do reino indicavam a data dos monumentos que elle encontrára, era comparativamente facil estuda-los, escolhe-los e publica-los nessa ordem. Quanto ao corpo de escriptores, a Classe apenas estabeleceu uma distincção, subdividindo, em harmonia com ella, os respectivos monumentos em duas series separadas. E' a primeira a das narrativas, que especialmente se referem a factos ou a personagens da nossa historia, embora esses factos se hajam passado, ou essas personagens hajam nascido no territorio de Portugal em epochas anteriores á fundação do reino: é a segunda a de uma serie de extractos dos escriptores estrangeiros, que, tendo por intuito memorar successos estranhos, incidentemente relatam acontecimentos pertencentes á historia portugueza, reservando-se a Classe decidir se alguns destes escriptores devem ser publicados na integra, ou por serem ainda ineditos, ou por outra

Facilius contra in secunda divisione, vel *Monumentorum Historicorum* corpore, leges, iusque patrium antiquum amplectente, divisionum omnes partitiones servari poterunt: monumenta enim antiqua iuris, sive publici sive privati, universalis vel municipalis, quae vere monumenta medii aevi sunt, partim iam typis mandata fuere, partim in uno fere tabulario publico, *Torre do Tombo*, collecta extant; nec idcirco per provincias discurrere, tabulariaque singula ibi invisere, ut colligantur, opus est. Academica Classis, quamquam primum illud omnino programma secuta non fuerit; leges tamen illas, quae in regione hac, cum a Legionensi regno seiuncta fuit, vigebant, per partitiones, aut classes distribuere constituit; nec has tantum leges, verum etiam quae ab exordio regni sensim latae fuerunt, quaeque facillime secundum editionis ordinem distinguerentur a iure municipali publico vel privato, scripto vel consuetudinario: quodque

qualquer consideração historica ou litteraria a que seja necessario attender.

Na segunda divisão ou corpo dos *Monumentos Historicos*, destinado á legislação e direito antigo de Portugal, era menos difficultosa a conservação das subdivisões, porque os monumentos de direito publico e privado, geral ou municipal, da nossa idade media ou já se acham publicados, ou se conservam quasi exclusivamente no archivo da Torre do Tombo, não sendo por isso necessario colligi-los dos archivos provinciaes. Sem se adstringir, portanto, rigorosamente ao plano primitivo, a Classe entendeu, comtudo, que se poderia coordenar em subdivisões distinctas a legislação geral que regia o paiz na conjunctura da separação de Portugal do reino de Leão, e a que successivamente se foi promulgando desde o principio da monarchia, bem como era facil distinguir esta ultima, na ordem da publicação, do direito municipal, publico ou privado, escripto ou consuetudinario, inserindo-se onde mais conveniente parecesse, com attenção á

ad subsidiarium attinet ius, aliaque iurisprudentiae monumenta, magnae certe historicae utilitatis, ubi occasio, aut ratio suaderet, interserenda quaeque fore, Academici statuerunt.

Divisionum insuper, quas in programmate indicavimus, partitioni non parvam inferebat difficultatem tertium Collectionis corpus, quippe quod multiplicem, magnique pretii continet seriem, quam plurima scilicet monumenta, nondum vulgata, ad socialem nostrae regionis historiam scribendam praeclarissimum praebitura auxilium. Temporum equidem ordo studio certe proderat antiquarum aetatum gestarum rerum, factorumque, in quibus omnia regiminis, civilitatis, iurisque prudentiae aut incrementa, aut damna apparent: index simul ille methodicus, nuper indicatus, cuiusvis aetatis quaelibet monumenta inquirentes recte dirigebat. Obstabant autem methodo illi documentorum varia et qualitas, et copia, quae res non minus, ac temporum ordo, scriptores historicos solicitos reddere valent. Diplomatum enim antiquorum saeculo XII.

chronologia, o direito subsidiario bem como outros monumentos de jurisprudencia uteis para a nossa historia.

O terceiro corpo da Collecção constituindo a serie talvez mais importante, e de certo a mais avultada por subministrar a maior porção de monumentos ineditos e de subsidios até hoje desconhecidos para a historia social do paiz, era o que suscitava mais graves difficuldades ao systema de subdivisões que se estabelecera. A ordem puramente chronologica, pelo contrario, servia para facilitar o estudo dos factos juridicos, dos phenomenos economicos, e do estado da civilisação do paiz em cada epocha, ao passo que o indice methodico, a que já alludimos, satisfazia plenamente o intuito do leitor, que quizesse consultar tal ou tal genero de documentos. Havia, porêm, um facto a que importava attender e que modificava necessariamente o plano primitivo. Posto que ainda nos reste um grande numero de diplomas anteriores ao seculo XII.°, esse nume-

etsi non parvus nobis supersit numerus; si tamen ad illa, tum huiusce, tum sequentium saeculorum comparetur, exiguus certe habendus est.

Rerum antiquarum perquirendi causas labor et difficultas, quo temporum vetustas a nostra aetate magis per saecula recedit, eo magis, ut patet, magisque augentur. Omnia igitur monumenta priorum quatuor saeculorum illius aetatis, a qua noster hic historicus incipit labor, non satis rebus tunc gestis lucis praebent: postremis contra quatuor saeculis monumentis quae supersunt res affatim dilucidantur. Huius nihilominus aevi diplomata, numero quidem plurima, quaedam nihil historiae studio prosunt, proinde nec colligenda, vulgandave erunt.

Quibus perpensis rebus, Academici duplicem constituerunt diplomatum seriem. Primam illorum post annum 700 et ante 1100; secundam eorum sequentia complexantium saecula ad XV. Illa omnia omnino ab VIII. usque ad XI. saeculum monumenta a nobis reperta accipiet, quae ad hanc regionem

ro é mui limitado se o compararmos ao dos que se verificou existirem pertencentes a esse e aos subsequentes seculos.

Como é vulgarmente sabido, a difficuldade de resolver os problemas historicos augmenta á medida que as gerações extinctas se vão affastando de nós nos horizontes do passado. Assim, para illustrar os quatro primeiros seculos do periodo que alcançam os trabalhos da Academia, todos os monumentos respectivos a elles se podem reputar insufficientes. Não succede o mesmo em relação aos quatro ultimos. Entre o avultado numero de diplomas desse periodo ha muitos inuteis para o progresso da historia, e que por isso não devem entrar na presente collecção.

Estas considerações moveram a Classe de Sciencias Moraes, Politicas e de Litteratura a ordenar a divisão do corpo dos diplomas em duas series, uma dos documentos posteriores ao anno de 700 e anteriores ao de 1100, outra dos que pertencem aos seculos subsequentes até o fim do XV.°. Na primeira serão im-

portucalensem, vel ad eius historiam adhuc Legionensi regno sociatae, quaevis modo referantur: secunda vero reliqua, sed, ut par est, selecta. Haec praeterea series regestis, aut tabulis, exterorum illustrabuntur diplomatum, quibus nostra utcumque illucescere historia poterit.

pressos sem excepção todos os documentos que se encontrarem do seculo VIII.° ao XI.° relativos ao territorio de Portugal e á historia desta parte da Peninsula antes de separada de Leão: na segunda os dos tempos posteriores, mas com a devida selecção. Estas duas series serão seguidas de um regesto daquelles diplomas estrangeiros, que por algum modo possam servir para illustrar a historia patria.

Satis ita animadversum relinquimus, quiquid Regia Academia in primitus probata methodo super colligendis, edendisque monumentis, innovare vel mutare, ubi rei executionem suscepit, quibusque de causis statuit: quod autem in unius vel alterius monumenti collocatione a programmate illo paululum discessum videri poterit, in annotationibus, ubi opus fuerit, adiiciendis aeque monebimus.

Taes são as alterações mais importantes, que, na occasião de realisar os seus designios pelo que respeita á publicação dos nossos monumentos historicos, a Academia Real entendeu deverem-se fazer no plano primitivo. Outras de menos monta, relativas á classificação de tal ou tal monumento serão mais opportunamente notadas nas observações que tiverem de acompanhar a publicação desse mesmo monumento.

Cum in hac collectione monumenta antiqua, tum barbarolatino sermone, tum vulgari nostro varie scripta, comprehensuri simus; prologos, annotationesque ad eorum quodque

Devendo esta obra encerrar escriptos redigidos em latim, embora mais ou menos barbaro, e outros em lingua vulgar, entendeu-se que as advertencias preliminares e notas, que de-

sua cuiusque lingua scribi placuit: si vero non ad unum, vel alterum, sed ad plura monumenta, alia alio scripta sermone, aliquid annotandum erit, maximae eorum partis sermo, ad omnia simul, adhibendus erit.

Cum colligenda nobis hîc sint non pauca iam edita monumenta, narrationes videlicet, leges, et diplomata; de eorum editione nostrum hoc modo consilium propositum sequemur: In monumentis edendis, quorum nec autographa, nec authentice descripta apographa antiquiora, correctioraque prae illis, ad quae editiones hae effictae fuerunt, eorum textus, integraque, ut vocant, lectio magna adeo servabitur cura, ut ne parvam quidem formulam orthographiae, quamvis ab usitata in codicibus, diplomatibusque medii aevi saepe

vem acompanhar esses diversos escriptos, fossem publicadas no mesmo idioma do monumento, as relativas a memorias, leis e diplomas latino-barbaros na lingua latina, e os relativos aos monumentos vulgares na lingua vulgar. Determinou-se tambem que qualquer trabalho litterario, que se houvesse de inserir na Collecção, e que dissesse respeito, não a um, mas a diversos monumentos escriptos uns em latim outros em vulgar, fosse escripto no idioma que predominasse entre elles.

E' evidente que cumpria incluir neste vasto repositorio muitas memorias, leis, e diplomas já anteriormente publicados. Naquelles de que não existem originaes, ou pelo menos apographos mais antigos ou mais authenticos do que os que serviram de texto ás edições anteriores, adoptou-se como regra seguir escrupulosamente a leitura dessas edições, até na orthographia, que não raro desdiz da dos codices e diplomas da idade media. Quando, porêm, restam copias manuscriptas igualmente antigas e auctorizadas entendeu-se conve-

differat, immutare audebimus. Si quae vero apographa authentica, et antiqua MSS. adhuc extant, haec potius sequi, et varias editionum lectiones, modo ut ex manifesta negligentia, vel errore irrepserint, indicare placuit. Si MS., tam autographum, quam apographum, nobis invenire contigerit, quod editioni anteriori textum ministravit, hoc ad nostrae editionis textum potissime eligendum erit. Si forte authentica MSS. graviter ab illis, quae aeque authentica anteriori editioni suppeditaverunt textum, dissenserint; amborum simul, alium iuxta alium, textum typis mandabimus, ut legentes meliorem eligant.

In monumentis illis, quae nondum vulgata fuerint, edendis, autographum, et, si hoc defuerit, apographa correctiora describere in animo est; simulque aliud iuxta aliud, si inter se apographa haec minime conveniant, ad verbum descripta edere curabimus; quin etiam orthographiae genus, etsi saepissime turpiter barbarum, corrigere abstineamus; huius enim operis scopus est legentes, an-

niente segui-las e indicar as variantes dos textos impressos, se essas variantes não são claramente absurdas ou erroneas. Existindo o MS. ou original ou apographo, que serviu de texto á edição anterior, adoptar-se-ha exclusiva e invariavelmente o primitivo texto. Finalmente, quando os MSS. authenticos diversificarem profundamente dos outros MSS. de igual peso, que serviram á edição anterior, collocar-se-hão os dous textos em frente um do outro para o leitor poder preferir o que lhe parecer mais seguro.

Na publicação dos ineditos o systema adoptado foi seguir o original, ou, na falta deste, os melhores apographos, imprimindo-os tambem em frente uns dos outros quando as differenças entre elles fossem demasiado profundas, e reproduzindo fielmente a leitura dos MSS. sem lhes alterar sequer a orthographia, (ás vezes excessivamente barbara) não só porque o objecto de uma obra

tiquarum rerum studiosos, ad ipsa monumenta, tamquam ad historiae fontes, ducere; et praeterea haec ipsa litteraturae barbaries, vetustatis velut index, MSS. suam aliquoties aetatem assignat.

In altera tamen orthographiae parte, quae *stygmeologia* vocatur, et de signis, interpunctionibusque scripturae agit, paululum ab hac fidelitatis sollicitudine temperare necesse fuit. Academica quippe Classis Scientiarum Moralium, Politicarum, et Litteraturae, exemplum illustrissimorum scriptorum, Mabillonii nimirum, Acheryi, Baluzii, Muratorii, et Pertzii, praeter alios antiquorum monumentorum eximios collectores, imitari non dubitavit. Scriptores equidem, qui Diplomatici nunc vocantur, magnam conqueruntur scripturae confusionem, variatamque formam in codicibus, praecipueque in diplomatibus, medii aevi, saeculorum praesertim XII., et XIII. usque etiam ad XIV., quo tempore omnia fere orthographica

como a presente é facilitar do modo possivel aos estudiosos o accesso quasi immediato das fontes historicas, mas tambem porque a barbaria orthographica serve para se conjecturar, á falta de outros elementos, a data do MS.

No que a Classe de Sciencias Moraes e Politicas e de Litteratura entendeu dever affrouxar algum tanto da severidade desta doutrina foi na stygmeologia ou pontuação. E' o exemplo que lhe deixaram os mais eruditos collectores, taes como Mabillon, Achery, Baluzio, Muratori, Pertz. Os auctores diplomaticos tem ponderado a completa anarchia que a tal respeito reina nos codices e ainda mais nos diplomas da idade media, sobretudo durante os seculos XII.º e XIII.º, e ainda no XIV.º em que a pontuação chegou quasi a ser abandonada nos codices. Mas em nenhuma parte a incerteza e até a ausencia dos signaes stygmeologicos foi mais commum do que em Portugal, e por isso tanto maior perigo havia de se transtornar a interpretação legitima de qualquer passagem, sujeitando uni-

signa, incisaque omnino oblita fuere: nullibi tamen in hac re maior, quam in Portugalia, aut confusio, aut despectrix negligentia supervagata fuit: augebatur idcirco nobis omnia pariter corrigendi difficultas, et timor, ne aliquid contra veram scriptorum sententiam, verborumque interpretationem, novis adiectis interpunctionibus, immutaretur: hoc igitur placuit consilium: incisa, et stigmata orthographica tantum restituere, aut ubi eorum aliqua remanebant vestigia; aut verborum apertus sensus, sententiarumque interpretatio manifesta suadet, caetera vero omnia, in quibus nec vestigium incisorum, nec sententiarum ita manifestatur sensus, ut dubitandi occasionem omnino tollat, summa descripsimus fidelitate, legentibusque, qui optimus cuique videbitur, verborum sensum adipiscendi integrum intactumque relinquimus ius.

Haec animadvertenda super tam ingentis, tantaeque molis, operis natura, et exequendi arte; monendaque in hoc primae Divisionis volumine primo putavimus, dum magnis certe au-

formemente os textos á pontuação regular. Adoptou-se um arbitrio medio, pontuando-se unicamente as palavras em que se encontram signaes stygmeologicos, ou é claro o sentido da phrase; onde, porêm, os signaes faltam e o sentido é duvidoso, conservar-se-ha a falta da pontuação, deixando á ingenuidade do leitor a adopção da intelligencia que lhe parecer mais acertada.

Taes são as advertencias geraes que cumpria fazer sobre a indole e sobre a execução de uma empreza litteraria de tanta magnitude como é a Collecção dos Monumentos Histori-

sibus universa colligere aggressi sumus Portugaliae Monumenta Historica.

cos de Portugal, e que por isso se entendeu deverem collocar-se á frente deste primeiro volume da primeira Divisão.

Lisboa, Dezembro de 1855.

O Vice-Presidente da Academia e Presidente da Segunda Classe

A. Herculano.

O Vice-Secretario da Academia e da Segunda Classe

J. da S. Mendes Leal.

Hoc primum seriei Scriptorum volumen, secundum quod iam monitum fuit, super methodo et programmate huius magnae collectionis, quam Regia Academia aggressa est, comprehendit chronica, rerum gestarum memorias, et narrationes, quae ad Portugaliae regni historiam in primordiorum suorum aetate referuntur. Praeter ea, quae circa hanc seriem in generali prologo animadvertenda putavimus; quaedam hîc breviter super historicorum Scriptorum collectione, monumentorumque in hoc volumine describendorum ordine et distributione addere iuvat.

Methodus, quam sequi postremo placuit, temporum scilicet successioni paululum rerum, eventuumque genus et connectionem submittendi in edendis monumentis, huic certe eorum classi aliter, quam illi legum, consuetudinum, diplomatum, actorumque applicanda erat. Leges etenim, et diplomata nunquam fere ad aliam, praeter illam, in qua promulgantur, aetatem referuntur. Leges secundum necessitatem, et in presentia rerum decernuntur: publica item decreta, privataque conventa mutuum ius inter illius aetatis personas statuunt: unde inter caetera solemnia temporis etiam ordinem prae se ferunt. Duplex vero in chronicis, memoriis, narrationibusque rerum computandum est tempus: in qua nempe aetate monumenta

haec scripta fuere; et ad quam narratas ibi res referre oporteat: saepe etiam difficilimum est monumentorum aetatem aperire, quamvis in illa suum cuiusque situm sit pretium, et historica auctoritas. In tanta tamen rei difficultate editores indicia aliqua perquirere, et ministrare legentibus tenentur, quibus indicibus aliquod iudicium, aut coniecturam latentis, vel dubiae monumentorum aetatis capere possint: suum praeterea arbitrium et ius litem dirimendi servabit historica critice. Rerum autem gestarum, quas referunt monumenta, aetas facilius ex ipsa eventuum narratione et memoria dignoscitur. Haec ita temporum ratio licet servanda sit; non ideo tamen hoc semper facile est ex varia aetatum, rerumque, ad quas monumenta referuntur, prolixitate, connexione, nimiumque implicata multitudine.

In hac monumentorum serie, vel corpore, etsi non temporum, in quibus quaequae eorum scripta fuerunt; sed illorum, in quibus rerum contigit eventus, ratio generaliter habenda sit; non omnino tamen monumentorum ipsorum aetas contemnenda erit: antiquioribus ideo recentiora, intra eiusdem saeculorum periodi limites, succedent: nec alia praeterquam medii aevi scripta, non infra saeculi XV. finem colligenda hîc erunt; in hoc enim saeculo haec desinit epocha, vel aetas, quam Regia Academia labori huic nostro primam circunscripsit.

Inter tot, tamque varia rerum monumenta in hoc volumine descripta, et collecta, vetustissimarum nempe aetatum, aut ad ipsas relata chronica, memorias, sanctorum, illustriumque virorum vitas, edificationum monasteriorum, eventuumque singulares narrationes, *obituaria*, nobilitatis catalogos, vel *nobiliaria*, praeter alia eiusdem generis scripta, non tamen laborem et sollicitudinem remisimus, omnia haec monumenta, quantum possibile nobis fuit, ordinate, et secundum genus suum colligendi, et disponendi, servata nihilominus methodo ab Academia probata: quod equidem consilium executioni mandari nequiret, nisi certiores essemus, nulla alia praeter illa a nobis inventa, versata,

et in hanc collectionem describenda ordinata, superesse per tabularia et bibliothecas huius regni monumenta, ad suorum primordiorum historiam spectantia.

Placuisse consilium, postremo monebimus, in aliud speciale volumen monumentarias colligendi Inscriptiones, tum iam vulgatas, tum ineditas, quae Portugaliae historiae a saeculo VIII. ad XV. interesse possunt. Ad eas colligendas non modo scripta sat est versare; sed totius regni provincias transcurrere, et invisere; templorum, vel ecclesiarum, arcium, castellorum, antiquarumque aedium parietes, lapidesque inspicere, sepulchra legere, et perquirere cippos, ac tandem ad inventas ibi Inscriptiones iam editas illas et descriptas comparare, nondumque vulgatas accurate describere. In tam longum, tantique laboris opus Regia Academia incumbens, novam strenue ingredietur viam: utinamque nobilis haec sua cura, et sollicitudo prosperos tanti operis orsis successus secundent. Harum Inscriptionum historicarum volumen, quamvis speciale, et a caeteris tanquam divisum, Scriptorum tamen seriem perfecturus erit.

CHRONICON CONIMBRICENSE.

PARS I.

Autographum MS., *cui* Chronicon Conimbricense *titulus*, *cuiusque vetustas a saeculo XII.*, *vel ab initio XIII. deducenda, in Sanctae Crucis monasterio Conimbricae ab illo temporis aevo varie repositum ad nos pervenit: quos tamen casus evaserit, referre iuvat. Psalmorum et precum cuidam libro, quo monachi ad recitandam illam* Canonicarum Horarum *partem, quae* Nona *dicitur, utebantur, temere, ut credere fas est, compaginatum in eiusdem monasterii sacro apodyterio, quod nunc sacristia vocatur, per aliquot saecula permansit; unde vulgare nomen libri* sacristiae, *vulgarius etiam libri* Nonae *a saeculo XVI. accepit; et quod, quibus constat, capita, vel versiculi frequenter a verbo* aera *incipiunt, liber* aerarum *aliquoties est appellatus. Ipsi postea monachi anno* 1600 *ab illo psalmorum, cui alligatum diximus, libro Chronicon hoc iam dissutum ita caute condiderunt, ut, oblito loco, in quo custoditum, aut absconditum fuerat, nec reperto codice, perditum posteri crediderint. Anno tandem* 1623 *chronographus D. Josephus a Christo in percelebri Sanctae Crucis Sanctuario abditum invenit* *: *hoc itaque modo inventum, et in illius monasterii tabulario, ut par erat, reconditum ad extinctionem usque ordinum* regularium, *ut vocant, et monachalium servatum fuit; unde sua descripserunt apographa, quae superiori saeculo publici fecerunt iuris, Souza, et Flores. Postremo vero iterum anno* 1833 *amissum, vel a tabulario illo amotum, viginti post annos quam surreptum fuerat, penes privatum quemdam inventum, et recuperatum, Regia Academia servandum accepit.*

Chronicon hoc viginti sex membraneis paginis eadem nec manu, nec aetate scriptis volumen ea magnitudine, quam in folio parvo *vocant, conficit: primae harum quatuor paginae saeculi XII. iam labentis, vel ineuntis XIII. manifesta ex membranarum colore, litterarumque tinctura, forma, et nitore, indicia praebent: sequentes autem ad vigesimam secundam litteris aequalibus, eadem forte manu, scriptae, valde prae illis primis recentiores sunt; res enim sub Petro I. rege gestas referunt: caeterae denique, quae supersunt, litteris modo sensim, modo cursim exaratis, saeculum XV. usque attingunt, quippe quae rerum eventus regnantibus et Ferdinando, et Joanne I., perhibent.*

Chronicon Conimbricense, si universaliter consideretur, variarum, ac dispersarum rerum chronicorum, quae a monumentis, vel traditione, vel etiam scriptorum eas res colligentium fide memoriae mandata sunt, collectio potius, vel compages credendum est: in cuius tamen non solum prima parte, quam antiquius scriptam diximus, sed etiam in illa saeculo XIV. collecta, nec fragmenta, quae promiscue complectitur, nec articuli, vel versiculi invicem dividuntur. Flores ita hoc Chronicon in quinque partes, quas singulis fragmentis respondere arbitratus est, in sua editione divisit **: *aliud nobis nihilominus consilium placuit; dividendi scilicet in duas tantum par-*

* *D. Joseph. a Christo Chronicorum Sanctae Crucis Part. I. Catalog. Auctor. MS. Biblioth. Public. Portucal. cod.* 99.
** *Hispaniae Sacrae Tom.* 23. *Append. VII.*

tes: quae nimirum latino-barbaro, et quae vernaculo scripta sermone inveniuntur: nec sermonis tantum, sed temporum potius, et rerum ratio hoc nobis suadet; quae enim res vernaculo narrantur sermone, ad saeculum XIV. et XV. referuntur. Nunc ergo iam typis primam codicis huius partem mandare; secundam vero in suum conveniens reservare tempus, dum illorum saeculorum res a suis depromere monumentis expediat, nostra profecto interest.

Operae praeterea pretium facturos credimus, si in his, quae in lucem prodire facimus, rationem, quam ipse Flores in animo habuisse, nec satis fuisse assecutum videtur, aut correcturi, aut perfecturi, diversa secundum origines suas fragmenta indicaverimus. Annotationes item, quae in Hispania Sacra *Chronicon hoc sequuntur, illas tantummodo proferemus, quae ad autographi menda revera corrigenda, non autem, quae ad supposititia, quae in apographum, quo Flores utebatur, irrepserant, appositae sunt: alias denique, quas huic editioni utilitati fore iudicamus, adiiciemus.*

1.

In era CCC.ªX.ªVIIII.ª Egressi sunt goti de terra sua.

Era CCC.ªLXL.ªVI.ª Ingressi in spaniam et dominati sunt eam annis CCC.ªLXXX.ªIII.

Et de terra sua peruenerunt in spaniam per annos decem septem.

Antequam domnus pelagius regnaret, sarraceni regnauerunt in spaniam annis V.º

Domnus pelagius regnauit annos X.^{m}VIIII.^{em}

In era M.ªXX.ªV.ª accepit almanzur colimbriam IIII.^{to} Kalendas iulii.

In era M.ªXX.ªVIII.ª [1] Accepit almanzur montem maiorem.

In era M.LXL.ªV.ª Fuit presa civitas lamecos III.º Kalendas december, In die sancti saturnini per manus fernandi regis.

In era M.ªLXL.ªVI.ª [2] presa fuit civitas uiseu, VIII.^{to} Kalendas augusti, In die sancti cucufati, per manus fernandi regis.

In era M.ªC.ªII.ª presa fuit ciuitas colimbria, VIIII.^{em} Kalendas augusti, die feria VI.ª per manus fernandi regis.

In era M.ªC.ªXX.ªII.ª presa fuit ciuitas toledo mense iulio [3] a rege ildefonso filio fernandi regis.

In era M.ªC.ªXX.ªV.ª mense october, in loco qui dicitur sagralias lis magna fuit inter christicolas et paganos, supradicto rege ildefonso preside, et ex parte paganorum Rege iucifi.

In era M.ªC.ªXXX.ªI.ª presa fuit sancta herene. Et intrauit in eam rex ildefonsus VI.º nonas Maii feria II.ª ora III.ª

In era M.ªC.ªXL.ªVIIII.ª presa fuit civitas sancta herene a rege cir VIII.^{to} Kalendas iunii.

In era M.ªC.ªL.ªIIII.ª nonas iulii fuit introitus in castello sancte eolalie de gentibus sarracenorum, feria III.ª [4] ora VIIII.ª

In era M.ªC.ªL.ªV.ª obsedit rex ali colimbriam X.º Kalendas iulii, et fuit ibi per tres ebdomadas.

In era M.ªC.ªXL.ªVII.ª Transmigratus est rex ildefonsus legionensis.

In era M.ªC.ªLX.ª fuit annus malus.

In era M.ªC.ªLXX.ªVII.ª Mense iulii, die sancti iacobi, in loco qui dicitur ouric, lis magna fuit inter christianos et mauros, preside rege ildefonso portugalensi, et ex parte paganorum rege esmare qui uictus fugam peciit.

In era M.ªC.ªLXXX.ªV.ª presa fuit ciuitas sancta herene per manus ildefonsi portugalensis regis.

In era M.ªC.ªLXXX.ªV.ª presa fuit ciuitas olixbona per manus ildefonsi portugalensi regis mense october. [5] Et sintriam, Et almadana, Et palmela in eodem mense.

In era M.ªC.ªLXL.ªV. Obiit imperator ispanie mense septembe̅r.

In era M.ªC.ªLXL.ªV.ª [6] Obiit domna mahalda portugalensis regina.

In era M.ªC.ªLXL.ªVI.ª presa fuit alcazar per manus ildefonsi portugalensi regis.

In era M.ªCC.ª dedit dominus ciuitatem begiam ad regem ildefonsum.

In era M.ªCC.ªIIII.ª dedit dominus ciuitatem elbore, et mauram, et serpam ad regem ildefonsum.

In era M.ªC.ªLXL.ªII.ª natus est rex santius.

In era M.ªCC.ªVI.ª quinto nonas maii intrauit alcaide giraldus badalouzi.

2.

Era DCCCC.ªIIII.ª Ildefonsus ordonii filius cepit colimbriam . . . . bracaram et portugalem, uiseum, lamecum, egitania, et regnavit annis X.^{em}VIII.^{to}.

3.

Era M.ªC.ªLX.ªV.ª Obiit gonsaluus episcopus colimbriensis.

Era M.ªC.ªXXX.ªVI.ª Obiit cresconius colimbriensis episcopus.

Era M.ªC.ªLXXX.ªIII.ª Obiit bernaldus colimbriensis episcopus.

Era M.ªC.ªLXL.ªVIIII.ª Obiit domnus iohanes colimbriensis episcopus.

Era M.ªCC.ªXX.ª Obiit domnus uermudus colimbriensis episcopus.

4.

Era M.C.ªXL.ªVII.ª Natus est rex alfonsus filius regine Tarasie et comitis anriqui.

5.

Era XXX.ªVIII.ª Natus fuit dominus noster iezus christus.

Era LX.ªVIII.ª Decollatus fuit sanctus iohanes.

Era LX.ªI.ª Sanctus iacobus apostolus.

Era C.ªVIII.ª Sanctus petrus apostolus

Era CC.ªLXL.ª VIII.ª Sanctus ciprianus.

Era CCC.ªXX.ªVIII.ª Sanctus iulianus et basillisse.

Era CCCC.ªXL.ªVII.ª Sanctus Martinus.

Ab adam usque ad diluuium II.CC.XLII.º anni.

Ab diluuio usque ad abraham DCCCC.XLII. anni.

Ab abraham usque ad exitum filiorum israel ex exipto quingenti quinque.

---

[1] *Infra scriptum* Era 1038. Flores.

[2] *Lameci et Visæi urbes* in æra M.ªLX.ªV.ª *captas fuisse, errore certè infra traditur.*

[3] *Lege* Maii. Flores.

[4] *Feria, non* III., *sed* VI. *ex lit. Dom.* A. Flores.

[5] *Scilicet die* 24 *Feria* VI. *ex* Lusit. Flores.

[6] VI. *legendum. Ex* Chron. Lusit. *die nempe* 3 Decembr. Feria 4. Flores.

Ab egressu filiorum israel ex egipto usque ad dauid anni quadringenti XL.ªV.

Ab dauid usque transmigrationem CCCC.LXXX.III. anni.

Transmigratione babilonis usque ad natiuitatem christi D.XX.VI. anni.

Colliguntur omnes anni ab adam usque christum quinque milia, centum nonaginta nouem.

XI. Kalendarum februarii, passio sancti uincenti. Era CCC.ªX.ªVI.ª

6.

In era M.ªCC.ªXX.ªII.ª Mense iunii uigilia sancti iohanis babtiste imperator sarracenorum nomine aboiac uenit cum exercitibus suis et obsedit scalabi castrum et uastauit totam extrematuram, et fuit ibi per quinque septimanas.

VIII. idus december Obiit rex ildefonsus portugalensis. Era M.ªCC.ªXX.ªIII.ª

Quinto idus december Ingressus est Rex santius colimbriam in die sancte leocadie, cepitque regnare in loco patris sui, In era M.ªCC.ªXX.ªIII.ª

In era M.ªCC.ªXX.ªVII.ª tercio nonas septembris cepit rex santius silui.

Era M.ªCC.ªVI.ª [1] factum est infortunium regis alfonsi et exercitus eius in ciuitate badalioz.

Era M.ªCC.ªVIII.ª mense agusto in die dormicionis sancte marie armatus est rex sancius a patre suo apud colimbriam.

Era M.ªCC.ªVIIII.ª Mense februario [2] hora tercia in die ascensionis domini natus est rex alfonsus filius regis fernandi et domne orace regine.

Era M.ªCC.ªXVI.ª Sancius rex cum exercitu suo perrexit hispaniam intrauit tirianam.

Era M.ªCC.ªXX.ª Nata est filia regis sancii et regine domne dulcie domna costancia mense Maio.

Era M.ªCC.ªXXIIII.ª Natus est rex alfonsus filius regis sancii et regine domne dulcie, in die sancti georgii.

Era M.ªCC.ªXX.ªV.ª Natus est Rex domnus petrus filius regis sancii et regine domne dulcie X.º Kalendas aprilis.

Era M.ªCC.ªXX.ªVI.ª Natus est Rex fernandus filius regis sancii et regine domne dulcie, VIIII. Kalendas aprilis.

In Era M.ªCC.ªXXXIIII Rex aragonensis uenit usque ad colimbriam ad mittendam pacem inter christianos in mense februario.

VIII.º idus februarii mortuus fuit magister domnus loppus in ciuitate roderico, Era M.ªCC.ªXXX.ªVI.ª Eodem die mortuus fuit nunus fafiz cum eo.

In Era M.CC.ªX.ª [3] facta fuit magna fames per uniuersum mundum qualis non fuit ab initio mundi, et fuit magnus pluritus super omes homines, et mors uehemens in toto orbe terrarum, tam in hominibus quam in iumentis.

In Era M.ªCC.ªX.ªV.ªVIII.º Kalendas Martii Obiit Magister domnus alfonsus hospitalis de ierusalem.

In Era M.ªCC.ªXXX.ªIII.ªXIIII.º Kalendas augusti, lis magna fuit inter christianos et sarracenos in loco qui dicitur alercos presente amiramolim ex parte sarracenorum, et ex parte christianorum rege domno alfonso castelle qui uictus fugam peciit. In quo prelio interfecti fuerunt tres episcopi, uidelicet abilensis, Sogobiensis, et Seguntinus, et magister Gon uenegas, et rodericus sancii.

Era M.ªC.ªLXIII.ª facta fuit lis magna inter christianos et sarracenos in loco qui dicitur cereigio.

Era M.ªCC.ªL.ª Sciant omnes fideles christi quoniam dey gracia perrexerunt Reges contra sarracenos scilicet, Rex a. castellanus, et Rex de aragone, et Nauarrensis et Magistrum Gomercium Ramiriz cum fratribus templi et cum multis gentibus de aliis partibus, et ceperunt unum castellum Magalom et Calatraua, et Benauente, et alarcos, et Caracoi, Petra bonam, et ferrum castellum de porto muradalis, et Tolosa, et Bamo et pugnauerunt cum sarracenis in nauas de Tholosa passante portu muradalis, et fuerunt mauri uicti deo placente et fuit hoc feria II.ª XVI.º kalendas iulii in uespera Juste et rufine, et iuerunt post illos magtante quousque unum castellum quod uocatur bilchi, et ceperunt illud, et ceperunt vbeda que erat maxima uilla, Ad VIII.to dies quod bellum fuit, Et obiit ibi Magister domnus Gomecius ramiriz in die sancti Jacobi, et ceperunt ueenciam.

Era M.CC.ªXX.ªVIII.ª dedit dominus villam que uocatur Merida Domno alfonso Regi legionensi per manum infantis domni petri fili Regis domni Sancii primi portugalis et Regine domne dulcie. Ipso die fuit elues et surmenia de christiani, Et ad festum sancti spiritus redita fuit badaloz Rex alfonsus legionensis.

Era M.ªIII.ºXXVIII.ª pridie Kalendas Julii rebelatum fuit interditum in regno Portugalensi su domno papa Nicolao regnante domno Rege dionisio in predicto regno, presidente in ecclesia Colimbriensi Episcopo domno haimerico et priore Monasterio sancte crucis Domno durando Plangii et Priorem laurenço petri in ecclesia Leyrenensi, et predicta releuatum interditi per domnum Johanem de sulhaães canonicum colimbriensem.

In era millesima CC.ªLXX.ªIII.ª presa fuit corduba a Rege castelle et legionem siue domno fernando, In die commemorationis Sancti pauli.

In era M.ªCC.ªLXXX.ªVII.ª Presa fuit Ispalis A Rege castelle et legionensium, Domno fernando, In die petri episcopi et martiris.

III.º nonas Junii In eadem die qua christus passus fuit, scilicet, feria VI.ª et in eadem hora qua tenebre facte fuerunt per uniuersum mundum in passione domini, scilicet, a VI.ª usque nonam sub enim Era M.ªCC.ªXXX.ªVII.ª facta fuerunt signa qualia numquam fuerunt a passione domini usque ad supradictam eram, fuit enim inter VI.ª et VIIII.ª uere nox, et sol factus fuit nigrior pice et luna ac plura sidera in celo aparuerunt: deinde recedente nocte illa tenebre subsecute fuerunt, quibus recedentibus et recuperante sole uim claritatis sue congregata in ecclesia sante crucis colimbrie maxima multitudine hominum et mulierum tam secularium quam religiosorum, cum omnes unanimiter pre nimio timore non aliud quam mortem subitam expectantes clamarent et ulularent ac diuinum subsidium implorarent, quibusdam ex fratribus te deum laudamus et letaniam cum difficultate maxima canentibus et diuinam exorantibus pietatem semiuiuis et stupefactis aliis omnibus incunctibus ac inde amirantibus uniuersis in choro sancte crucis colimbrie VII.em signa lunarum apparuerunt quartarum existensium uel quintarum que signa ibi ante neque postea sunt inspecta: huiusmodi autem lunarum signa per totam colimbrie ciuitatem apparuisse multis extitit manifestum ubicunque solis radii per foramen aliquod sub intrabant.

7.

Era CCC.ªX.ªVIIII.ª Egressi sunt gothi de terra sua.

Era CCC.ªLX.ªVI.ª Ingressi sunt hispaniam et dominati sunt hispaniam annis CCC.tis houtogesima III.ª Et super annos XVII peruenerunt in hispaniam de terra sua.

Era DC.ªL.ªVI.ª Sarraceni siriam arabiam et mesopotamiam furtim magis quam uirtute mahumeth eorum ductorum rebellia adhortante sibi uindicant atque apud damascum splendidissimam sirie urbem concendunt in regno expleto mahumeth X.º anno.

Era DCC.ªXL.ªVIII.e Expulsi sunt Gothi de hyspania.

Era DCC.ªL.ª Sarraceni obtinuerunt hispaniam: antequam domnus plagius regnaret, sarraceni regnauerunt in hispaniam annis V.e

Plagius regnauit annis XVIIII.

fafilam Regnauit annis duobus menses VI.

Adefonsus regnauit annis XªVIII.ª et mense une, et uno die.

froila regnauit annis XI et menses V.e diebus XX.

[1] *Præponi ista debebant superioribus.* Flores. *Litterarum differentia ultimam ad antecedentium numerum recentiori tempore adiectam arguit.*

[2] *Chron. Lusit.* Mense Augusto. *Tunc autem* Assumptio Dominæ, *non* Domini Ascensio *celebratur.* Flores.

[3] *Iterum corrupta Chronologia, præpostero numerorum ordine.* Flores.

aurelius regnauit annis VI, et menses VI.

Silo regnauit annis VIIII et mense I.° et die I.°

Maurgatus regnauit annis quinque et menses VI. Qui omnes anni fuerint LXXX.ªI.°

Post positus est in regno domnus adefonsus XVIII. Kalendas octobris su Era DCCC.ªXXVIII.ª

Era M.XXV.ª Cepe almancor iben namer colimbriam sicut quidam dicunt, fuit derelicta annis VII, postea ceperunt edificare illam ismahelite et habitauerunt in illam annis LXX.ª

ElRey dom alfonso o primeyro filho do conde dom anrrique E da Rayna dona tareyia porque em espanha non podia achar casamento que non fossem tanto sas parentas chegadas que non podia casar con ellas sen despensaçom do papa oue a casar com dona mafalda filha do conde dom Manrrique de lara e Senhor de mulina Irmão do conde don nuno o que liurou os filhos dalgo do peito En burgos. [1]

Deinde cepit illa rex donus fernandus VIII. Kalendas augusti Era M.ªC.'II.ª

Era M.ªXXXIII.III.ª (*sic*) sepe almancor castellum aquilar quod est in ripa de sausa prouincia portucalensi.

Era M.ªXXX.VIII. Cepit almancor montem maiorem. IIII.° nonas dezembris.

Era M.ªLXX.ªI.ª III Kalendas Julii osculatus est sol et cotremuit terra.

Era M.ªLXX.ªII.ª Cepit gonsaluus trastimiriz montem maiorem Ideo Nouembris.

Era M.ªLXX.ªII.ª Occisus fuit comes menendus in ripa guetanie. VIIII.ª kalendas ianuarias.

Era M.ªLXX.ªVI.ª Occisus fuit gonsaluus trastamiriz in auenoso, Kalendas Septembris.

Era M.ªLXXX.ªIII.ª [2] Kalendas aprilis fecit rex domnus et uermudus arrancada super mauros precepitque ibi regem illorum cimeia nomine in uilla cesari territorio casteli Sancte marie prouincia portugalensi.

Era M.ªLX.ªV.ª [3] Mortuus est rex uermudo.

Era M.ªLX.ªV.ª Rex fernandus accepit uiseo, VIII Kalendas augusti.

Era M.ªLX.ªV.ª Rex fernandus accepi lamecum IIII.° Kalendas decembris in die sancti Martini in sabato.

Era M.ªC.ªII accepit fernandus colimbriam, VIII.° Kalendas augusti, feria VI.ª uigilia sancti christofori.

Era M.ªC.ªII.ª Mortuus est rex fernandus, et sepultus est in legionensi monasterio VII.ª Kalendas ianuarii.

Era M.ªC.ªX.ª nonas octobris occisus est rex domnus sancius filius domni fernandi regis ad faciem zamore. Deinde ramansit frater eius adefonsus adepto christianorum regno Exercuitque bella aduersus sarracenos per annos multos. Alius dabat bellum, ab aliis accipiebat tributum.

Era M.ªC.ªX.ªV.ª in septembrio (?) ipse accepit cauriam.

Era M.ªC.ªX.ªVIIª Kalendas Julii hora VI.ª oscuratus est sol et stetit ipsa obscuritas per duas horas donec apparuerunt stelle in celo et quasi media nox effectus est.

8.

Era M.ªCC.ªLXL.ªVII.ª II.° Kalendas Martii, Nata est Donna branca filia regis donni alfonsi et regine Done beatrices.

Era M.ªCC.ªLXL.ªIX.ª VII.° Idus Octobris Natus est Infans Donnus Dionisius filius Regis Donni alfonsi et regine Beatricis.

Era M.ªCCC.ªI.ª VIII Idus februarii Natus est Infans Donnus Alfonsus filius regis Donni Alfonsi et regine Donne Beatricis.

Era M.ªCCC.ªII.ª IIII.ª Nonas februarii Nata est Dona Sancia filia regis Donni alfonsi et regine Donne beatricis.

Era M.ªCCC.ªVI.ª in die sancti vincencii scilicet XI.° Kalendas februarii Natus est Infans Donnus vincentius filius regis Doni alfonsi et regine Donne brealtis.

Era M.ªCCC.ªXV.ª feria V.ª comissum fuit bellum inter Petrum stephani de thaauare et fernandum alfonsi de Cambria in quo bello ex parte fernandi alfonsi nobilis quidam nomine donus Egidius ualasci solus interiit et nullus alius. Ex parte uero Petri stephani, Valasci menedi de afenseca, Stephanus petri de matelas, Stephanus sugerii sonetal, Johanes stephani de taaueres germanus prefati petri stephani et alii milites scutiferi et pedites interfecti sunt quorum anime per pietatem christi requiescant in pace.

XIIII kalendas Marcii Obiit donus alfonsus inclitus Rex tertius Portugalie cuius anima Requiescat in pace Amen. Era M.ªCCC.ªXVII.ª

et in ipsa era regnauit Donnus Dionisius filius eius pro eo.

Era M.ªCCC.ªXX.ªIX.ª VI.° Idus februarii natus est donnus alfonsus filius illustrissimi donni Dionisii Regis portugalie et algarbii et Regine donne Helisabeth.

Era M.ªCCC.ªXXX.ªIII.ª III.° Kalendas maii Obiit donnus Sancius regis castelle et in ipsa era regnauit donnus fernandus filius eius pro eo. Et in ipsa era regnauit donnus fernandus filius eius pro eo. Et in ipsa era infans donus Johanes frater predicti regis erat proiectus de terra.

Era M.ªCCC.ªXII.ª V.ª Idus Augusti silicet uigilia sancti laurencii Ingressus fuit Rex dionisius cum uxore sua regina donna elisabet uillam que uocatur Taracona in regno aragon. ad reformandam pacem inter regem castellen. et regem aragon. et quecumque incepit illuc perfecit, et rex oragon. erat donnus iohanes filius regis donni petri frater dicte donne helisabeth Regine port. et rex castelle erat donnus fernandus filius regis donni santii.

Era M.ªCCC.ªLVI.ª Kalendas martii Orta fuit questio inter episcopum portugalem et decanum eiusdem, pecuniam ab utraque parte plurima in questione consumpta Judicibus a sede appostolica delegatis priori Monasterii sancte crucis et thesaurariis visensis ecclesie et bracarensis.

9.

Era M.ªCC.ª nonagesima. XªIII.° Kalendas Novembris Dedicata fuit Ecclesia alcobatie ab Donno aria vlixbonensi Episcopo et ab Egea Colimbriensi episcopo.

Item Era M.ªC.LX. VIIII° [4] Kalendas October sumpsit Inicium domus alcobacie.

10.

Era M.ªCCC.ªL.VI.ª [5] XXI.ª die mensis Setember fuit terremotus in portugalia silicet, feria VI.ª

Era M.ªCCC.ªLXX.ªV et na noyte vigilia de natal ante galo tremeu a terra.

Idus Januarii Obiit domus Dionisius inclitus Rex Portugalie cuius anima requiescat in pace Amen.

Era M.ªCCC.ªLX.III.ª Et in ipsa era Regnauit donnus Alfonsus filius eius pro eo.

Vª die Mensis octobris pressa fuit Codessaria per manus domini alfonsi Regis portugalie et algarbii Sub era M.ªCCC.ªLX.ªIII.ª

Era M.ªCCC.ªXL.ª et VII.ª Mense februarii in die Chatedra sancti petri circa horam matutinam terremotus magni fuit per totam terram uehementer.

Era M.ªCCC.ªL.V.ª Sabbato die Sancte Eolalye IIª idus februarii uidelicet secunda decima die dicti mensis Natus fuit Infans Donus dyonisius filius domini alfonsi Infantis Port. et algarbii et nepos donni Dionisii Regios (*sic*) dictorum Regnorum.

Era M.ªCCC.ªL.ªVIII. In mense Aprilis decem et VIII.° diebus transactis predicti mensis natus fuit Imfans Donnus Petrus filius Donni alfonsi et Donne beatricis qui in-

[1] *Articulus hic litteris iisdem scriptus manifeste interpolatus fuit.*

[2] *Corrupti numeri, hic et in seq. Rex quippe Veremudus obiit Era* M.LXXV. Flores.

[3] *Lege* M.LXXV. Flores.

[4] *Huius æræ numerus recentiori adiectione ultimæ literarum additus fuit.*

[5] *Quæ præcedit* Era 1356 *et feria* VI. *hic expressa, Eram postulant* 1357. Flores.

fans natus fuit in feria VI.ª summo mane in ciuitate colimbriensi.

Era M.ªCCC.ªL.ªVIIII.ª V.º Idus mensis decembris Nouem transmigratis diebus predicti mensis, silicet die sancte Leocadie virginis aurora rutilante Terremotus non magnus sed maximus factus fuit per tocius spatium orbis terrarum; ita quod omnes atoniti ac etiam obstupefacti permanserunt tamquam si morti repente omnes traderentur: et eodem tempore Dominus donnus Dionisius Rex Portugalie et algarbii permanebat in ciuitate Santarene, et eius filius donus alfonsus in ciuitate Colimbriensi et lix et discordia non modica erat inter eos. Et dictus motus orbis terram fuit per spacium trium horam sed primus motus magnus, secundus maior, uero tercius maximus.

Era M.ªCCC.ªLIX.ª II.º Kalendas Januarii XXXª uno diebus transacti mensis decembris Cepit colimbrieñ Donus alfonsus Infans filius doni donisii Regis portugalie et algarby.

Era M.ªCCC.ªLXª primo die mensis Januarii cepit montem maiorem donus alfonsus Infans filius donni dionisii Regis portugalie et algarby.

Era M.ªCCC.ªLX.ª nonas Marcii pridie diebus transactis predicti mensis accessit colimbriam donnus dionisius Rex portugalie et algarbii et transiuit per riuulum mondecum et requieuit in palacio quod est erga sanctum laurentium tunc inceperunt omnes qui ambulabant cum eo destruere suburbium ipsius ciuitatis.

Sub ista era predicta transiuit rex extra riuulum, silicet, feria III.ª XVIcim diebus transactis predicti mensis et stetit in sancto Martino qui est erga colimbriam et ibi remansit usque sabatum deinde rediit ad monasterium sancti francisci in isto sabato silicet XX.m diebus preteritis predictis mensis.

* Era M.ªCCC.ªLXII vicesima secunda die mensis december, silicet, in die sancti Thome apostoli Orta fuit Donna Isabet Infans filium Illustrissimi donni donni alfonsi Regis Port. et algarbii et donne beatricis Regine.

Era M.ªCCC.ªLXIII.ª vndecima die mensis Julii, silicet, translatio sancti benedicti Obiit Donna ysabet infans Illustrissimi Donni donni alfonsi Regis portugalie et algarbii filia et Regine Donne Beatricis.

Era M.ªCCC.ªLX.ªIIII.ª In mense setembris vicesima tercia diebus transactis predicti mensis Natus fuit infans Donus Johanes filius donni Alfonsi et Donne Beatrices. Qui infans natus fuit infra III.ª sumo mane In ciuitate vlixbonensis.

Era de mil e CCC. e LXIIII annos quatro dias andados do mes de Julho foy morto Joham alfonso em lixboa per Justiça que el Rey dom alfonso filho do muy nobre Rey don Denis mandou fazer en ele.

11.

En Era M.ªC.LXXIIII. III.º Idus December Rex alfonsus Comitis Enrrici filius edifficare cepit Leyrenam.

In Era M.ªC.LXXI. VIII Kalendas october Rex ysmar abuzicri detruxit castrum leyrene et fuit captus pelagius goterriz Canonicus Monasterii sancte crucis.

In Era M.ªC.ªLXXXIII.ª VIIIª Kalendas marcii Ipse predictus Rey aldefonsus cepit Redificare castrum leyrene.

* *Versiculus hic, et duo sequentes litteris minutioribus, sed eadem manu scripti sunt.*

CHRONICA GOTHORUM.

Rerum a primordio Portugaliae gestarum historiae maximo sunt pretio dua illa antiqua monumenta, quae Chronica *vel* Historia Gothorum, *et* Chronicon Conimbricense *vulgo appellantur; tum quod pervetusta, et* monarchiae *huic aut omnino, aut fere antiquitate aequalia; tum quod rerum multitudine, eventuumque varietate ditissima sint. Hoc autem, quod* Chronica *vel* Historia Gothorum *dicitur, ad hanc nostram aetatem primaeva sua integritate, et simplici facundia pervenire non contigit. Qua tam magna iactura Regia perculsa Academia apographum saltem aliquod satis antiquum, ad quod Brandani editio corrigenda esset, quam maxima diligentia, et labore omnia per tabularia et scrinia huius regni perquirere frustra curavit: nullo tamen invento, quod editioni huic praeferendum merito putaretur; hanc adire, et accuratissime cum apographis, ad quae effícta fuerat, quaeque, ut mox ostendendum, hucusque manent, collatam versare, et sequi necesse nobis fuit.*

Duobus diversis Chronicorum, *vel* Historiae Gothorum *exemplaribus; altero ad res in III.* Monarchiae Lusitanae *Parte late narrandas; altero ad eorumdem chronicorum, quam in Appendice deprompsit, editionem Brandanus se usum fuisse ait: hoc, quod nempe editioni suae integrum praebuit textum, Resendius quondam, tunc vero temporis Emmanuel Severinus de Faria servabat: illud vero, cuius narrationes quibusdam* Monarchiae Lusitanae *capitibus ingessit, in monasterio Alcobacensi illo custodiebatur tempore. Aliud praeterea in Sanctae Crucis monasterio exemplar, sed, ut videtur, illi Alcobacensi persimile, quondam extitit. Nihil aliud praeter hoc, tam rubrica, quam annotationes ad marginem in istius monumenti editione ad Appendicem III. Partis* Monarchiae Lusitanae *referre videntur. Ipse tamen Brandanus, praeter alios scriptores, talia hac de re nobis prae-*

bet argumenta, ut non modo ampliorem, sed etiam correctiorem antiquorum MSS. Chronicorum, *vel* Historiae Gothorum, *quae perdita credimus, notitiam exhibere possimus. De apographo primum, quod textum integrum laudatae editioni suppeditavit, quodque apud Resendium aliquando fuerat, aliquid dicere aequum est.*

In III. Partis Monarchiae Lusitanae *prooemio de hoc ipso apographo Brandanus diffusius, quam in rubrica vel inscriptione ad caput editionis eiusdem monumenti loquitur. Inter veteres itaque memorias, monumentaque MSS., quorum narrationibus suum* Monarchiae *librum contexuit, latine conscriptam epitomen his refert verbis:* = Um epitome em latim que se intitula Historia dos Godos, e contem muitas coisas antigas d'Hespanha até a morte delrei D. Affonso Henriques. O Mestre André de Resende tinha esta historia e a cita em seus escriptos.... e achei della fragmentos na livraria de Alcobaça, e o mesmo original, que foi de André de Resende, com algumas notações escriptas de sua mão, me comunicou o chantre de Evora Manuel Severim de Faria. = *Quibus verbis manifeste constat, Resendium apographum quoddam antiquum, quod Brandanus autographum ratus est, possedisse; ipsumque Brandanum illud ab Emmanuele Severino de Faria acceptum ad suae editionis describendum textum fuisse secutum; istiusque monumenti quaedam vix fragmenta in Alcobacensi bibliotheca, consumpto iam vetustate codice, cuius reliquiae erant, ad illud temporis remansisse.*

Codicem etiam illum, quem penes Resendium fuisse scimus, priusquam Severinus de Faria, Jacobus Menoetius Vasconcellius apud se habuisse, ut ipse ait, videtur; sic enim loquitur: * habeo apud me codicem vetustissimum, cuius saepe mentionem faciunt Vasaeus et Resendius, qui inscribitur Chronica Gothorum. *Praeter haec narrationem, quam in eorumdem Chronicorum editione Brandanus ad aeram* 904 *protulit, ipse, variis quamvis lectionibus, a verbis:* Multosque inimicos*: integram exponit: nec est, cur hoc inter viros non notos modo, sed amicitia, et consuetudine comiter coniunctos novitatis aut admirationis aliquid praebeat; ut eumdem codicem, quem Resendius possidebat, a Vasaeo versatum et laudatum, cui ipse commodare, ut ait, solebat, Jacobum Menoetium apud se legisse et habuisse miremur. In libro equidem* De Antiquitatibus Eborae *noster hic percelebris scriptor historicus de huius, et Pacis Juliae (Beja) urbis oppugnatione et deditione agens, ita de hoc codice loquitur:* ** Extat et apud me Gothorum regum epitoma usque ad Alphonsum Henriques latine, ut tum quidem tempora patiebantur, conscripta. *Duos deinde super earundem urbium oppugnatione articulos describit, qui in* Chronicis Gothorum *ad aeram* 1200 *et* 1204 *iisdem leguntur verbis.*

In litteris rursum, quas anno 1553 *ad Vasaeum misit,* *** *eorumdem* Chronicorum Gothorum *codicis, quem possidebat, mentionem non parvae nobis utilitatis faciens, ut quae aetatem, in qua codex ille scriptus fuerat, fere indicat, ipse Resendius scribit:* Facit ad eam quoque rem annalium libellus ille, quem tibi aliquoties ostendi, sine dubio ante annos tercentos scriptus, in quo haec ad verbum leguntur. *Et eumdem de Pacis Juliae urbis oppugnatione versiculum* Chronicorum Gothorum *iterum describit.*

Dum Sarracenorum irruptionem, duce Abu-Jacub, et Scalabis (Santarem) obsidionem anno 1184 *Brandanus narrat,* **** *annotationem quamdam ab Andrea Resendio adducit, in qua percelebris hic rerum antiquarum scriptor de iisdem eventibus narrationem refert,* ab antiquis chronicis membraneis *depromptam monens. Cum vero haec eadem narratio in ultimo* Chronicorum Gothorum, *ad quae editio illa integra effecta fuit, versiculo iisdem legatur verbis; existimare oportet, codicem illum eumdem fuisse membranaceum, quem ipse possidebat Resendius.*

Quae ita hucusque dicta sunt, Chronica *vel* Historiam Gothorum *MS. saecu-*

* Scholia in IV. lib. Antiquitat. Resendii pag. 249.
** De Antiquitat. Eborae in Hispania Illustrata T. 2. pag. 981.
*** Epist. de Colon. Pacensi. Ibid. pag. 998.
**** Monarch. Lusit. Lib. XI cap. 35.

li XIII. iam dimidiati monumentum esse confirmant, versatumque successive ab Andrea Resendio, Jacobo Menoetio Vasconcellio, et Emmanuele Severino de Faria, a quo Brandanus acceptum in Appendice III. Monarchiae Lusitanae *Partis in lucem edidit.*

Sed quamvis satis antiquum hoc esset MS., non tantum tamen primaevas Chronicorum *vel* Historiae Gothorum, *imo etiam saeculi XII., et XIII. duorum saltem scriptorum narrationes comprehendit, quod rerum ibi memoriae mandatarum tempora demonstrant. In quodam enim eorumdem chronicorum versiculo haec leguntur:* Era 1026 III. cal. iulii Almanzor Benamet cepit Colimbriam et sicut a multis senibus audivimus deserta fuit septem annis. *Huius rei scriptor saeculo XI. certe natus, senes plurimos interrogans, et quantumvis senex et ipse chronica haec scripsisset,* * *difficile tamen Jacub irrumpentem anno* 1184 *vidisse creditur. Certius proinde habendum,* Chronica Gothorum, *quae primitus scripta fuerunt, saeculo XIII. novis rerum narrationibus adaucta fuisse. Ad hoc firmandum iudicium nova res gestas narrandi accedit ratio: cum enim in huiusmodi chronicis scriptores XI., et antecedentium saeculorum res summa solerent brevitate referre; in illis contra, et prostremis praecipue annis, nimia rerum verborumque profusione mutatam scribendi miramur formam.*

Haec itaque fundamenta iacere statuimus, ut non solum aetas, ad quam monumentum a Brandano editum referendum sit, verum auctoritas MS. a quo illius editionis textum hausit, dignoscatur. Cumque huiusce MS. apographum propria Monarchiae Lusitanae *scriptoris manu descriptum adhuc maneat;* ** *hoc ad nostram hanc editionem praesertim usi sumus, omissionibus, typographorumque mendis, quae primam illam editionem foedaverant, maxima correctis cura: aliquot etiam varias lectiones inter Brandani exemplar et textum, quem typis ipse mandavit, inventas indicamus, quae non typographis incuriae, sed editori dandae videntur; dum forte cum Resendii autographo conferre denuo studuit, ut in lucem tandem proderet codicem.*

Apographum quoddam Chronicorum Gothorum *inter Brandani MSS.* *** *sua conscriptum manu inventum est, et quoad res narratas editioni suae simile, sed narrationis forma, dicendique genere dissimile, ac inscriptione hac superscriptum:* Brevis historia Gothorum quae desumpta fuit ex scriptis Magistri Andreae Resendii, et sane ille decerpsit a codice Alcobacensi: fecit mihi copiam illius Gaspar Alvares Losada: *Hoc tametsi apographum, non illa modo a veteri Resendii codice narrationis dicendique generis differentia, quam nuper indicavimus; sed potissimum quod illud ab homine, quem historica monumenta corrumpendi atque vitiandi nunquam poenituit, Brandanus acceperit, praetermittendum forte videatur; aliae nihilominus non parvi momenti causae nobis aliter suadent: quibus aeque perspectis, ipsi quoque legentes eius auctoritatem et pondus estimare poterunt, ad elucidandum etiam illud, cuius satis nota et magna est fides. Animadvertendum praecipue hîc est, hoc apographum propria Brandanum manu iuxta illud a Resendio similiter descriptum (ex scriptis Resendii) descripsisse; ac proinde a Losada, qui Brandano tantum commodatum describendum praebuit, (fecit mihi copiam) nullo modo corrumpi potuisse: prava insuper illa, quae Losadae inerat, documenta vitiandi consuetudo Resendio, vel Brandano impertiri prorsus nequit. Cum denique istius documenti corruptio, quamvis possibilis et facilis, nullam ad suas fabulas, falsasque, quibus saepe operam dedit, narrationes struendas materiam praeberet, e manibus Losadae hoc saltem documentum integrum, et incorruptum evasisse credendum est: et certe in rebus, rerumque causis narrandis antiquum Resendii codicem tanta brevitate superat, ut minime ampliorem, quin etiam concisiorem eventuum notitiam afferat.*

* Idem historicus scriptor super D. Nunio Suaresio, et D. Nunio Medisio, qui XII. saeculo vixerunt, tamquam coaetaneis suis loquitur.

** Cod Alcobac. N.° 449 in Public. Olisipon. Biblioth.

*** Cod. Alcob. N.° 450 in Public. Olisip. Biblioth.

In prologo ad III. Partem Monarchiae Lusitanae *ipse Brandanus*, *fragmenta quaedam* Chronicorum Gothorum *in Alcobacensi bibliotheca extitisse, ut diximus, refert; et in laudata modo rubrica*, *a codice hoc*, *cuius reliquiae tunc vix remanebant, quique Resendii aetate intiger credendus, scriptorem hunc suum exemplar* decerpsisse *censet, diversum nimirum narrationis forma, dicendique genere a codice illo XIII. saeculi, quem antehac possidebat. Similiter ab istius Alcobacensis fragmentis, non ab antiquo Resendii codice deductos* Chronicorum *vel* Historiae Gothorum *versiculos, quos ad verbum in historia sua descripsit, Brandanus monet: cumque versiculi iidem in apographo a Losada Brandano tradito ipsis legantur verbis*, *hic merito scriptor apographum ad Alcobacense MS. sua Resendium effinxisse manu iudicavit.*

Ad nos fragmenta haec cum non pervenerint, nullum nobis circa codicis aetatem indicium reliquerunt: collatis tamen amborum scripturis, codex hic, quem Brandano Losada ministravit, *et Resendius a MS. Alcobacensi transcripsit*, *antiquior apparet: narratio nihilominus illa Abu-Jacub incursionis anno* 1184, *praelii apud Navas* (1212) *memoriam adhibens proculdubio arguit, ab eodem scriptore*, *qui se rerum saeculo X. gestarum testes audiisse fatetur, nullo modo scribi potuisse. Qua de causa hoc etiam apographum saeculo XIII. recentiori rerum narratione adauctum credimus.*

Alcobacensi apographo Brandanus ad narrationes suas historicas eo maxime usus est, quod maiori, ut ait, brevitate, vel concisione scriptum esset. * *Cum etenim hanc brevitatis causam adducat*, *qui prolixitatis in suis narrationibus*, *et in documentis valde diffusis totidem describendis verbis frequenter exemplum praebet*, *aliud eum brevitatis nomine denuntiare, apographi videlicet integritatem, et primaeva* Chronica Gothorum *minus ibi recentiori rerum narratione aucta, aut corrupta fuisse, censemus.*

Juxta antiqui codicis Resendii textum, inductis ibi variis lectionibus ab Appendice III. Monarchiae Lusitanae *Partis, exemplar etiam illius manu a codice Alcobacensi descriptum typis mandamus: lectiones autem varias*, *ad primos* Chronicorum Gothorum *versiculos spectantes*, *primaeque editionis in textum temere congestas, praetermissas illa relinquimus ratione, quam in prologo ad* Chronicon Complutense *monstrabimus.*

* Monarch. Lusit. Part. III. Append. Script. 1.

CHRONICA GOTHORUM.

Era CCCXLVIIII. egressi sunt Gothi de terra sua.

Era CCCLXVI. ingressi sunt Hispaniam, et regnauerunt ibi annis CCCLXXXVII: de terra autem sua perueniunt ad Hispaniam per XVII annos.

Era DCCXXXVIIII [1] expulsi sunt de Regno Hispanie regnante Vuitiza.

Era DCCXLVIIII [2] Sarraceni Hispaniam adepti sunt regnante Roderico: antequam dominus Pelagius regnaret, Sarraceni regnauerunt in Hispania annis V.

Era DCCLIV. Pelagius Fafilani ducis filius regnauit annis XIX.

Era DCCLXXIII. Fafilanus filius eius regnauit duobus annis et mensibus VI.

Era DCCLXXVI. Adefonsus filius Petri ducis regnauit annis XIX.

Era DCCLXXXV. Froyla filius eius regnauit annis XI ac III mensibus.

Era DCCCVI. Aurelius consobrinus eius regnauit annis VI et mensibus VI.

[1] « *Alias*: Era DCCXLIX: » *Resendius?*
[2] « *Alias*: Era DCCL: » *Resend.?*

BREVIS HISTORIA GOTTORUM.

Era CCCXLVIII. Egressi sunt Gotti de terra sua.

Era CCCLXVI. Ingressi sunt Hispaniam, vbi regnauerunt annis CCCLXXXIII.

de terra sua peruenerunt ad Hispaniam an. XVII.

Era DCCXXXVIII. Expulsi sunt Gotti de Regno Hispanie, Regnante Vuitiza.

Era DCCXLV. sarraceni Hispaniam debellarunt, Regnante Roderico.

antequam Donus Pelagius regnaret, an. V. regnauerunt in Hispania Sarraceni.

Era DCCLIIII. Pelagius Flauiani ducis filius regnauit an. XV.

Era DCCCXII. Silo regnauit annis IX, et decimo uitam finiuit.

Era DCCCXXI. Mauregatus regnauit annis VI, uitamque finiuit.

Era DCCCXXVI. Bermudus regnauit an. III. Hic sponte regnum dimisit et sobrinum suum Adefonsum, quem Mauregatus a regno expulerat, Regem fecit.

ERA DCCCXXVIII. Adefonsus iste regnauit annis LII.

Era DCCCLXXX. Ramirus filius Veremundi regnauit annis VII.

Era DCCCLXXXVIII. Ordonius filius Ramiri regnauit annis XVI.

Era DCCCCIV. Adefonsus Ordonii filius regnauit annis XVIII. Iste primo regni sui anno, et natiuitatis XIV, ab Apostata Fruuilano Gallecie Comite per tyrannidem regno priuatur, sed ipse Rex Castellam se contulit, et non multo post eodem Fruuilano rege tyranno et infausto a fidelibus regis Adefonsi Ouieto interfecto idem gloriosus puer ex Castella reuertitur et in patris solio feliciter collocatur. Qui ab initio sui regni semper inimicos uictoriarum fauorem semper habuit. Illius tempore innumerabilis Ismaelitarum exercitus ad Legionem uenit duce Almundarim filio Abderrahamen rege fratre de Mahometh rege Cordubensi, sed minus sibi nocuit, quia ubi uenit iam ibi multa millia erant occisa, ceterus uero exercitus in Berdigo est ingressus, sed gratias deo sine nocumento istius regis est interemptus. Multosque etiam inimicorum terminos acquisiuit rex iste, cepit namque castrum quod dicitur Nazan. Anteneam uero pace acquisiuit. Conimbricam [1] ab inimicis possessam heremitauit, et ex Gallecis [2] postea populauit, multa quoque alia castra sibi subiecit. Eius tempore Ecclesia creuit, regnumque ampliauit: urbes quoque iste a christianis populantur scilicet Bracharensis, Portugalensis, Aucensis, Visensis, Eminiensis, et ceteros Lusitanie limites gladio et fame comsumptos usque Emeritam, et maris littora heremitauit, atque destruxit. Permansit autem regnum Hispanie christianorum usque ad Almanzor an. [3] CXXIV.

Era MXXVI. III.° calend. iulii Almanzor Benamet cepit Colimbriam, et sicut a multis senibus audiuimus deserta fuit VII annis, postea reedificauerunt eam Hismaelite, et tenuerunt eam.

Era MXXVIII. IIII.° non. decembris, Almanzor cepit montem maiorem.

Era MXXXIII. Almanzor cepit Castellum de Aguilar, quod est in ripa Sause in Portugalensi prouincia.

Era MXLVI. II. non. octobris occisus fuit comes Menendus.

Era MLIV. VIII.° idus septembris ueniunt [4] Lormanes ad castellum Vermudii, quod est in prouincia Bracharensi. Comes tunc ibi erat Aluitus nuniz.

Era MLVI. Obiit rex donnus Adefonsus Viseo. Et in ipso anno obiit magnus comes Nunus aluares.

Era MLXXII. II.° idus nouembris [5] Gundisaluus trastamiris cepit montem maiorem, et reddidit eum christianis.

Era MLXXVI. calend. septembris, Gundisaluus trastamiris occisus est in Auenozo.

Era MLXXXIII. X.° calend. aprilis rex donnus Vermudo habuit uictoriam de mauris, pugnauit cum eis, et cepit ibi regem eorum Cemia in uilla Cesari in territorio castelli S. Marie.

Era MLXXXV. Obiit ipse rex Vermudus.

Era MXCV. rex donnus Fernandus cum coniuge sua regina donna Sancia cepit Lamecum III.° calend. decembris in festiuitate sancti Saturnini lucescenti die sabati.

Era MXCVI. IIII.° calend. augusti in die S. Cucufatis

[1] Conimbriam
[2] Gallicis
[3] anno
[4] uenerunt
[5] Octobris

Alfonsus ab hoc Pelagio Rex XIII, eius nominis III^us^, Regis Ordonii filius, cepit regnare era DCCCCIIII.; regnauit an. VIII; multis magnisque victoriis de sarracenis preclarus cepit Castrum Nazan, Antiensam, Colimbriam ab hostibus possessam eremitauit, desolauit, et in eremum redegit, et ex Gallecis restaurauit, scilicet, fecit Coloniam Gallaicorum [1]: huius tempore ecclesia creuit, Regnum que Christianum ampliatum est, multe vrbes a christianis habitari cepere, vt Brachar., Portugalens., Aucensis, Visensis, vulgo Viseu, Eminensis, et Lamecensis, et Cauriensis, vulgo Coria, Egitanensis, vulgo Idanha, cui successit urbs Goarda, et ceteros lusitanie limites vsque ad Emeritam gladio et fame consumptos e maris littore eremitauit, atque destruxit: permansit autem Regnum Hispanie apud christianos usquè ad Almansorem an. CXXIIII.

Era MXXV. III. Kal. Julii Almansor Iben hamet cepit Colimbr. et, sicut a multis senibus audiuimus, deserta fuit an. VII.: postea eam Hismaelite reedificauerunt, et tenuerunt eam LXX. an.

Era MXXVIII. IIII. nonas decembr. Idem Almansor cepit montem maiorem.

Era MXXXIII. Almansor cepit Castellum Aguilar quod in ripa souse fluminis in Prouintia Portugalensi hoc est inter amnis.

Era MLIIII. VIII. idus Septembris uenerunt Lormanes ad Castellum Veremundi, quod est in prouinc. Brac. Comes tunc illi erat Aluitus nunes: paulo interfuerat Comes menendus Gumsaluius, qui fuit occisus era MXVI. VIII.^bri^ mense.

Era MLXVI. Rex Domnus Adefonsus obiit Viseo.

Eodem an. obiit Comes nunus Aluitis.

Era MLXXII. II.° Idus IX.^bris^ Gundisaluus transtamiris cepit montem maiorem, et reddidit eum christianis: idem Gunsaluus occisus est in Auenoso Era MLXXVI. Kal VII.^bris^

Era MLXXXIII. X. Kal. April. Rex D. Vermudus vicit mauros, cepitque Regem eorum Cuner in territorio Castelli S. Marie in villa Cesari.

Era MLXXXV. obiit Rex Veremudus.

Era MLXXXV. Rex D. Fernandus cum coniuge sua Reg. D. Sancia cepit Lamecum III.° Kal. Decembr. in festo S. Saturnini lucescente die sabbathi.

Era MLXXXVI. V. Kal. Augusti die Sancti Cucufatis Rex D. Fernandus cepit Viseum, postea Ceiçam et S. Martinum de mauris, Taraucam et Penaluam, et cetera castella in circuitu Ciuitatum per an. VIII.

[1] *Alio apographo* Castellorum *legitur.*

rex donnus Fernandus cepit ciuitatem Viseum, postea Geisam, et S. Martinum de mauris, et Trauancam, et Penaluiam, atque cetera castella christianarum uicinitatum [1] per annos viii.

Era mcii. viii. calend. augusti feria vi in uespera sancti Christofori rex D. Fernandus cepit Colimbriam.

Era mciii. rex donnus Fernandus mortuus est, et vii.° calend. ianuarii sepultus est in Legionensi ciuitate.

Era mciii. vi.° calend. decembris mortuus est Menendus gunsaluis uir illustris, et magne potentie in toto Portugali, filius Gunsalui trastamiris.

Era mcix. xv.° calend. februarii Portugallenses commiserunt prelium aduersus regem donnum Garsiam, fratrem regis donni Fernandi, habebant que tunc caput in ipso bello comitem Nuno menendis, periit ipse ibi, et cuncti alii sui fugerunt, obtinuit autem rex de illis uictoriam in loco qui dicitur Pertalini inter Bracharam et fluuium Cauado.

Era mcx. occisus est rex Sancius, filius regis donni Fernandi ad faciem Zamore ciuitatis, post cuius mortem frater eius rex donnus Alfonsus regnum obtinuit Hispanie, qui bella multa exercuit annis multis aduersus Sarracenos christiani nominis [2] inimicos, aliis bellum dabat, aliis [3] tributum accipiebat.

Era mcxv. mense septembris cepit idem Rex Alfonsus Cauriam ciuitatem.

Era mcxxiii. viii. calend. iunii rex donnus Alfonsus cepit ciuitatem Toletum, postea Talaueram [4], cunctaque castella que sunt in Carpania prouincia Cartaginis, subiacentia Regie urbi Toleti, que est Metropolis.

Era m.ªc.xxv. Rex Donnus Alfonsus magnum prelium habuit cum rege Sarracenorum Jucef Bennamarim Transmarino ad faciem ciuitatis Badajoz in loco qui dicitur Sagalias, ubi unanimiter conuenerunt cum Rege nostro christiani a partibus Alpes, multique Francorum in adiutorium ei affuerunt, sed Diabolo aduersante timor magnus inuasit plurimos nostrorum, et fugerunt ex eis multa millia, nullo eos persequente. Rex uero fuge eorum inscius confidenter ingressus est prelium, in quo aderant omnes Sarraceni totius Hispanie armati. Jusef Bentaisafim, quem sibi in Regem assumpserant, nec non ipse Jusef multa millia barbarorum transmarinorum, Moabitarum, Arabumque secum traduxerat, quorum numerum nec ipse eorum Rex, nec aliquis homo scire poterat, nisi solus Dominus. Pugnauit itaque Rex Donnus Alfonsus, et qui remanserant cum eo aduersus Sarracenos usque ad noctem, nullorumque inimicorum sustinens ualebat eius presentem incursionem, sed se concludentes Sarraceni, interficiebant Christianorum multitudinem. Intantum uero Rex Castellum Sarracenorum, et acies inuasit, et interficiendo eos, et dispergendo expulit huc, et illuc quousque peruenerit ad locum, ubi Regis Joseph tentorium fixum erat, atque per circuitum magno uallo uallatum quem Rex dum acriter expugnaret, et fortiter inuadens insisteret, quidam suorum ueniens hoc ei nunciauit. Noueris domine mi Rex quoniam interim dum tu hic pugnas, Sarracenorum insidie tua inuadunt castra, quo audito, et a suis consilio accepto, Rex Regem Maurum reliquit, et ab eius tentorio discessit. Festinus ergo cum suis qui secum aderant, ad Sarracenos qui castra sua inuaserant accessit, multosque ex eis interfecit, et a castris fortiter expulsit. Ibi quidem multi corruerunt christianorum qui remanserant congregati sunt ad Regem. Rex autem plagatus lancea cum nimium sitiret propter fluxum sanguinis decurrentis a plaga, uice aque propinauerunt ei uinum, quia aquam non inuenerant, unde syncopin passus, cum his qui secum aderant reuersus est Cauriam, Sarraceni quoque reuersi sunt, unusquisque ad sua loca.

Era mcxxviiii. Octauo cal. Septembris obiit Aluazil donnus Sisnandus.

Era mcxxxi. Secundo cal. Maii Sabbatho hora nona,

Era mcii. viii. Kal. Aug. feria vi. vesperis s. christofori Rex D. Fernandus cepit Colimbriam.

Era mciii. obiit idem Rex, et vii. Kal. Januarii sepultus est in legionensi ciuitate.

Era mciiii. vi.° Kal. Decembr. mortuus est Menendus Gundisaluius uir illustris, et magne potentie in toto Portug. filius gundisalui Transtamiriz.

Era mcviiii. xv Kal. Febr. Portugalenses commiserunt prelium aduersus Regem Domnum Garciam, filium Regis D. Fernandi, habebantque tunc caput in ipso bello Comitem nunum menendi, periit ipse ibi et cuncti alii sui fugerunt; obtinuit autem Rex de illis victoriam in loco qui dicitur Petrosum inter Bracharam et fluuium Cauado.

Era mcx. occisus est Rex Sancius filius Regis Domni Fernandi ad faciem Zamore ciuitatis, post cuius mortem filius Domnus Alfonsus regnum obtinuit Hispanie, qui bella multa exercuit an. multis aduersus Sarracenos christiani nominis inimicos, aliis bellum dabat, ab aliis tributum accipiebat.

Era mcxv. mens sept. cepit idem Rex Cauriam Ciuitatem.

Era mcxxiii. viii. Kal. Junii idem Rex cepit Toletum, postea Talaueram, et cuncta Castella que sunt in Carpania prouincia Carthaginis, subiacentia Toleto Regie urbi, que est metropolis.

Era mcxxv. Rex D. Alfonsus magnum prelium habuit cum Rege Sarracenorum transmarino Joseph Aben texafin ad faciem Ciuitatis Badalioz, in loco qui dicitur Sagulias; interfuerunt huic prelio multi Christiani externi, et inter eos multi franci qui uenerant in adiutorium Regis Alfonsi, sed diabolo aduersante timor magnus inuasit plurimos nostrorum, et fugerunt multa eorum millia nemine persequente. Idem Rex inuicto plane animo aggressus hostes infinitam fere eorum multitudinem (aderant enim fere omnes Sarraceni Hispani et multa quoque millia transmarinorum) vsque ad noctem pugnando profligauit, et Regem barbarorum plane Castris exuisset nisi a suis reuocatus esset ad tuenda nostrorum castra que hostes in discrimen adduxerant. Rex lancea percussus cum nimium sitiret prope fluxum sanguinis a uulnere decurrentis ad imum sibi aque exhalitum hausit, unde sincopen passus cum suis Caurium reuertit: hoc prelio maxime eluxit virtus intrepida Alfonsi Regis.

Era mcxxxi. ii. Kalendas Maii sabbato hora viiii. Capitur ab eodem Alfonso Santarem, an. regni sui xxviii. mens. v. vi.ª die mensis. Item eadem bebdomada pridie non. maii capitur ab eodem Ulixbona, et post idibus maii sintria. Preposuit Rex his locis a se captis Generum suum Comitem Raimundus maritum D. Urrace, et sub

[1] vicinatum
[2] christianis nostris
[3] ab aliis
[4] Talauiram

Rex donnus Aldefonsus cepit ciuitatem Santarem anno Regni sui XXVIII., mense V. sexto die mensis. Et in eadem hebdomada pridie Non. Maii feria quinta cepit Vlixbonam. Post III.am autem diem octauo idus Maii cepit Sintram [1], preposuitque eis generum suum Comitem Donnum Raymundum maritum filie sue D. Vrrace et sub manu eius Suarium Menendi, ipse autem Rex reuersus est Toletum.

Era MCXLVII. Tertio cal. Julii obiit Rex D. Alfonsus Regis D. Fernandi filius.

Era MCXLVII. Mense Julio iterum capta fuit Sintria a Comite D. Henrico genero D. Alfonsi Regis marito filie sue Regine D. Tarasie. Audientes enim Sarraceni mortem Regis D. Alfonsi, ceperunt rebellare.

Era MCXLVIII. Factum est magnum infortunium supra christianos qui ibant ad Sanctarem in loco qui dicitur Vatalandi. Dum enim uellent ibi Christiani figere tentoria, et requiescere, ecce [2] subito ex improuiso multitudo Sarracenorum, et Moabitarum, et Arabum audito numero eorum uenerunt super eos repente, et imparatos eos inuenientes, interfecerunt ex iis plurimos, ibique mortuus fuit Suarius Fromarigis pater Domni Nuno Suariz, qui erat dux super eos, et Mido Cresconis pater Domni Joannis Midiz.

Era MCXLVIIII. Rex Cyrus cepit Santarem septimo cal. junii.

Era MCLI. Natus fuit Infans Alfonsus Comitis Henrici, et Regine D. Tarasie filius Regis D. Alfonsi nepos.

Era MCLII. Cal. Maii obiit Comes D. Henricus.

Era MCLIV. Castellum de Miranda a Sarracenis captum est, et magna cedes, et captiuitas in christianis facta est.

Era MCLIV. Nonis julii captum fuit Castellum S. Eolalie a Sarracenis, quod est situm sub Monte maiore, et captus fuit ibi didacus cognomento Gallina, et magna captiuitas christianorum inde translata est etiam ultra mare.

Era MCLV. Rex Sarracenorum Hali Ibenjucef ueniens de ultra mare cum multo exercitu obsedit Colimbriam adiuncto simul et omni exercitu qui erat circa mare, quorum numerus erat innumerabilis sicut arena maris, soli Deo tantùm cognitus erat. Obsedit autem Colimbriam uiginti diebus quotidie fortiter in toto exercitu oppugnans eam, sed per uoluntatem Dei non potuit nocere, et Ciuitas illesa remansit, et inhabitantes in ea.

Era MCLX. Magna fames fuit in ciuitate Colimbrie, et in tota Portugallensi regione a Mineo usque in Tagum.

Era MCLXIII. Infans inclytus Donnus Alfonsus Comitis Henrici, et Regine D. Tarasie filius, D. Alfonsi nepos, habens etatis annos fere quatuordecim apud sedem Zamorensem, ab altario Sancti Saluatoris ipse sibi manu propria sumpsit militaria arma ab altari, et ibidem ante [3] altari inductus est et accinctus militaribus armis, sicut moris est Regibus facere in die sancto Pentecostes. Induit uero se loricam sicut Gygas, quia [4] magnus erat corpore, et succincxit se arma bellica sua, in preliis similis factus est leoni in operibus suis, et sicut catulus leonis rugens in uenatione. De hoc autem uiro tanto tamque inclyto fari digne quis poterit? Nemo. Fuit namque uir armis strenuus, lingua eruditus, prudentissimus in operibus suis, clarus ingenio, corpore decorus, pulcher aspectu, et uisu desiderabilis, totus in fide Christi Catholicus, erga cultores Religionis supplex, multumque beneuolus, ac deuotus, protexit totum Portugalle gladio suo, adeptus est Regnum, et dilatauit Dominus per eum fines Christianorum, et auxit terminos fidelium populorum a flumine Mondeco, qui discurrit iuxta muros Colimbrie usque ad fluuium de Alquiuir, qui uadit per Hispalim ciuitatem, et usque ad Mare Magnum, et Mare Mediterraneum. Qualiter autem Regnum sit adeptus, castella, et munitiones quas ibi fecit, sed et ciuitates et castella que a Sarrace-

[1] Sintriam
[2] cum
[3] in
[4] qui

nomine eius Suarium menendi. Ipse autem Rex Reuersus est Toletum.

Era MCXLVII. III.o Kal. Julii obiit Rex Aldefonsus Fernandi Regis filius: paulo post primo sequente circiter anno, cum Sintria defecisset, audita morte Regis Alfonsi, recuperata est a Comite Henriquio Regis Genero et patre Alfonsi primi Regis Portugalie.

Era MCXLVIII. vel XLVIIII. Rex Cyrus cepit Santarenam VII. Kal. Junii.

Era MCXLV. Colimbria obsessa est ab Heli Aben Joseph Rege Transmarino, cuius copie innumerabiles soli Deo cognite; sed XX. diebus grauissime expugnata capi non potuit.

Era MCLXIII. Infans inclitus Alfonsus Henrici Comitis filius, etatis anno XIIII., in ecclesia Zamorensi Cathedrali, ab altari Saluatoris ipse sibi manu propria sumpsit militaría arma, ut mos est Regum: induit se lorica sicut gigas, qui magnus erat corpore, similis factus est leoni in facinoribus suis et sicut catulus Leonis rugiens in uenatione: fuit Pulcher aspectu, uultu desiderabilis, clarus ingenio, corpore decorus, animo intrepido. Rex Alfonsus Viriatus christianus, vel primus Hercules Lusitanus, merito appellari potest ob immensos pro christo labores pro re christiana exhaustos et plurima facinora clarissime gessit: totam Portugalliam armis a diuersis hostibus protexit, et a munda Fluuia ad betim, qui hispalim preterfluit propagauit imperium, et ad oceanum usque bella gessit plurima, partim cum sarracenis, partim cum christianis qui eius felicitati, uel inuidentes uel parum facientes Regnum illi eripere tentarunt, sed ubique fere uictor euasit.

nis accepit breuiter annotabimus, nam prelia que gessit nemo poterat annotare fuerunt, namque multa et innumerabilia non solum cum Paganis, sed etiam cum Christianis, qui nimium inuidentes ei uolebant deripere et inuadere Regnum eius, in omnibus quidem superans, et semper uictor existens, et de omnibus triumphans diuina clementia semper adiutus.

Era MCLXVI. mense junio in festo Sancti Joannis Baptiste Infans inclytus donnus Alfonsus Comitis Henrici, et Regine Donne Tarasie filius, magni Imperatoris Hispanie Domini Alfonsi nepos, Domino auxiliante et diuina clementia et propitiante studio et labore suo magis, quam parentum uoluntate, aut iuuamine adeptus est Regnum Portugallis in manu forti. Siquidem mortuo patre suo Comite Domino Henrico cum adhuc ipse puer esset duorum aut trium annorum, quidam indigni, et alienigene uendicabant Regnum Portugallis matre eius Regina Donna Tarasia eis consentiente uolens et ipsa superbe regnare loco mariti sui, amoto filio a negocio Regni. Quam iniuriam ualde inhonestam nullatenus ferre ualens (erat enim grandeuus etate, et bone indolis) conuocatis amicis suis et nobilioribus de Portugal, qui eum multo maxime quam matrem eius, uel indignos et exteros natione uolebant regnare super se. Commisit cum eis prelium in campo Sancti Mametis, quod est prope castellum de Vimaranes, et contriti sunt, et deuicti ab eo, et fugerunt a facie eius, et comprehendit eos. Obtinuit ipse principatum, et Monarchiam Regni Portugallis.

Era MCLXVIII. obiit Regina Donna Tarasia mater Donni Alfonsi Calend. Nouembris anno secundo regni.

Era MCLXIX. Vermudus petri gener Regine Donne Tarasie uoluit eis rebellionem facere in castello Sene. Sed non ualuit, quia idem Infans cognoscens occurrit ei cum militibus suis, et eiecit eum de Castello.

Era MCLXX. idem Rex cepit edificare monasterium Sancte crucis in suburbio Colimbrie, et pontem fluminis juxta ciuitatem anno regni sui quarto.

Era MCLXXIII. Quarto idus Decembris predictus Rex Donnus Alfonsus cepit edificare castellum Leirene anno Regni sui septimo, uidens enim frequentes incursiones, et depredationes que fiebant per campum Colimbrie, et frenari eos uolens in manu forti, et brachio extento quesiuit locum idoneum, et munitionem Regni sui, et aptum ad detrimentum inimicorum suorum, inuenit itaque montem illum in loco uaste solitudinis in confinio Sanctarem et Colimbrie positum, distans quibusdam a castello Sanctarem quadraginta, de Colimbria uero fere quinquaginta milliaribus. Ibi ergo [1] edificauit castellum et collocauit ibi habitatores [2] habitantes in eo, et prefecit illis quendam militem strenuum nomine Pelagium Guterriz, ab illo ergo uirtus et audacia Sarracenorum cepit infirmari, quia uidebant quidem alterum Scipionem Africanum qui eos ualde opprimeret, et affligeret, et redigeret uelut palleam in tritura aree.

Era MCLXXV. euenit infortunium super christianos in Tomar.

Era MCLXXVII. Octauo Calendas Augusti in festiuitate sancti Jacobi apostoli anno regni sui undecimo. Idem Rex Donnus Alfonsus magnum bellum commisit cum Rege Sarracenorum nomine Esmar in loco qui uocatur Aulic. Ille namque Rex Sarracenorum cognita uirtute et audacia Regis Donni Alfonsi, et uidens eum frequenter intrare in terram Sarracenorum, et depredari, nimiumque atterere suam regionem, uoluit si facere posset ut eum incautum, et imperatum alicubi inueniret, ut cum eo gereret bellum, quadam itaque uice cum Rex D. Alfonsus cum suo exercitu intraret per terram Sarracenorum et esset in corde terre eorum. Esmar Rex Sarracenorum [3] congregata infinita multitudine Sarracenorum transmarinorum quos secum adduxerat, et eorum qui morabant citra mare a termino Sibillie, et de Badalioz, et de Eluas, et de Elbora, et de Begia, et de omnibus castellis usque Santarem ue-

Era MCLXVI. mense Junio die Joanis Baptiste iniit Regnum vel potius principatum Portugallie Alfonsus, uictis aduersariis, qui Tharasia matre Regnum inuaserant, et regno pulsis prelium commissum est in campo S. mamantis, vulgo mametis, prope Castellum Vimarenense in Regione inter amni.

Era MCLXVIII. Obiit Regina Tarasia mater Alfonsi Kal. VIIII.bris an. II.° Regni eius.

Era MCLXVIIII. Veremudus Petri gener Regine Tarasie tentauit defectionem facere in castello Cena, sed ab Alfonso statim occurrente occisus est et protecto Castello.

Era MCLXX. Idem Alfonsus cepit edificare monasterium sancte Crucis in suburbio Colimbr. et pontem fluminis monde iuxta eandem urbem, ann. Regni sui IIII.°

Era MCLXXIII. IIII.° Idus Decembr. Idem Rex cepit edificare Castellum Leirene loco edito et apto ad coercendos Barbaros qui agrum Colimbr. incursabant: est in extremis limitibus scalabitani et Colimbr. agri situm hoc oppidum aptissimo loco ad hostes prohibendos, cui prefecit strenuum Ducem Pelagium Gutterrem: ab illo tempore vis et audacia Sarracenorum cepit infirmari.

Era MCLXXV. Euenit infortunium christianis in Thomar.

Era MCLXXVII. Julio mense die D. Jacobi Apostoli fuit victoria Alfonsi Regis de Esmar Rege Sarracenorum et innumerabili prope eius exercito in loco qui dicitur Aulic, tunc cor terre Sarracenorum, quo perrexit Rex Alfonsus: femine sarracene in hoc prelio Amasonico ritu ac modo pugnarunt, et occise tales deprehense.

[1] primo
[2] *deest.*
[3] Sarracenus

nerunt ei obuiam, ut pugnaret cum eo, confidens in multitudine virtutis sue, et sui exercitus, qui [1] erat copiosus in tantum quod etiam [2] mulieres ibi affuerunt Amazonico ritu belligerantes, sicut exitus postea probauit in eis que ibi occise inuente fuerunt, licet Rex D. Alfonsus esset cum paucis suorum, et esset in quodam promuntorio fixis tentoriis ex omni parte obsessus, et circumuallatus est a Sarracenis a mane usque ad uesperam, cum vellent irrumpere, et inuadere castra christianorum. Electi milites irruerunt in eos fortiter pugnantes cum eis, expulsos extra castra occiderunt et diuiserunt eos, quod cum vidisset Rex Esmar, scilicet virtutem [3] christianorum, et quod parati erant magis vincere, aut mori, quam fugere, fugit ipse, et omnes qui cum eo erant, omnisque illa multitudo Paganorum partim occisione partim fuga occisa est et dispersa. Rex etiam Esmar illorum superatus per fugam euasit, comprehenso ibi quodam suo consuprino, et nepote Regis Hali nomine Homar Atagor; et interfectis ex parte sua viris innumeris, et sic D. Alfonsus diuina se protegente gratia magnum de inimicis obtinuit triumphum, et ex illo tempore fortitudo, et audacia Sarracenorum valde infirmata est.

Era MCLXXVIII. anno regni sui duodecimo, Rex Esmar cognoscens Regem D. Alfonsum esse ultra Vimaranes in partibus Galletie circa Tudem, et esse illuc preocupatum quibusdam negotiis unde facile non poterat expediri, consilio animatus cuiusdam sui pretoris qui erat in Sanctarem nomine Auzecri, congregata multitudine de Badalioz, et de Elbora, et de Sanctarem venerunt subito et ex improuiso, et inuasit Castellum Leirene et succendit, occisis ibi quibusdam militibus, et alios secum adducens in captiuitatem, Pelagius etiam Guterri, cui [4] Castelli cura fuerat commissa ibi captus est.

Sequenti An. cum Alfonsus esset apud Tuden Galletie occupatus, Esmar subito missis copiis Leirenam cepit et succendit.

Per idem tempus Imperator D. Alfonsus filius Comitis Raymundi et Regine Done Orrace filie Imperatoris magni D. Alfonsi, coadunato omni suo exercitu de Castella et de Galletia, voluit intrare Regnum Portugallie, et uenerunt usque ad locum qui dicitur Valdeuez, sed Rex de Portugal D. Alfonsus occurrit ei cum exercitu suo, et obsedit iter per quod ille uenire uolebat, fixitque tentoria sua, isti ex hac parte, et illi ex altera parte, cumque ueniret aliquis ex parte Imperatoris ad Ludendum, quod populares dicunt Bufurdium, statim egrediebantur ex parte Regis Portugalis occurrentes eis, et Ludentes cum eis, qui in exercitu comprehenderunt Fernandum Furtado fratrem Imperatoris, et Consulem Pontium de Cabreira, et [5] Veremundum Petri, et Varella filium de Fernando Joannis germanum de Pelagio Curuo, et Rodericum Fernandi patrem de Fernando Roderici, et Martinum Kabra consobrinum consulis D. Pontii, et alios multos, qui cum eis venerant. Videns itaque Imperator quod omnia prospera eueniebant Regi de Portugal, et bona fortuna regebat eum, et quod Deus adiuuabat eum, sibi autem omnia contingebant aduersa, et quod si amplius cum eo in malum voluisset contendere, maiora interim consequerentur detrimenta, misit [6] pro Archiepiscopo Bracarensi D. Joanne et aliis bonis hominibus, et rogauerunt eos ut uenirent ad Regem Portugallis, ut pacem bonam, et firmarent ea que pacis sunt in perpetuum. Ita factum est, conuenerunt namque in uno tentorio ab eo pariter Imperator, et Rex Portugallis, et oscullati sunt inuicem, et comederunt, et biberunt in unum, et locuti sunt soli secretius, et sic remeauit unusquisque in propria in pace.

Per idem tempus Alfonsus Imperator Hispanie, filius Raymundi et Urrace Regine, et frater amitius Alfonsi Regis Portug., cum magnis copiis intrauit inter amnem Regionem ad locum Valdeuez, sed occurrente Rege Portugallie cum suo exercitu et captis quibusdam Castellanis nobilissimis, in loco qui uocatur ludi Bufurdii, nempe Fernando furtado fratre imperatoris, et Consule Pontio Cabreira, et Veremundo Petri et aliis. Sed cum bellum infeliciter ab Hispanis geri cepisset, imperator fecit interuentu Archiepiscopi Brachar. a prelio abstinere, et ambo reges congressi et simul prensi discedunt in pace.

Eodem quoque tempore uenerunt quedam naues exinsperato de partibus Galliarum, plene armatis uiris uotum habentes ire in Jerusalem, cumque uenissent ad Portum Gaye, et intrassent Dorium, audiuit hec Rex, et gauisus est cum eis, erant enim fere septuaginta, et paccitus est [7] cum eis ut irent ad Ullixbonam ipsi per mare,

Eodem Tempore obsidetur Olisipo ab Alfonso Henricio auxilio LXX. nauium gallicorum, qui terram sanctam nauigabant, et peruenerunt ad Portum Gaie, et intrauerunt Durium, sed tunc urbs capi non potuit, suburbana tamen et ager direptus et vastatus.

[1] quia
[2] *deest.*
[3] virtutes
[4] cuius
[5] *deest.*
[6] . Misit
[7] pace initus

et ipse cum exercitu suo per terram, et obsiderent eam, forsitan placeret Domino ut traderet eam in manibus eorum. Conuentione itaque facta, illi per mare, et Rex per terram cum exercitu suo uenerunt undique ad Ullixbonam, et circumdederunt, et oppugnauerunt eam, sed non potuerunt aduersus eam, quia nondum aduenerat tempus ut traderetur in manibus Christianorum, sed irruperunt suburbana eius, et demoliti sunt multas uineas, et succenderunt domos, et fecerunt plagam magnam in terra. Videntes itaque quod non cito, nec per multum temporis spatium non posset capi, etiam si quotidie foret obsessa, quoniam erat multum referta, et populosa, et tunc satis abundabat omnibus bonis, reliquerunt eam. Rex cum exercitu suo regressus est in terram suam, et illi marini naute abierunt uiam suam, quod tendebant ire in Jerusalem.

Era MCLXXX. idem Rex Portugallensium idem Rex D. Alfonsus cepit edificare castellum de Germanello anno regni sui decimo quarto. Videns namque habitatores de Colimbria in timore ei tremore positos, nec ausos se extendere ad laborandum per suos terminos, videlicet [1] Germanello, Aluorge, et Atheania propter frequentes incursiones, et depredationes, que ibi quotidie fiebant a Sarracenis, iccirco uisum est ei facere castellum illud in corde terre ad securitatem, et munimentum laborantium Christianorum, et detrimentum superuenientium latrunculorum Sarracenorum, posuit ibi milites qui custodirent illud, et essent tutamento, et defensioni Christianorum.

Era MCLXXX. Castellum de Germanello, ad arcendas populationes Barbarorum non procul a Colimbria edificatur a Rege Alfonso Henriquio.

Per idem temporis insurrexerunt Hismaelite aduersum Moabitas, id est, Andeluces aduersus Arabes, et expulerunt [2] eos de ciuitatibus, et de castellis suis, aduenerat namque iam tempus quo misereretur Dominus populo christiano, et amoueret iram suam ab eis, quam induxerat super eos tempore regis Roderici propter peccata eorum, et induxerat super eos Sarracenos, qui deuastarent Christianos, et possiderent terram eorum. Nunc autem placatus est Dominus propitius suo populo Christiano, et auertit indignationem suam ab eis, et immisit gladium inter Ismaelitas, et Moabitas, id est, inter Endeluces et Arabes, ut dissolaretur regnum eorum, et dissiparetur potentia et uirtus eorum, que preualebant aduersus christianos. Mortuo namque Herico rege, qui Arabes magis diligebat, quam Endeluces et eos eis preponebat et preficiebat, Endeluces non ualentes sufferre iugum eius, quod graue erat nimis, et importabile, omnes similiter pari uoto et uno animo concordantes Endeluces insurrexerunt contra Arabes, et eiecerunt eos de ciuitatibus, et de castellis, et expulsos coegerunt eos relinquere Hispaniam, et transire ultra mare, hoc autem operabatur diuina clementia, ut releuaret Christianos, et dilataret terminos eorum. Ex quo enim Arabes mare transierant, et uenerant in Hispaniam propter peccata eorum male se habuerunt Christiani, misit autem Dominus gladium inter eos, ut dissiparetur regnum eorum, et inualesceret regnum christianorum, qui eatenus fuerant conculcati et deminorati. Postquam autem expulerant eos, Rex Portugallie D. Alfonsus uehementer eos deuastabat, et depredabatur terram eorum militum, eos deprimens; et ad nihilum redigens. Iccirco coacti uenerunt ad eum, et Homagium ei facientes dabant ei tributum, et censum de ciuitatibus, et de castellis de Santarem, et de Ullixbona, et de uicinis suis, donec adimpletum est tempus que traderet Dominus ciuitates istas, et castella in manus Christianorum.

Era MCLXXXII. idem Rex Portugallis Donnus Alfonsus cepit reedificare castellum Leirene in eodem loco quo prius fuerat constructum decimo sexto regni sui anno.

Era MCLXXXIII. idem Rex Donnus Alfonsus accepit uxorem Donnam Matildam Comitis Amidei de Moriana filiam, et eam sibi legitimo coniugio copulauit anno regni sui decimo septimo, genuitque ex ea tres filios et tres filias, quarum unam postea copulauit Regi Legionensium Donno Fernando, scilicet D. Orracam. Aliam uero, id est, D. Tarasiam misit in uxorem consuli Flandrensium D.

Era MCLXXXIII. XVII. an. Regni sui Alfonsus duxit uxorem Matildam, vel Mafaldam, filiam Amadei Comitis de Moriana et Sabaudia, quia nusquam reperiri potuit femina Regii Sanguinis, que non esset in aliquo gradu consaguinea: ex ea suscepit filios tres et totidem filias, sed ex maribus solus remansit Martinus cognomento Sanctius successor atque Heres Regni, qui nocte festi D. Martini natus fuerat Era MCLXXXXII.

[1] uillam
[2] expullerant

Mortua est in primeua etate, duoque de [1] filiis mortui sunt, unus solus remansit, scilicet D. Martinus cognomento Sancius.

Era MCLXXXV. idem Rex Portugalis D. Alfonsus decimo nono anno regni sui nimia audacia et animositate succinctus noctu inuasit castellum de Sanctarem uiriliter cum paucis suorum, fretus Dei auxilio, et uindicauit eum sibi, et christianitati, interfectis et exclusis inde Sarracenis habitantibus in eo. Hoc autem factum est per uoluntatem Dei quinto Idus Maii ad galli cantum, illuscesente [2] die Sabbati. Et in eodem anno mense Julio Ullixbonam obsedit, cui prouidente ex alto diuina clementia multitudo nauium de Galliarum partibus celitus transmissa subito exinsperato aduenit in auxilium, quorum auxilio valde fretus obsedit ciuitatem per quinque menses, fortiter uexans et oppugnans eam terra et mari, nullum permittens eggredi, uel ingredi. Tandem uero nono Calendas Nouembris feria VI sexta diei hora cepit ciuitatem in manu ualida et in brachio extento [3], cooperante Domini pietate, et adiuuante Domino Jesu christo, exclusis inde Sarracenis.

Et Per diuersa tempora et annos accepit Sintriam, et Almadanam, et Palmellam castella munitissima, et uendicauit ea sibi et christianitati cum suis.

Eodem tempore accidit quoddam miraculum a Domino prestantissimum omnium quod operatus est Deus in mundum per seruos suos Reges antiquos, nam Rex D. Alfonsus cum LX militibus de Sanctarem nullam habentes armaturam nisi tantum clypeos, et hastas, et gladios sine loricis et galeis, et ferreis caligis fretus Dei auxilio, et adiutus diuina clementia pugnauit cum D. militibus Sarracenis bene armatis, et ferro coopertis, et ad bella doctissimis, et cum XL. millibus peditum bene armatis in campo de Alcacer, et deuicit eos, et interfecit multos ex eis, et ceteri fugerunt in munitionem. Ipse quoque ibi lancea uulneratus est a Sarracenis in tibia, quod qualiter gestum sit, breuiter narrabo.

Era MCXCII. natus est Rex Sancius filius Regis D. Alfonsi, et Regine D. Mathilde in nocte S. Martini feria quinta, iccirco in baptismo uocatum est nomen eius Martinus, postea cognominatus est Sancius. Natus est anno patris sui XXVI.

Era MCXCV. mense septembri obiit D. Alfonsus Imperator, filius Comitis D. Raymundi et Regine D. Orrace.

Era MCXCVI. tertio Non. Decembris feria quarta, hora diei tertia obiit famula Dei Illustrissima, clarissimo, et nobilissimo genere orta Regina D. Matilda, clarissimi Comitis Amadei filia, uxor D. Alfonsi Portugallensium Regis, cui sit uera requies. Amen. XXX.° anno regni Regis D. Alfonsi.

Era MCXCVI. septimo Calend. Julii feria II in die Sancti Joannis Baptiste captum fuit Castellum de Alcacer a Rege D. Alfonso. Jam quidem prius obsederat eum per duas uices adiutus multitudine nauium que aduenerant de partibus Aquilonis, id est de Francia, et finitimis eius partibus, sed nondum auerterat miserationes suas ab eis, nunc uero iam completa erat malitia, et iniquitas eorum, et auertit faciem suam ab eis, et tradidit eos in manus christianorum. Obsedit autem eum Rex D. Alfonsus tantummodo cum exercitu suo, fere per duos menses quotidie oppugnans eum fortiter, et tradidit eum illi Dominus in die S. Joannis Baptiste, eiectis inde omnibus Sarracenis anno regni eius XXXIII.

Era MCC. pridie Calend. Decembris in nocte Sancti Andree apostoli ciuitas Pacce, id est Begia, ab hominibus Regis Portugalis D. Alfonsi uidelicet Fernando Gunsalui, et quibusdam aliis plebeis militibus noctu inuaditur, et uiriliter capitur, et a christianis possidetur, anno regni eius XXXV.

Era MCCIV. ciuitas Elbora capta et depredata, et noctu ingressa a Giraldo cognominato sine pauore, et latronibus sociis eius, et tradidit eam Regi D. Alfonso, et post

Era MCLXXXV. Capitur Sanctarena VIII. idus Maii. Eodem anno capitur Olisipo VIII.^bris mense feria VI.^a meridiano tempore post V. menses obsidionis.

Per idem tempus cepit Sintra, Almada, Palmella.

Item LX. milites christiani Duce Alfonso Rege semiarmati uincit atque profligauit in agro salaciensi X. millia peditum bene armatorum, et quingentos equites ferocissimos sarracenos quod fuit instar ingenti miraculi. Rex Alfonsus lancea sauciatus est in tibia. Salacia capitur post bimestrem obsidionem era MCLXXXXVI. die ipso Joan. Baptiste.

Era MCC. pridie Kal. decembr. in nocte S. Andre Apostoli Ciuitas Paca, id est Begia ab hominibus Regis Portug. D. Alfonsi, videlicet Fernando gunsaluis et quibusdam aliis plebeis militibus, nocte inuaditur et uiriliter capitur et a christianis possidetur anno Regni eius XXXV.

Era MCCIIII. Ciuitas Elbora capta est et depredata et noctu ingressa a Geraldo cognomento sine pauore et latronibus sociis eius, et tradidit eam Regi D. Alfonso.

[1] e
[2] illuscensente
[3] extenso

paululum ipse Rex cepit Mauram, et Serpam, et Alconchel, et Coluchi castrum mandauit reedificari anno regni eius XXXVIIII.

Era MCCVI. factum est infortunium Regis D. Alfonsi, et sui exercitus in Badalioz anno XLI regni eius.

Era MCCIX. mense Augusto natus fuit Rex Alfonsus filius Regis Ferdinandi, et Regine D. Orrace, nepos Regis Portugallis D. Alfonsi.

Era MCCXII. nupsit Rex Sancius cum filia D. Raymundi Comitis de Barcinona Donna Dulcia, sorore Regis Aragonensis [1] D. Alfonsi, anno Regni patris eius XLVIII.

Era MCCXVI. Rex Sancius perrexit ad Hispalim cum exercitu suo, et intrauit Trianam antiquam urbem Sibillie, et dirrupit muros eius, et depredatus est eam anno regni patris sui XLI.

Era MCCXVII. mense Octobrio uenit Jacobus filius Elmunimo Imperatoris Sarracenorum, et frater eius Frocen ad Castellum de Ablantes, cum multitudine magna sui exercitus, quam dinumerare nemo poterat, et circumdederunt illud, illud inuadere [2], secum detrimento maximo sui exercitus IV die recesserunt inde peremptis ex eis multis militibus. Christianorum in propria obsidione per uoluntatem Dei non sunt interfecti nisi nouem tantummodo. Factum est autem hoc anno regni Regis D. Alfonsi LII.

Era MCCXVIII. iterum uenerunt ex improuiso et de insperato ad castellum de Coluchi, et occupantes diruerunt illud, interfectis et in captiuitatem ductis omnibus habitatoribus eius, LIII anno regni eius.

Era MCCXXII. anno regni sui Regis Portug. D. Alfonsi Jucef Abo [3] iacob Emir Elmunimo secundus Imperator Sarracenorum, filius de Ali Abelmuinem, qui dictus est Rex de asino, propterea quod in asino semper deambulans propheta, et sanctus ab omni populo putaretur, anno regni sui XXXII. Postquam subiugauerat sibi transmarina regna, et inuaserat maximas regiones ultra mare scilicet Capza et Gumera que fuerunt Regis Ali, et totum regnum de Marrocos, et citra mare totum regnum quod tenuerat Rex Lupus scilicet Valentiam, Murciam, et Granatam, et reliquas ciuitates et castella que fuerant Regis Lupi, uidens quod nemo erat qui ei posset resistere, et quod terror eius inuaserat omnes gentes, etiam usque ad Orientales partes, eleuatum est cor eius, et cogitauit uenire in Hispaniam, et comprehendere ciuitates, et castella, que aliquando fuerant a Sarracenis possessa, uidelicet Ullixbonam, Sintriam, Santarem, Elboram, Alcacer, et omnia alia castella, uel uenire Colimbriam, et sic denique subiugata sibi tota Lusitania usque Dorium, ascendens per ripam fluminis Dorii perueniret usque Toletum, nec desineret ab hac re, et ab hoc facto, etsi Rex Francie, et Rex Anglie, et Rex Aragonum, et Rex Castelle, et Rex Galletie, et Rex Portugallis pariter conuenirent, et pugnarent. Quantumque hec secum permeditans, et cum amicis consiliariis, et principibus suis se prope pertractans, misit nuncios ad omnes Reges qui ultra mare erant, et ad omnia regna terrarum transmarina, ut omnes uenirent sibi in auxilium, et concurrerent omnes, et subuenirent ad faciendam maximam mercedem ad delendam Christianitatem, et exaltandam et glorificandam suam gentilitatem, promittens omnibus qui ad eum uenirent uictualia et annonam, et omnia necessaria in unum annum sufficienter et abundanter daturum se eis. Quod audientes omnes, excepto toto suo exercitu de Marrocos, conuenerunt ad eum exercitus de Cumia, exercitus de Algarbe, exercitus de Gumà, exercitus de Cenhega, exercitus de Vmiuener, exercitus de Vinihuhialgar, exercitus de Chenierne, exercitus de Hela, exercitus de Hescora, exercitus de Henchega, exercitus de Harga, exercitus de Henchegar, et de multis aliis terris et prouinciis, quas non possum numerare. Sed et alius exercitus magnus, et sortis nimis conductus, qui uenit ad eum in auxilium, sicut Reges multi, Rex Auzchi de Abderraheme, Rex Azum

[1] Aragonensium
[2] inuasere
[3] Abem

Et post paululum ipse Rex cepit Mauram, Serpam, et Alcouchel, et Coluchi, et Castrum mandauit reedificari an. regni eius XXXIX.

Era MCCVI. Accidit infortunium Regis Alfonsi et sui exercitus apud Badalioz ubi captus est a Rege Fernando Legionis genero.

Era MCCXVI. Rex Sancius filius Alfonsi Hispalim usque peruenit, et ui cepit Thirianam, que nunc Triana, antiquam urbem fililie, eamque diripuit an. Regni Patris sui LI.

Era MCCXVII. Obsidetur Castellum Ablantes, Abrantes vulgo, ab Aben jacob filio Miramolini eiusque fratre Focem vel Hocem, sed innumerabilis eorum exercitus pulsus cum magna clade fuit, ex nostris VIIII. tantum desiderati.

Era MCCXVIII. Castellum Coluchi subito incurtione captum a sarracenis et dirutus, omnibus in captiuitate abductis.

Era MCCXXII. Accidit Victoria Maxima Alfonso de Joseph Ben iacob Miramolino filio Hali abdelmone qui dictus est Rex Asini, propterea quod Asino semper ueheretur et profeta sanctus a populo omni Sarracenorum haberetur. Hic Josephus cum esset Rex Mauritanie, Betice, Murtie, et Valentia, potentissima cogitauit de tota Hispania recuperanda, et coegit Hispali copias quorum numerum solus Deus numerare poterat qui pluuie guttas numerat; plurimis Regibus septus inuasit scalabi, sed pulsus et uictus est. Huius filius Jacob postea uictus est in betica apud Nauas Tolosa.

frater eius Rex Hecic Aben Muza, Rex Abuzach, Rex Ismae, et Abuiucef [1] fratres eius, et Abderramen Rex Zuz, et Zoleima, et Aburabe Rex de Chedala, et Rex de Bugia. Omnes isti de ultra mare naues quoque multas bellicas preparauit et onerarias portantes arma, et frumenta, et machinas ad soffodiendum muros, et ad transiliendum eos, misit etiam literas et nuncios ad filios suos, qui erant citra mare, uidelicet ad Abozach, qui erat Rex Sibillie, et Abdacu Abuialne, qui erat Rex de Corduba, et Abdarrhama, qui erat Rex de Cranata, et ad Gamu, qui erat Rex de Murcia et de Valentia, ut omnes prepararent se in prelium, et quo die ipse mare transnauegaret, et ueniret Sibilliam, omnes pariter conuenirent ad eum, et statuit illis tempus et mensem. Cumque omnia parata essent usui totius exercitus de diuersis profutura, et naues preparate, et omnis exercitus de diuersis partibus uenientium pariter esset conglobatus, ipse Imperator Sarracenorum Emirelmunimo Jucef Abeniacob ascensis nauibus cum suo omni exercitu transnauigauit mare, et uenit Sibilliam, Jacob quoque Abeniucef filius eius qui post eum regnaturus erat, cui ipse post mortem suam relinquebat totum imperium, uenit cum eo alius filius eius Abozabz qui erat Rex Fecis et de Algarbio, et dominum de omnibus Arabibus uenit cum eo, cumque conglobati essent omnes in Sibillia, uidelicet qui uenerant de ultra mare, et hi qui conuenerant ad eum de citra mare. Noluit ibi diutius immorari, sed statim struit castra, timens ne christiani audito nunc etiam prepararent ciuitates suas et castella ad resistendum, noluit itaque dare eis spatium ut muros instaurarent, alimenta prepararent, aut machinas edificarent, sed ueniebant ualde uelociter, ueniebant autem in multitudine graui, et innumerabiles sicut stelle celi, et ultra arenam maris, que dinumerari non potest pre multitudine, ut ferebatur. Ipse Imperator Emirelmumini resensuerat annales libros omnium regum Sarracenorum, qui fuerant ante ipsum, et uenerunt in Hispaniam ab eo tempore quo primitus ingressi sunt in Hispaniam, et multoties deuastarent eam, et inumerato maximo exercitu illorum qui inuaserant Hispaniam usque ad Alpes, ipse multo maiorem secum ferebat exercitum LXXVIII millia uirorum plus secum adducens, erat autem exercitus magnus ualde, et fortis operiens [2] montes, et ualles, et uniuersam superficiem terre, cuius numerum ille solus Deus dinumerare poterat, qui pluuie guttas potest dinumerare.

[1] Abemjucef

[2] occupans

CHRONICON COMPLUTENSE SIVE ALCOBACENSE

VEL MONASTERII SANCTAE CRUCIS CONIMBRICENSIS.

Parvum in Appendicibus ad Tom. 23 Hispaniae Sacrae *Floresius edidit chronicon, cui nomen* Chronicon Complutense *imposuit; quod in Complutensi urbe (Alcalá) cuiusdam membranei codicis,* Eusebii et aliorum Chronica *titulum ferentis, prima scriptum in pagina extabat.*

Monumentum hoc ipse historicus scriptor alicuius nostri regni scriptoris opus, res quoniam tantum Portugaliae gestas memorat, merito censet. Codex autem ille membraneus, a quo descriptum fuit, prostremos saeculi XIII. vix supergreditur annos. * *Varia Fr. Fortunatus a D. Bonaventura argumenta adducit,* ** *quibus hunc ipsum codicem ab Alcobacensi bibliotheca, ubi quondam servabatur, summotum demonstrat. In* homiliarum *quodam Sanctae Crucis Conimbricae monasterii codice saeculi XII., idem Fr. Fortunatus huius* Chronici *apographum, quod publici fecit iuris, invenit.* *** *Codex autem ille* homiliarum *anno* 1834 *iam sanctae crucis bibliothecae deerat: quem, praeter alia Alcobacensis bibliothecae MSS., perditum credere licet; quaedam enim monumenta penes eumdem Fr. Fortunatum a D. Bonaventura eodem anno raptim in Italiam profeciscentem, nec ultra revertentem, studiorum suorum causa, ut perhibent, detinebantur.*

Etsi Complutensem illum codicem, quem Floresius edidit, aliquot tantum indicibus eumdem fuisse, qui quondam in Alcobacensi Bibliotheca fuerat, coniici possit; hoc certum equidem est, apographum saltem ibi eiusdem quandoque extitisse codicis: in hac enim re magna Brandano fides adhibenda est, qui complutensem hunc codicem Chronicorum Gothorum *fragmentum ratus, lectiones aliquot varias, ab eo deductas in sua illorum chronicorum editione sub initium descripsit, laudans insuper in annotatione ad marginem et Alcobacensem, et Sanctae Crucis Bibliothecae codices, hunc scilicet, ut videtur, in* homiliarum *libro inventum, et in lucem editum a Fr. Fortunato a D. Bonaventura. Hic etiam in eumdem, ac Brandanus, erro-*

* Hispan. Sacr. Tom. 4 pag. 419.
** Hist. Chronol. et Crit. Alcobac. pag. 7 et sequent.
*** Commentarii de Alcob. MSStorum Biblioth. pag. 582 et seq.

rem inductus, illud Complutense Chronicon *(quod aequo iure Alcobacense, vel Conimbricense a Sanctae Crucis Monasterio appellandum esset) primaeva* Chronica Gothorum *fuisse existimavit: quod si verum esset; haec* Gothorum Chronica *vel* Historia *nihil aliud, nisi illius continuatio, vel paraphrasis fuissent: attamen nec apographum, quod Brandanus a Losada accepit; nec vetus ille Resendii codex huic favent opinioni.*

Chronicon Complutense *equidem, et* Chronica Gothorum *inprimis versiculis, easdem, similesque eventuum narrationes continent; hoc tamen non semper accedit, nec rerum tempora conveniunt: dum namque eiusdem aetatis eventus memorantur, rerum verborumque similitudo ita necessario incidit, ut si nulla alia de causa, praeterquam hac similitudine, antiqua scripta crederentur eadem; omnia fere illius rudis aetatis chronica congestarum in unum rerum velut compages, continuataque eadem series existimanda essent.*

In lucem apographum Complutense, Floresii annotationibus adiectis, proferimus: lectiones item varias Conimbricensis codicis inducere primum nobis in animo fuerat; sed cum tam parvi codicis integra editio aliquid voluptatis legentibus forte afferat, dum facillime unus et alter vicissim conferantur, iuxta illud hunc quoque vulgamus codicem.

Era CCCXIX. egressi sunt Gothi de terra sua.

Era CCCLVI. ingressi sunt Hispanias. Dominata est Hispaniae gens Gothorum annis CCCLXXXIII. [1] et de terra sua pervenerunt in Hispaniam per annos XVI.

Era DCCXLVIIII. expulsi sunt de regno suo.

Era DCCL. Sarraceni Hispaniam obtinuerunt. Antequam Dominus Pelagius regnaret, Sarraceni regnarunt in Hispania annis V.

Pelagius regnavit annis XVIIII.

Fafila annis II. mensibus VI.

Adefonsus regnavit XIX. annis, mense I. die I.

Froila reg. an. XI. mensibus V. diebus XX.

Aurelius ann. VI. mensibus VI.

Silo reg. ann. IX. mense I. die I.

Mauregatus reg. ann. V. mensibus VI. Sub uno fiunt anni LXXXI.

Tunc positus est in regno Dominus Adefonsus XVIII. Kal. Octobris sub Era DCCCXXVIII.

In Era DCCCXXV. [2] Almanzor accepit *Colimbriam* in Kal. Julii.

Era DCCCXXXVIII. Almanzor accepit Montem majorem. [3]

Era DCCCLXV. Rex Fernandus accepit Lamecum III. Kal. Decembris in die Sancti Saturnini mane in Sabbato. [4]

Era DCCCCII. VI. Idus Julii accepit Fernandus Rex Colimbriam. [5]

Era MCXVII. mense Julio primo die obscuratus est Sol: et permansit ipsa obscuritas duabus horis: et apparuerunt Stellae in Coelo, quasi media nocte.

Era MCXXIII. mense Maio Civitas *Toletum* a Rege Adefonso capta est.

Era MXXV. mense Octobris in *Sacralias* bellum magnum fuit.

Era MCXXXI. II. Kal. Maj. [6] Sabbato hora VIIII. cepit Rex Adefonsus *Sanctaren.*

Anno regni sui XXVIII. sexta die mensis, V. Fer. II. Nonas Maii [7] cepit *Ulixbonam.* Post hec die tertia, id est, Sabbato, VIII. Idus Maii cepit *Sintriam.*

Era CCCX. . . . . III. egressi sunt Gothi de terra sua.

Era CCCLXVI. ingressi sunt Hispaniam. Dominati sunt Hispaniam gens Gothorum CCCLXXXIII., et de terra sua pervenerunt in Hispaniam per annos XVII.

Era DCCXLIX. expulsi sunt de regno suo.

Era DCCL. Sarraceni Hispaniam obtinent. Antequam D. Pelagius regnaret, Sarraceni regnaverunt in Hispania annis VI.

Pelagius regnavit annos XIX.

Fafila annis II. menses VI.

Adefonsus regnavit annis XIX. mense I. die I.

Froila regnavit an. XI. menses V. dies XX.

Aurelius regnavit an. VI. menses VI.

Silo regnavit an. IX. mense I. die I.

Mauregatus regnavit an. V. menses VI. Sub uno fiunt LXXXI.

Post positus est in regno Domnus Adefonsus XVIII Kal. Octobris sub era DCCCXXVIII.

In era MXXV. Almanzor accepit Collimbriam IV. Kal. Julii.

In era MXXXVIII. Almanzor cepit Montem majorem.

Era MXCVI. Rex Fredenandus accepit Lamecum III. Kal. Decembr. in die S. Saturnini mane in sabbato.

Era MCII. VI. idus Julii accepit Fredenandus Rex Collimbriam.

Era MCXVII. mense Julio, prima die hora VI. obscuratus est sol, et stetit ipsa obscuritas II.as horas, donec apparuerunt stellae in coelo, et quasi media nox effectus est.

Era MCXXIII. mense Maio Civitas Toletum a Rege Adefonso capta est.

Era MCXXVI. mense Octobris in Sacralias bellum magnum fuit.

Era MCXXXI. II. Kal. Maii cepit Rex Adefonsus Sanctaren anno regni sui XXVIII. Sexta die mensis in eodem sexto die V.a feria II.a nonas Maii cepit Ulixbonam, et post haec die 3., id est, sabbato VIII. idus Maii cepit Sintriam.

[1] *Corrupti numeri praecedentes, et quotquot ad oram annos non habent*: Floresius.

[2] *lege* MXXV. *ex* Conimbr.*:* Flor.

[3] MXXVIII. *ex* Lusit. *et* Conimbr.*:* Flor.

[4] MXCV. *ex iisdem:* Flor.

[5] *Alii* MCII. *Non recte:* Flor.

[6] *Consentiunt numeri: fuit quippe littera Dom.* B*:* Flor.

[7] *Duae istae Feriae Erae tantum* 1130. *conveniunt: sed Annus regni Adefonsi Sexti (quod à morte parentis, Era* 1103. *auspicatur Auctor) non* 28. *sed* 27 *currebat:* Flor.

Era MC. . . Rex . . . . . . accepit Sanctaren XI. Kal. j. [1] XIII. Kalendarum Februarii Era MCII. [2] Rex Fernandus cum conjuge ejus Sancia Regina, Imperator fortissimus, simul cum suis Episcopis Cresconio Iriensi Apostolicae Sedis, Vestruario Lucensis Sedis, Sisnando Visensis Sedis, Suario Minduniensis, seu Dumiensis Sedis; similiter Abbatibus, Petro de Arcestio [3] Vimaranensi, cum suo praeposito Arriano confratre, et De comatio Caelle novae Arriano Abbate, et alii multorum filii bonorum hominum, obsedit Civitatem *Colimbriam*, et jacuit ipse Rex cum suo exercitu. . . . . VI. menses: et capta fuit in manus illius Regis per honorificentiam pacis, et cum presura famis. Et exierunt inde ad captivitatem V. millia L. Saracenorum, et fuit ipsa capta, et ipsa captivitas in Vespera S. Christophori, quae est VII. Id. Julii Era quae sursum resonat. Et obiit famulus Dei Fernandus Rex tertia feria, hora prima, VI. Kls. Januarii in die Sanctae Eugeniae Era M.C.III. intrante IIII.

Era MCXLIX. Rex Cyrus accepit Sanctaren XI. Kal. Junii.

[1] *Vide* Chron. Lusit. *sub* Era 1149: Flor.
[2] *Praecedere haec Era debebat: nec ipsa vera:* Flor.
[3] *Lege* asceterio: Flor.

CHRONICON LAMECENSE.

In quadam pagina ad initium addita cuiusdam martyrologii, *simul in eodem volumine cum alio codice*, obituarii *titulum ferente*, *compaginati*, Chronicon Lamecense *litteris saeculi XIII. scriptum inventum est*, *et servatur in Cathedralis Ecclesiae Lamecensis tabulario. Annotatio ibi exarata*, chronicon hoc *anno* 1262 *authentice*, *id est*, *auctoritate legitima*, *non privato arbitrio*, *ex alio antiquiori monumento descriptum fuisse*, *indicat. Publici iuris idem* chronicon *successive fecerunt in suis Dissertationibus* (Dissertações Chronologicas e Criticas Tom. IV. P. I. pag. 173) *Joannes Petrus Riberius; et in Historia Chronologica* (Historia Chronologica e Critica de Alcobaça pag. 166) *Fr. Fortunatus a D. Bonaventura*, *apographum valde incorrectum Fr. Emmanuelis de Figueiredo secutus. Riberii autem editio*, *praeterquam quod ad apographum descriptum*, *dum verborum numerorumque copia*, *quam vetustas delevit*, *integra et legibilis manebat*, *effecta fuit*, *correctior quidem est.*

Quod vero secuti sumus apographum (quoniam monumentum illud in Lameci urbe a nobis versatum ad nostram hanc editionem perficiendam incassum postulavimus) a viro probato quam maxima cura descriptum fuit: verba autem, et numeros vetustate deletos ab editione Riberii hausimus, *signis incisim*, *quae parentheses vocantur*, *numeros hos includentes; verba illa litteris italicis scribentes*, *ut discernantur ab his*, *quae legibilia adhuc manent.*

Omnes anni ab Adam usque ad christum sunt quinque milia C.XC.IX. [1]

Natus fuit christus in bethleem iude. Era XXX.ªVIII.

Decollatus fuit sanctus iohanes babtista. Era LX.ªVIII.

Sanctus iacobus apostolus. Era LX.ªI.

Sanctus petrus apostolus. Era C.VIII.ª

Sanctus ciprianus. Era CC.ª nonagesima nona.

Sancti iulianus et basilissa. Era CCC.ªXX.VII.ª

Sanctus martinus. Era CCCC.ªXVII.ª

In portugalia natus fuit Rex Alfonsus filius regine Tarasie et comitis Enrichi. *Era* (M.ªC.ª) XXXX.VIII.ª

Rex almanzor cepit montem maiorem. Era. M.ªXX.ªIX.ª

Ciuitas Lamecensis capta fuit per manus fernandi Regis in die sancti saturnini. Era M.LX.ª(XXX)V.

Ciuitas visensis capta fuit in die sancti cucufati a supra dicto Rege. M.LX.ª(XXX)VI.

Colimbria capta fuit ab eodem rege. IX.º kalendas augusti. Era M.ªC.II.ª

Toletum captum fuit ab alfonso Rege filio fernandi Regis ante dicti. mense iulii. Era M.ªC.ªXX.ªII.ª

Item in loco qui dicitur sagralas fuit prelium magnum inter christianos et paganos *preside* supra dicto rege alfonso. Era M.ªC.ªXX.ªV.ª mense octobris. Ex parte uero paganorum Regnabat Jucefi.

Sanctarena capta fuit a Rege Alfonso VI. nonas maii. feria II.ª hora tertia. Era M.ªC.ªXXX.ªI.ª [2]

[1] *In hac annorum computatione littera* C, *quae numerum centenarium indicat*, *pallidiori prae caeteris tinctura posterius renovata apparet.*

[2] *Recentioribus litteris huius aerae integra summa computatur.*

Item capta fuit Sanctarena a Rege cir. VI.º kalendas Julii. Era M.ªC.ªXXXX.ªIX.ª

Sarraceni occupauerunt castellum sancte eulalie nonis Julii feria III. hora *nona. Era* (M.C.LIIII.)

Haly Rex obsedit colimbriam per tres septimanas X.º kalendas Julii. Era M.ªC.ªL.ªV.ª

Rex alfonsus Legionis mortuus est. Era M.ªC.ªXXXX.ªVII.ª

Annus malus fuit. Era M.ªC.LX.ª

In loco qui dicitur oric fuit prelium inter paganos et christianos *preside* rege Alfonso *Portugalie* ex una parte, et rege paganorum examare ex altera qui ibidem mortem fu*giendo* . . . . . sitio euasit in die sancti iacobi apostoli mense iulii. Era M.ªC.ªLXX.ªVII.ª

Item Sanctarena capta fuit per iam dictum regem alfonsum. Era M.ªC.ªLXXX.V.ª

Ulixbona capta fuit a iam dicto rege alfonso portugalie et Sintria et almadana et palmela mense octobris. Era M.ªC.ªLXXX.ªV.ª

Obiit imperator yspanie mense septembris. Era M.ªC.ªLX.ª (XXX.VI.)

Alcazar capta fuit a iam dicto Rege Alfonso. Era M.ªC.ªLX.ª(XXX)VI.ª

Begia capta fuit a iam dicto Rege. Era M.ªCC.ª

Natus est Rex Sancius. M.ªC.ªLXXXX.ª

Elbora, et maura, et Serpa capte sunt a Rege Alfonso. Era M.ªCC.ªIIII.ª

Geraldus alcayde intrauit badalloucium VI. nonas maii. Era M.ªCC.ªVII.ª

Rex Alfonsus illustris filius Ordonii cepit *Colimbriam, et portucalem*, et ciuitatem Lamecensem, *et viseum*, *et* restaurauit bracaram et egitaniam, et regnauit annis XVIII.

CHRONICON LAURBANENSE.

In altera pagina folii litteris omnino carentis, quod percelebri testamentorum codici (Livro dos Testamentos) *monasterii Laurbanensis* (*Lorvão*) *praemittitur, duo reperiuntur monumenta sub initio saeculi XII., ut videtur, diversis tamen litteris scripta. Horum unum primorum* Benedictinorum *illius monasterii abbatum ordinem, et successionem continet: secundum vero quorumdam Portugaliae eventuum, ad Legionensium regum aetatem spectantium, chronicon, aut narrationem, memoriae prodit. In opere suo, cui* Portugal Renascido *nomen dedit, pag.* 147 *Fr. Emmanuel a Rocha catalogum illum abbatum vulgavit; chronicon autem Riberius, et Bonaventura in Dissertationibus, et Historia laudatis in prologo ad Chronicon Lamecense, typis mandarunt. Hanc nostram editionem ex illis antiquis monumentis, mutato tamen pro uniuscuiusque pretio ordine, chronicon primum describentes, depromptam edimus.*

Ranemirus rex — Santius rex — Veremudus rex.

Era DCCCC.IIII.ª obiit ordonius rex, et perhunctus est adefonsus in regno ipso die in sancto pentecosten.

Era DCCCC.VI.ª prenditus est portugale ad uimarani petri.

Era DCCCC.XI.ª uenit rex adefonsus in uama (*sic*), et in VI.º die uimara mortuus est.

Era DCCCC.XVI.ª prendita est conimbria ad ermegildo comite.

In era millesima C.ªII.ª sic prendiuit rex domno fredenando ciuitas conimbrie in die de sancto christoforo, in mense iulius.

Era millesima C.ªXL.ªVIII.ª obiit rex adefonsus III.º kalendas iulii.

Hec nomina abbatum de monasterium laurbanorum.

In primis Justus abba — Johannes abbas — Teodoricus abba — Dulcidius abba — Mestulius abba.

Huius discipulus sanctissimi uiri Primus abba qui obiit II.º idus agusti Era M.XX.III.ª

Beniamin abba qui obiit VI.º idus agusti Era M.XXV.ª

Ranemirus abba — Arianus abba — Ordinatio eusebii abbatis XIIII.º kalendarum aprilium Era M.C.LIIII.ª

Eusebius abba qui obiit III.º kalendarum marcii Era Millesima C.L.VI.ª Requiescat in pace amen.

BREVE CHRONICON ALCOBACENSE.

Ex MSS., quae in monasterio Alcobacensi quondam, nunc vero in Publica Olisiponensi Bibliotheca custodiuntur, codex ille numero 183 *signatus membranaceum est volumen ea magnitudine, quam* in 4.º *vocant, litteris saeculi XIV. conscriptum, veteris Cistertiensis ritus divinorum officiorum* breviarium *continens; ad cuius finem, et eiusdem saeculi item litteris scriptum hoc, quod sequitur, chronicon inventum est. In lucem antehac, nec satis correctum, in sua* Historia Chronologica e Critica de

Alcobaça, Provas e Addições pag. 42 *sub titulo:* Chronicon Alcobacense I.*: edidit Fr. Fortunatus a D. Bonaventura. In codice illo monumentum hoc recentioribus litteris sequenti epigraphe superscriptum apparet:* Breve Chronicon Rerum Lusitanarum. *Ex hoc ipso autographo nostram hanc editionem proferimus.*

Aliud praeterea Chronicon, quod numero: Chronicon Alcobacense II. *designavit, post hoc idem scriptor similiter edidit: cum vero hinc nullam rerum ante XIV. saeculum gestarum narrationem, praeter illam valde mendosam circa Alphonsi Henrici ortum, haurire possimus; hoc monumentum, simul et Conimbricensis chronici secundam Partem, in suum differre tempus statuimus; cum, inter saeculorum XIV. et XV. monumenta inseri unumquodque eorum rerum postulet ordo. Monumento itaque, quod, illorum vice tempora expectantium sua, nunc edimus, succedit hìc Reginae Beatricis* (D. Brites) *mortis narratio, in codice Alcobacensi* num. 120 *litteris XIV. saeculi scripta seorsum inventa, quam, quod nullum aliud antiquum documentum huius eventus aetatem certe docens praeter illam appareat, in lucem merito edere optavimus.*

Era M.ªC.ªXLVII.ª Natus est aldefonsus primus Rex Port. filius comitis enrici.

C.ªLXX.ªVII.ª habuit uitoriam famosam a rege esmare in campis duric.

C.ªLXXX.ªV. cepit samtarenam et ulixbonam et tunc obiit Era M.ªCC.ªXX.ªIII.ª et sepelitur in Monasterio sancte crucis, ubi etiam sepulta est Regina mafalda uxor illius, filia comitis manrique de lara et dominus de molina, qui fuit germanus comitis nuni qui liberauit generosos in burgis a pecta uel a subsidio.

Era M.ªC.ªXC.ªII.ª Natus est rex sancius bonus et in C.ªXC.ªVII.ª cepit siluim [1]: iste etiam sepultus est in Monasterio sancte crucis cum Regina dulcia de aragonia uxore sua.

Era M.ªCC.ªXX.ªIIII.ª natus est rex alfonsus filius regis sanchii et Regine dulcie in die sancti georgii et in anno sequenti natus est infans eisdem petrus qui cepit emeritam ciuitatem qui erat ex parte Regis legionensi. Iste alfonsus habuit duos filios, scilicet, sanchium capelum qui primus regnauit: de hoc habes libro VI.º capitulo « *grandi non in merito de supplen. ne. pre.* » duxit enim quandam uxorem de uiliori genere, scilicet, eluiram lupi et quia negligens fuit, datus fuit ei coadiutor germanus suus, et tunc exiit a regno et iacet toleto: pater eius alfonsus [2] sepultus est alcobacie cum uxore sua domna urraca filia regis castelle domni alfonsi qui uicit famosum prelium quod dicitur de muradal: predictus rex port. cepit alcaçar et alia castella sarracenis.

Post mortem dicti regis alfonsi regnauit sanchius filius eius XXIIII.or annis et exiit a regno et iacet Toleto: obiit Era M.ªCC.ªLXXX.ªV.ª Toleti.

Post sanchium regnauit alfonsus germanus eius XXX.ªII. annis et duxit in uxorem beatricem filia regis castelle qua habuit partem algarbii, ex qua habuit dyonisium et alfonsum qui iacet vlixbone in Monasterio predicatorum; in cuius tempore positum fuit ecclesie intredictum in toto regno port. per dominum martinum archiepiscopum bracharen. prima die Marcii Era M.CCCIIII.

Iste Rex alfonsus iacet alcobacie cum uxore sua. obiit Era M.ªCCC.ªXVII. Iste etiam fuit comes bolonie.

Era M.ªCC.ªXL.ªIX.ª VII.º idus octobris natus est rex dionisius filius predictis regis alfonsi et regine beatricis; et in era LII. natus fuit infans alfonsus qui iacet utlixbone in Monasterio predicatorum qui postea dixit quod deberet regnare eo quod adhuc uiueret comitissa bononie cum dyonisius natus fuisset, et quando ipse alfonsus natus extitit iam comitissa obierát, et sic dicebat quod dyônisius erat illegitimus et ipse legitimus. Sed dyonisius calide consuluit ey ut interficeret uxorem asserendo quod cornupetabat eum; et hoc fecit dyonisius ut ipse infans non haberet auxilium a castella quare ipsa, scilicet, domna uiolante fuit filia regis alfonsi et soror regis sancii de castella et habebat duas filias, scilicet, helisabeth quam duxit Johannes tortus, et beatricem quam duxit domnus petrus de guerra. Rex ergo dyonisius duxit in uxorem helisabeth filia petri regis aragonie, et Regine domne constancie: hec fuit filia macfredi, qui macfredus fuit filius frederici imperatoris, ex qua Regina helisabet. Rex dyonisius genuit regem alfonsum qui natus fuit Era M.ªCC.ªXXIX. VI. idus februarii, ex qua regina etiam dictus rex dionisius habuit Reginam constanciam quan duxit fernandus Rex castelle, ille qui obiit in alcoudete pater regis qui cepit algeziram, scilicet, alfonsi.

Era M.ªCCC.ªXII.ª V.º idus agusti Ingressus fuit Rex dionisius et helisabet uxor sua regnum aragonie, scilicet, ciuitatem tarroconam ad reformandam pacem inter regem Jacobum iames ara. frater dicte regine et re. fernandum castelle.

Era M.ªCCC.ªXXX.ªIIIIor Intrauit rex dyonisius per castellam usque ad uallem olleti et guerram, et tunc cepit castellum Rodericum, et sabugalem, et castellum bonum, et almeydam, et uilarem mayorem, et alfayates, et alia multa.

Era M.ªCCC.ªL.ªIX.ª in die sancti siluestri cepit infans alfonsus filius regis dyonisii colimbriam, et sequenti die kalendas, scilicet, ianuarii Era LX. cepit montem maiorem ueterem.

ad peticionem istius regis dionisii factus fuit ordo militie iesu christi in Regno Port. per papa Johanem Era M.ªCCC.ªL.ªVIII.ª quia eo tempore destructus fuit ordo templi.

Iste rex dyonisius obiit sanctarene tercia decima die Januarii Era M.ªCCC.ªLX.ªIII.ª et sepultus est in Monasterio quod ipse fecit quod dicitur odiuelas.

Elisabeth uxor sua Regina sancta ut dicitur Postea sepulta est colimbrie in Monasterio sancte clare quod ipsa construxit.

Era M.ªCCC.ªXX.ªIX.ª VI.º idus februarii ultima die februarii natus fuit Rex alfonsus filius Regis dionisii et regine helisabeth.

Era M.ªCCC.ªLX.ªIII.ª V. die octobris destruxit quodeseiram iste rex alfonsus.

Era M.ªCCC.ªLX.ªIIII.ª occidit Johannem alfonsi fratrem suum ulixbone in mare in qua ruit sepultura.

Era M.ªCCC.ªLXX.ªI.ª fuit annus malus ita quod alquer tritici constitit colimbrie XX soldos, et de milio tercedim

[1] *In margine, alia manu:* et mortuus est Era M.II.ºXLIX annos.

[2] *In margine, alia manu:* Mortuus est Era M.ªII.ºLXXI. et

soldos, et de centeno XVI, et multi mortui sunt pre magnitudine famis, et tunc seperunt idere sarraceni gibaltar.

Era M.ªCCC.ªLXXX.ªVI.ª fuit generalis pestilencia per toto mundo in qua mortui sunt due partes hominum.

Era M.ªCCC.ªLXXXX.ªIII.ª VII. dies Januarii occidit rex alfonsus domnam agnetem colimbrie.

Sub Era M.ªCCC.ªXXX.ªVIII.ª In Mense Agusti In festo sancti donati episcopi et martiris Domna Beatrix Regina portugalie et algarbii fuit defuncta, cuius Anima requiescat in pace amen.

CHRONICA BREVE DO ARCHIVO NACIONAL.

O IV. Livro das Inquirições de Affonso III., guardado no Archivo da Torre do Tombo, ou foi compilado dos rolos parciaes em que esses inqueritos eram successivamente lançados, ou foi transcripto do registo primitivo que não chegou até nós. O que é certo é que o codice em que se contêm aquella parte das inquirições geraes pertence evidentemente ao seculo XIV., e talvez aos fins delle. Ahi, a f. 6 *v., se lançou a breve chronica ou memoria que se segue, e que chega apenas ao reinado de D. Diniz, com os fins indicados no proemio da memoria, fins que, aliàs, ella está longe de preencher. Parece-nos ser a Chronica vulgar mais antiga que nos resta, e por isso a collocamos antes das de S. Cruz de Coimbra.*

Esta he a rrenenbrança dos Reys que fforom destes Regnos de portugall e do alguarue des o começo do Conde Dom anrriqui ataa presente Era que ora corre do nacimento de nosso sennor Jeshu christo de mil e quatrocentos e uynte e noue annos. A qual rrenenbrança serue a proll por que muytas uezes mostram perante ElRey nosso sennor e perante os seus iuizes algumas doaçoões e outras escripturas, que fazem em periuizo dos direitos e coussas da coroa dos Regnos, fazendo taaes cartas de doaçoões e escripturas mençom que forom outorgadas per huum Rey o quall segundo a dada dessa escriptura ja era finado ; E pera tirar estas duuidas aproueitam muyto estas eras. Porque em ellas faz mençom quando cada huum Rey começou de rregnar, e quando sse finou, e onde jaz sepultado. E estas eras forom escriptas certamente sabendose primeiro a uerdade do que em ellas he contheudo. As quaees aqui som escriptas na maneira que sse segue. E per ellas logo se pode ssaber a escriptura que nom for uerdadeira.

O conde dom Anrriqui que foy cassado com a Raynha dona Tareija afomso filha dElRey dom affomso de castella. Este conde dom anrrigui se finou em estorga do Regno de liom, E jaz sepultado na see da igreia de bragaa. E finou-se no dicto logar destorga na Era de mil e cento e cinquoenta annos.

ElRey dom afonso anrriquiz foy filho do sobredito Conde dom anrriqui e da Raynha dona Tareija. Este Rey foy cassado com a Raynha dona mafalda filha do Conde [1] *dom afomso de moliana filho dElRey dom afomso de castella.* [1] E ouue della estes filhos : O ifante dom sancho, E a ifante dona Orraca que foy casada com ElRey dom fernando de castella, E a ifante dona Tareija que foy casada com o conde de frandes. Este Rey naceo na Era de mil e cento e trynta e dous annos. E finouse em a Cidade de Coinbra seis dias de dezenbro Era de mil e dozentos e vynte e dous annos. E asy foy sua vida noueenta e huum annos. E jaz sepultado no seu moesteiro de sancta cruz da dicta Cidade de coinbra que elle fundou e acabou aa sua custa.

ElRey dom sancho filho do sobredicto Rey dom afonso anrriquiz. Este foy casado com a Raynha dona doce filha dElRey daragom. E ouue della o infante dom Sancho, e o ifante dom pedro, e o ifante dom fernando que foy conde de frandes, e o ifante dom Anrriqui, e a ifante dona mafalda que foy casada com ElRey dom anrriqui de castella, e a ifante dona sancha que foy gouernador do moesteiro de loruaão, e a ifante dona branca que morreo na auga dalfajar e jaz soterrada no dicto moesteiro de sancta cruz de Coinbra, e a ifante dona Tareija que foy casada com ElRey dom afomso de liom, que era sobrinho desse Rey dom sancho filho de sua irmãa, e finouse esta Raynha dona doce. E entom filhou ElRey huma dona de que se nom pode saber o nome, e ouue della dom Martim sanchez, e dona Orraca sanchez, e finouse esta dona E filhou dona Maria paaez rribeira a que elle deu Villa de Conde e ouue della dona Tareija sanchez, e dom gil sanchez, e dona Costança sanchez, e dom Ruy sanchez. Este Rey naceo onze dias de nouenbro da Era de mil e cento e nouenta e dous anos. E uiueo Cinquoenta e oito annos, E finouse na era de mil e dozentos e quareenta e noue annos. E jaz soterrado no moesteiro de sancta cruz de Coinbra junto com seu padre ElRey dom afonso.

ElRey dom afonso filho do dicto Rey dom sancho foy casado com a Raynha dona Orraca, filha delRey dom afonso de castella, e ouue dela o ifante dom Sancho, e o ifante dom afomso que foy Conde de bellonha, e o ifante dom fernando, e a ifante dona lianor. Este Rey naceo oito dias dabril da era de mil e dozentos e vynte e quatro annos. E finouse na era de mil e dozentos e saseenta e huum annos. E asy uiue trinta e sete annos, e jaz soterrado em o seu moesteiro dalcobaça.

ElRey dom sancho, que foy chamado capello, filho do sobredicto. Este se cassou com huma dona a que chamauão micia lopez per seu conselho. Este rrey por algumas cousas que fez em periuizo dos direitos do Regno e da justiça os prellados sopricarom ao papa e os fidalgos e concelhos. E por ello hordenou o papa Arrequerimento dos sobredictos que uiesse o conde dom afonso de bellonha seu irmãao gouernar estes Regnos de portugal e do algarue. E este rrey dom sancho Regnou em portugal vynte e quatro annos. E foisse para castella e allo andou dous annos. E finouse em toledo na Era de mil e dozentos e oiteenta e cinquo annos. E jaz soterrado na see de Tolledo, que elle fez acabar aa sua custa.

ElRei dom affonso, que foi Conde de bellonha, irmãao que foy do sobredicto. Este foy cassado com a Raynha

[1] Estas palavras estão riscadas e substituidas á margem em letra moderna pelas seguintes = *Amadeu ou Amedeu de moriena.*

dona beatriz filha dElRei dom afonso de castella. E ouue della a ifante dona branca, que foi senhora das Olguas de burgos, e o ifante dom denis, e o ifante dom afonso, e a ifante dona sancha, que morreo em Seuilha e jaz em alcobaça, e outros dous filhos que morrerom pequenos. E huum jaz en alcobaça e outro em o moesteiro de sam vicente de fora. E este rrey Regnou ataa dezesete dias de feuereiro da Era de mil e trezentos e dezesete annos. E assy regnou trynta e dous annos. E jaz em o seu moesteiro dalcobaça.

ElRey dom denis filho do sobredicto foy cassado com a rraynha dona Isabel filha delRey dom Pedro daragom, e ouue della a ifante dona Costança, que foy casada com ElRey dom fernando de castella, e o ifante dom afonso, que foy cassado com a ifante dona beatriz irmãa do dicto Rey dom fernando de castela. Este rrey começou de Regnar na sobredicta Era de trezentos e dezesete annos. E finouse sete dias de janeiro da Era de mil e trezentos e seseenta e tres annos. E asy rregnou quarenta e seis annos. E jaz sepultado em o seu moesteiro de sam denis doduellas dapres da Cidade de lixboa, que ell fez de todo aa sua custa. E rreteue pera sy e pera todos seus sobcessores o consentimento da inliçom que fezesem das abadessas quando alguma ouuesem denleger em abadesa desse moesteiro; E asy he contheudo em seu testamento e hordenaçom do dicto moesteiro.

CHRONICAS BREVES

E MEMORIAS AVULSAS DE S. CRUZ DE COIMBRA.

O codice 79 da Bibliotheca Publica do Porto, que pertenceu ao mosteiro de S. Cruz de Coimbra, contêm quasi na sua integra pequenas composições historicas, que evidentemente são anteriores ao seculo XVI., tanto pela materia, como pelos caracteres paleographicos do codice.

Este, cujo formato é o de folio pequeno, compõe-se de varios quadernos alli reunidos, parte em pergaminho, parte em papel, e escriptos por diversas mãos. Alem dos Monumentos que publicamos neste logar encerra aquelle codice memorias e apontamentos historicos especialmente relativos aos seculos XIV., e XV., que devem ser publicados entre os dessa epocha. Encontra-se, alem disso, ahi uma versão da vida de D. Tello e da historia antiga da fundação de S. Cruz, versão feita no meiado do seculo XV.

Principia o codice por uma compilação de memorias avulsas colligidas sem ordem chronologica de diversas fontes, e interrompidas uma vez ou outra por materias não historicas. Conhece-se que a compilação foi feita na ultima metade do seculo XV. não só pelo caracter da letra, mas tambem por abranger factos relativos ao reinado de D. Duarte. Extrahimos dessa collecção os artigos que diziam respeito ás epochas anteriores ao reinado de D. Diniz, reservando para depois os que pertencem a tempos posteriores, e conservando nos aqui impressos a ordem em que foram colligidos.

Segue-se uma rapida historia dos reinados de Affonso Henriques e de Sancho I. com o titulo: Esta he a arenga que fezerom em lixbô quando fezerom as festas aa emperatriz filha delrey dom eduarte. *Apesar de designada como um discurso oratorio, esta composição é rigorosamente uma especie de chronica dos nossos dous primeiros reis. O titulo, porêm, mostra a epocha em que foi escripta.*

Termina o codice por duas chronicas tambem dos fins do seculo XV., a primeira das quaes, escripta com certa extensão e dividida em capitulos, só contêm uma rapida noticia do conde Henrique, e a historia do reinado de Affonso Henriques. Parece ter servido de fundamento á de Duarte Galvão, e talvez seja apenas a primeira tentativa daquelle escriptor, cujas estreitas relações com o mosteiro de S. Cruz são conhecidas. A outra chronica, mais resumida, e escripta por diversa letra, abrange todavia um periodo maior desde o começo da monarchia até o reinado de D. Diniz, mas, como a precedente, é dedicada particularmente aos successos de Affonso I.

Estes quatro Monumentos, que publicamos debaixo do titulo geral de Chronicas Breves e Memorias Avulsas de S. Cruz, *vão impressos na ordem em que se acham no codice original, distinguindo-se entre si pelos numeros I, II, III, IV.*

I.

Des o começo que Deus criou o mundo ataa a encarnaçâo do filho de Deus foram cinquo mil e cento e noueenta e oyto annos.

E depois que foy o diluuio de noe ataa a encarnaçom foram tres mil e cento e quatro annos v meses e seis dias.

Entrou noe na arca com as cousas que lhe deus mandou xvii dias dabril, e foy em sesta feira, e sayo dela xxvii dias de Junho.

E des o tempo que naceo o gram Rey alexandre de macedonia ataa que naceo Jeshu christo ouue ii.^cxxi annos e tres meses e dous dias. Este Rey naceo em quarta feira.

E quando andaua a era de cesar em xxxviii.^o annos naceo nosso Senhor jeshu christo, e andados seis meses e seis dias da era de seteenta annos padeceo morte nosso Senhor jeshu christo pollos peccadores saluar.

Em a era de iii.^clxxvii annos no tempo de sam silvestre papa foy baptisado o Imperador constantino. E fez a sancta igreia Senhora do imperio na era de vi.^c annos.

Em a era de vi.^c annos se começou a seyta dos mouros de mafamede em arabia.

E quando andaua a era em vii.^c e l. annos regno ElRey Rodrigo em spanha, e durou em seu regno sete annos. E no seu tempo se perdeo a terra ataa as sturas e cobraramna os mouros.

Na era de vii.^clix. veo carnos filho delRey de frança a toledo a ajudar Rey galfore quando leuou galiana filha do dicto Rey mouro a paris e fezea christaa e casou com ella.

Era de viii.^clx se começou a ordem da caualaria de samtiago em tempo delrey ramiro.

Em anno da era de nouecentos annos no mes de Junho foram mortos os doze pares.

Em a era de mil e cento e doze annos em dia de sancto urbano filhado tolledo aos mouros.

Em a era de mil e cento e vynte e sete annos filhou cide Ruy dias aos mouros Vallença.

Em o anno de mil ii.^c e lxxiiii.^o annos na festa de sam pedro e sam paulo filhou ElRey dom fernando cordoua aos mouros.

Em o anno da era de mil e dozentos e oyteenta e sete annos em dia de sam clemente foy filhada seuilha aos mouros.

Em o anno de mil e ii.^cxii. annos foy a grande lide campal a que chamarom a de lharcos, a qual lide vencerom os mouros.

Em a era de mil ii.^cl. annos foy a grande lide campal a que chamaram a do miadal, a qual lide vencerom os christâaos, e assy se vingou a de lharcos.

Em o anno de mil e cento e sesseenta e cinquo annos tres dias de dezembro em dia de sam sadorninho filhou elrey dom Fernando lamego aos mouros.

Em o anno de mil e cento e sessenta e oyto annos viii.^o dias dagosto em dia de sanctiago filhou elrey dom Fernando a cidade de viseu aos mouros.

Em o anno de mil e cento e lxxv. no mes de mayo em dia de sam miguel filhou Elrey dom affomso anriquez sanctarem aos mouros, e auia entam nome cabilicrasto.

Em o anno de mil e cento e seteenta e sete annos filhou o dicto rey leirea aos mouros.

Em o anno de mil cento e nouenta e cinquo filhou o dicto dom afomso lixboa aos mouros.

Em o anno de mil c.xc.vii. filhou o dicto rey sintra aos mouros.

Em o anno de mil c.xc.viii.^o aalem de crasto verde no campo dourique lidou o dicto Rey dom affomso anriquez com cinquo Rex mouros, e o de mayor poder auia nome Ismar, e prouue a deus que os venceo.

Este Rey fez sancta cruz de coimbra e em ella jaz.

. . . .

Dom afomso o primeiro rey de portugal como tomou leirea aos mouros logo dotou aa uera cruz leirea com toda a jurdiçom real e com todo o eclesiastico. E o prior dom Joham pos homens pera a defensarem, e vieram os sarraziis e tomarom leirea per força. E dom Joham prior de sancta cruz com muyto grande despecto buscou gente darmas e foisse a arronches, que era dos sarraziis, e per força darmas a tomou. E per aquy fez emmenda da pouca diligencia e pequeno cuidado que teue pera defensar o castello de leyrea.

. . . .

O castello de leyrea era dos sarraziis, e corriam a terra ataa coimbra. E faziam muyto mal aos christaaos em soyre e em pombal. E o arcediago dom tello temendo se que assy o podiam fazer aos coonigos religiosos mandou fazer huum muro em caramanchões a redor da igreja e claustra.

. . . .

ElRey dom afomso anriquez venceo em campo cinquo Rex mouros em campo dourique, e foi alleuantado por Rey.

ElRey dom affonso anriquez per duas vezes tomou leyrea aos sarraziis.

ElRey dom afomso anriquez tomou lixboa aos sarraziis.

ElRey dom affomso anriquez pos o primeiro bispo em lixboa e auya nome gilberto.

ElRey dom affonso anriquez pos o primeiro prior em ho moesteiro de sam vicente de lixboa, e mandou por elle ao moesteiro do banho. E elle auia nome dom meendo, e foi ellecto por bispo de lamego. ElRey mandou por outro conigo ao banho e deulhe o moesteiro, e auia nome godinho.

ElRey dom afomso anriquez fez o moesteiro de sam vicente e ornou com muitos beens.

ElRey dom affonso anriquez fez o moesteiro de sam christouam que he em terra dalafõoes. O qual moesteiro primeiro foy huum oratorio de clerigos de boa uida. E elle o ornou com herdamentos.

ElRey dom afomso anriquez fez o moesteyro de ceyça e nom o acabou. E leyxou o cargo a seu filho dom sancho que o acabasse.

ElRey dom afonso anriquez tomou euora aos sarraziis e fez a see desse logo. E fez hy huum spirital que se chama de Jherusalem. E deu pera comprarem em beens de raiz oyteenta mil dinheiros douro. E os pobres de christo fossem hy recebudos com caridade, aos quaes dessem a cada huum senhos pâaes de trigo e senhos vasos de vinho, e que o metam em sua oraçom.

ElRey dom affonso anriquez deu pera feitio da claustra da see de coimbra xxii mil dinheiros de ouro.

Este Rey dom affonso anriquez foy o primeiro que ordenou a ordem de sanctiago em portugal.

ElRey dom affomso anriquez gaanhou aos sarraziis almadaa, e moura, e eluas, e serpa, e sintra, e beja, e alcacer e cezimbra.

. . . .

O muy nobre Rey dom sancho, que jaz em o moesteiro da virtuosa cruz, pos aquy huma cruz douro com algumas pedras de virtude e em o meo da cruz do lenho em que se ue christo nosso redemptor. E deste lenho furtarom muito.

Este mui nobre Rey dom sancho pos em o altar moor huma cruz de prata muito grande com quatro euangelistas em as portas.

. . . .

Em huum liuro de sam pedro da almidina diz que na era de mil e dous annos ElRey de castella dom fernando o mayor tomou coimbra aos sarraziis. Este Rey logo fez principe e duque dom Fernando da dicta cidade.

Este Rey dom Fernando de castella o mayor jouue sobre coimbra sete annos. E sanctiago apostolo lhe abrio e desfechou as portas.

ElRey dom Fernando fez caualeyro Rodrigo de umar e cingio lhe a spada e deu lhe paz em a boca. E elRey dom Fernando em a mizquita mayor fez nouecentos caualeyros todos nouees.

O primeiro conde que ouue em portugal auia nome dom anrique, e foy filho delrey de ungria filho segundo. Este conde dom anrique foy padre de Dom affonso o primei-

ro rey que ouue em portugal, o qual jaz em o moesteyro de sancta cruz de cooimbra. E este conde dom anrique fez a see de coimbra. E o primeiro bispo que ouue em coimbra auia nome dom bordim ca assi o diz a cronica.

Este conde dom anrique fez as sees cathedraaes de uiseu e de lamego e do porto, e pos em estas sees bispos per lecença e actoridade do sancto padre.

Este conde dom anrique deu aos bispos as rendas das ditas sees em dote pera sempre.

Estas sees consagrou dom bernardo arcebispo de tolledo.

A este tempo bragaa era destruida dos immigos: este conde dom anrique a poborou e refez. E elle morreo em storga e mandou se enterrar em bragaa, e hy jaz honradamente.

E quanto he ao spiritual o arcebispo dom bernardo arcebispo de toledo refez a see de bragaa e a tornou aa dignidade primeira. E dom bernardo pos por arcediago de bragaa dom giraldo que a este tempo era seu chantre em tolledo.

Em huum liuro da samcristia diz os primeiros irmãaos religiosos que começarom e edificarom ho moesteiro de sancta vera cruz e em ella guardaram a regra e ordem dos apostóllos; foy so a era de mil e cento e seteenta annos XXIIII dias de feuereyro.

Em a era de mil II.ᶜLXX annos em huma sesta feira aos XXX dias de mayo aa hora da sexta scureceo o sol, e a lua e muitas strellas aparecerom no ceo, Ca assy aprouue a nosso Senhor Deus.

Em a era de mil e cento e seteenta e quatro a XI dias de dezembro ElRey dom affomso filho do conde dom anrique começou de edificar o castello de leyrea em terra deserta.

Em a era de mil e cento e seteenta e huum annos XXIIII dias do mes de setembro huum Rey mouro, que se chamaua Ismar abuzicre, destroyo o castello de leyrea. E foy preso payo goterrez coonego do moesteiro de sancta cruz.

Em a era de mil e cento e LXXIII annos XXII dias do mes de feuereyro este meesmo dom afonso começou outra uez edificar o castello de leyrea.

O primeiro prior deste mosteiro auya nome dom todom: elle deu ao bispo de coimbra o couto de lauãaos com a igreia do dicto logo.

. . . .

A cronica de spanha conta que elrey dom affonso de castella ouue seis molheres de bençom e huma barragaa. E huma destas molheres ouue nome dona costança de que ouue huma filha que auia nome dona orraca, que foy casada com o conde reymon, e ouueram uma filha per nome dona sancha, a qual amando a virgindade nunca quis casar. E foyse a Iherusalem em romaria. Estando ella em o hospital do templo seruindo a deus, albergando os pobres e seruindo os com caridade, o Senhor lhe quiz fazer tam alta mercee que lhe deu fogo nouo em a sua lampada em dia do spiritu sancto alumiada pellas mãaos dos angos. Esto nom he apocrifo mas cousa muy verdadeyra.

II.

Este he o mui alto e muito excelente Rey dom affomso anriquiz o primeiro Rey de portugal filho de dom anrrique que foy conde de portugal e da ifanta dona tareyja. Da parte de seu padre descendeo per linhagem dereita dos reys daragam, e da parte de sua madre dos Rex de castella. E este muito excelente Rey foy o primeiro que acrecentou em a espana a mui alta dinidade da coroa dos Rex de portugal. E elle venceeo em a batalha o conde de trastamara que era casado com sua madre porque lhe occupaua o senhorio, e per menagem o fez hir morar fora da espanha.

E uenceeo o emperador seu primo com todo o poder de castella e de leom e do reino daragom omde se chamam os arcos de val de uez, por que lhe queria tomar sua terra.

E assy pellegou e uenceeo cinquo rex mouros no campo douryque omde lhe apareceeo noso Senhor ihesu christo posto em a cruz. Por cuiya e semelhança do diuinal misteryo pos em seu escudo as armas que ora trazem os Reys de portugal.

Este muito nobre Rey foy o que primeiramente tomou a mui leal cidade de lixboa aos mouros, e santarem, leirea, alemquer, obidos, e torres uedras com todos outros lugares da estremadura.

E trouxe o corpo de sam uicente do reyno do algarue, que emtom era de mouros, a cidade de lixboa. E fez hi huum mosteiro a onrra de sam vicente marter.

E este muito nobre Rey fez as maiores casas dooraçom que ha em estes Reinos de religiosos, comuem a saber, o moesteiro da uirtuosa cruz que he em coinbra, e o moesteiro dalcobaça, e o moesteiro de sam vicemte de fora.

E foy casado com dona mafalda, que era filha do conde dom anrique de lara, que era a mayor e mais alta linhagem despanha. Filhou a vila de beia, e alcacer, e cizimbra aos mouros.

E uenceeo elRey de badalhouce em campo, e com elle seteenta e quatro mil mouros.

E este muito honrado Rey foy persoalmente no grande desbarato que se fez a par de santarem quando foy morto o gram miramollim de marrocos, e desbaratados e mortos com elle treze Reys mouros com muita multidooe de mouros daalem e daaquem mar.

Ante de sua morte tres filhas que tinha, comuem a saber, dona mafalda casou com ho comde Reymon de barcellona de que descemde toodaa linagem real da casa daragom, E dona orraqua com elRey dom fernando daragom e de liom de que descemdem todollos Reys e principes de castela e de leom, e dona tareija com dom fillipe comde de frandes de que descendem os Reys de ingraterra e do ducado de brogonha e de frandes.

E forom os anos deste muito virtuoso Rey noveenta e hum, dos quaaes os seteenta e tres posoyo emteyramente o senhoryo do Reyno.

E pero tamto tempo senhorezase e regese, tamto foy o seu cuidado de acrecentar em a onrra do reyno que amte de sua morte emcomendou a seu filho que fezese as lex e foros que uisse que compriam pera boo regimento do reino, mostrando que em toda sua vida nunqua teuera tempo ocioso em que as podese fazer.

Este bem auenturado Rey tomou o castello de leyrea a muros, e despoys elRey Ismar abuzy tomou o dicto castello de leyrea, e foy prezo paaio goterrez conigo de santa cruz. E despois tomou o dicto castello elRey dom affonso, e jaz este bem auenturado Rey em o mosteiro de sancta cruz de coinbra, o qual moesteiro elle mandou fazer.

ElRey dom sancho foy muito virtuoso Rey, primeiro no nome, e segundo na dinidade. O qual seemdo principe e uiuendo ainda seu padre leuou sua hoste per seu mandado ataa cidade de seuilha auendo muitas escaramuças com os mouros com os quaaes ouue huma batalha mui grande no emxarafe, a qual venceeo. E seguio os emcalços ataa os arraualdes de teriana, e em a qual emtrada foy tam grande pelleya que foy achado em huma cronica que fez açome capellam dos mouros de seuilha, que tamanho e tam grande foy a mortimdade dos mouros que toda a agoua do rio dalquiuir foy tinta de samgue. E desta vez correo andaluzia a mayor parte della e do reyno do algarue domde trouxe muitas riquezas com muito grande onrra.

Outro sy uenceeo huma muito grande batalha que ouue com os mouros acerqua de beja teedoa os mouros cerquada omde morreram muitos milhares delles.

Seu padre bem auenturado Rey dom affomso mandou este grande principe seu filho com muito grande esforço aa uilla de santarem quando a cerquou miraamollim. E foy hy morto e desbaratados e mortos com elle treze Reys com infiinda moltidom de mouros daaquem e daalem mar estamdo per muitos dias este nobre principe no arrabalde de fora dos muros em huum soo palanque omde se fezerom muito gramdes pelleyas nom sem grande mortiindade de muitos mouros, e aaffim esteue com o dicto seu padre na destroyçom e morte de miraamolym e dos outros que erom com elle. Foy ainda chamado laurador porque fazia laurar todas suas terras com gram diligencia.

E elle pouorou couilhaa e o castello da coua que ora chamo da coua uelho, e a pouoa de dom Joham, e a cidade da guarda, e bragança, e a ponte de uiuas, e palmella, e monte moor, e outros muitos lugares. E foy cassado este muito grande principe com a raynha dona doce filha delrey daragom e da raynha dona orraqua da qual ouue XV filhos e filhas, os quaes casou com Reys e raynhas e grandes principes em tamto que quaasy que toda a lynhagem real da christiidade foy tinta da sua geeraçom. E elle tomou a cidade de sylues aos mouros, e renouou o castello de palmella, e fez de nouo o castello de sezymbra, e tomou sam paao do lodo, e ponte uedra que he em galyza, e fez o castello de monte moor o uelho, e gaanhou o castello deluas.

Em ho dia da asumçom de santa maria foy armado o bem auenturado Rey caualleyro per seu padre elRey dom afomso em coinbra. Forom os anos de sua uida cinquoemta dos quaaes reinou vinte VI.

Jaz em o moesteiro da uirtuosa cruz de coinbra a par de seu padre muito onrramente.

III.

Como e donde descenderom os reis de portugal.

Conta a estoria em este lugar que a linhagem dos Reys de portugal veem per esta guisa. ElRey dom affomso tomou tolledo aos mouros e casou huma sua filha, que avia nome dona tareija, com huum conde que auia nome dom anrrique. Este cassamento fez elRey por duas cousas, a primeira porque este conde era muy fidalgo e de grande sangue e era primo con irmãao do conde dom Regmom de tollosa, E ueerom com elle de sua terra pello homrar em seu casamento por fazer romaria a santiago; e a outra porque era o milhor homem darmas per seu corpo que se podia saber. A este conde deu elRey com sua filha parte de galiza com o que era gaanhado de purtugal, e deulhe certa terra por sua conquista com certas condiçções segundo nollo já a estoria ha já deuisado. E este conde ouue muitas batalhas com os mouros e com os leoneses e senpre os venceo e tomoulhes muita terra. E ouue huum filho de dona tareija que ouue nome dom affomso anrriquez, e huma filha que ouue nome tareija anrriquez: estando elle em estorga, que era sua, enffermou de door de que morreo. E a este tempo tynha elle aprezada a cidade de Leom que se a quatro mezes lhe nom acorresse o enperador que fosse. E ante que morresse chamou ante sy aquelle seu filho affomso anrriquez e disselhe: filho toma essforço no meu coraçom, toda terra que eu leixo que he destorga ataa Leom e ataa coinbra nom percas della nenhuma cousa, ca eu a tõmey com muito trabalho: filho toma essforço no meu coraçom e sey semelhauel a mim e sey companheiro aos fidalgos e dalhes todos seus dereitos aos concelhos, fazelhe honrra e faze de guisa que todos aiam direito assy os grandes como os pequenos, E por rogo nem por cobyça nom leixes de fazer justiça. E porem meu filho senpre em teu coraçom ama justiça, ca o dia que a leixares de fazer huum palmo logo o outro dia ella se affastara de ty huma braça, e porem meu filho ama a justiça e aueras a beençam de deus e a graça e a benquerença das gentes, e nom conssentas aos teus homeens seer soberuosos e atreuudos em mal fazer nem faça força a nenhuum ca perderas teu boo preço se taaes cousas nom castigares. E manda logo chamar os destorga e fazerte ey que te façam menagem, e logo que eu morrer vay comigo fora da uilla e logo te torna e nom ha perderas ca daqui pederas conquistar todo o all, e mandame soterrar em bragaa que eu poborey. E despois que ouue castigado o filho destas cousas e outras muitas, que aquy nom dizemos, morreo. E logo que foy morto guisou o filho como o fossem soterrar a bragaa. E des que todo foy guisado perguntou dom affomso anrriquez aos seus se hiria ao enterramento de seu padre ou nom, e elles lhe disserom que fosse com seu padre ca toda a terra nom auia que temer. E em quanto allo foy perdeo toda a terra de leom que o conde tynha por sua, mais nom lhe poderom tomar galliza. E despois que lhe esto fezerom mandou desaffiar o enperador. E entom se foy elle pera purtugal ca sua madre casarasse com dom uermumy perez traua, mais despois lha tomou o conde dom Fernando seu irmão e casou com ella. E casou dom uermumym perez com huma sua filha e do conde dom anrrique que auia nome tareija anrriquez. E por este pecado foy despois feito huum moesteiro que chamam sobrado. O conde dom Fernando era aquella sazom o milhor homem despanha que Rey nom fosse, e por esta razom alçousse toda a terra a dom afomso anrriquez com sua madre. E elle quando esto vio forçou dous castellos huum nenha, e outro castello da feira. E danbos estes castellos fazia elle guerra mortal a seu padrasto entanto que ouuerom a fazer treegoas que podessem fallar. E a esta sazom era já dom affomso chamado ja principe. E quando fallarom disse o conde: principe nom andemos em esto e vaamos huum dia a batalha ca ou nos sairemos de purtugal, ou uos. E o principe respondeo: certo, conde, bem deuia deus de ueer tal cousa que me uos queredes deytar da terra de meu padre que elle ganhou aos mouros. E sua madre lhe disse: minha he a terra ca meu padre elRey dom affomso ma leixou. E o conde lhe disse: nom nos faz mester de pallauras ca ou leixaremos a terra a uosso filho se mais poder que nos, e hirnos-emos em galliza, ou de todo ficaremos em portugal. E logo aprezarom a batalha que fosse em guimarães em logar que dizem sam redanhas. E quando foy o dia do prazo forom ajuntados em batalha. E quando ouuerom dentrar em ella disse a Rainha: conde com uosco quero hir na az, e aueredes que fazer por meu amor. E foy feita a batalha. E o principe foy arrancado do campo, e hindo fogindo a huma legoa de guimarães encontrou com dom egas muniz que vynha em sua ajuda com elle. E quando o vio assy vyr disselhe: que he esto Senhor como vyndes assy. E elle disselhe: venho muy maltreito ca me arrancou do canpo meu padrasto e minha madre, que vynha com elle na az. E entom lhe disse dom egas muniz: recolhede toda a gente que vem fugindo, e tornemos a batalha, e prendamos uosso padrasto e uossa madre. E entom tornarom a batalha, e venceromna, e prenderom o conde e sua madre, e o conde cuidou logo de seer morto e fezelhe preyto e menagem, que nunca entrasse em purtugal, e elle soltou o, e foy pera sua terra, e nunca mais entrou em purtugal. E o principe prendeo sua madre e metea em ferros, e ella quando se vyo presa disse assy: meu filho dom affomso, prendesteme em ferros e exerdasteme da honrra que me meu padre leixou, e quytasteme do meu marido, e eu rogo a deus que ainda uos seiades preso como eu soom, e porque metestes ferros em minhas pernas ferros quebrantem as uosas. E esto se conprio despois segundo uos a estoria deuisará em seu logar. Mais ella mandousse desto querelar ao enperador seu sobrinho e mandou ho rogar que a tirasse de prisom e que ouuesse todo portugal.

E os portugueses teuerom todos com o principe, e como souberom que se o enperador guisaua por vyr em purtugal foronsse todos muy bem guisados a huum lugar que chamam uall de uez e atenderom hi. E o enperador vynha com muy grande poder daragam e de castella e de leom e de galliza, e quando chegou ally o principe pos lhe a batalha, e foy uencudo o enperador e fugio da batalha em cima de huum cauallo branco com duas lançadas em a perna deestra. E o principe matoulhe muita gente e prendeolhe VII condes e muitos caualleiros, e despois que uenceo a batalha conquistou todallas fortallezas de purtugal assy como se fossem de mouros e leuou comsigo sua madre presa. E acabado pouco tenpo estando o enperador em tolledo doendosse do mal e desonrra que recebera do principe e teendo que toda a espanha lhe auia de conhecer senhorio, falou com todos seus ricos homeens em grande segredo como queria vyr sobre o principe. Ajuntou grandes conpanhas e fosse a galiza nom dando a entender o que queria fazer, e entrou em portugal asy de sospeita que cercou o principe em guimarãaes, e a uilla nom estaua basticida como conpria em tal guisa que a poucos dias a tomara o enperador se hi esteuera. Mais

huum seu amo do principe, que auia nome egas moniz, quando o uio em tal perygoo ouue grande temor de seer ally preso, e andando o enperador huum dia em redor da uilla, catando o logar mais fraco por onde o podesse tomar, dom egas muniz caualgou em cima do seu cauallo e sayo pella porta da uilla soo sem sabendo nenhuum o que elle queria fazer, e foisse pera o enperador, e elle quando o vyo viir foyo receber, e dom egas moniz beyjoulhe a mãao, e o enperador lhe disse a que era viindo; e dom egas moniz, como era bem fallante e grande sabedor de guerra, disselhe que lhe queria fallar cousas de seu seruiço. E despois que se apartarom a fallar disselhe dom egas moniz: senhor a que ueestes aqui, e elle disse que por tomar seu sobrinho, porque lhe nom conhecia senhorio; e entom dom egas moniz lhe disse: senhor, uos non fizestes cordura de viir aca ca se uos alguem disse que ligeiramente poderiades tomar esta uilla nom uos disse uerdade, que certo seede que ella esta açallmada do que ha mester pera dez anos, e bem sabedes uos que iaz hi o principe vosso primo, que he muy boom fidalgo, com muitas conpanhas e muy bem guisadas pera guerra, pella qual razom nom poderedes fazer o que queredes, e em estando aquy, poderedes receber dampno dos mouros em vossa terra; e quanto por o feito da Raynha sua madre nom o deuedes de culpar ca elle fez o que deuia, ca ella o quisera matar e enxardar da terra que seu padre gaanhou aos mouros, e que elRey dom affomso vosso auoo e seu lhe leixou. Mais quanto he do que dizedes que he rezam de uos conhecer senhorio e hir a uossas cortes, e eu assy o tenho que bem mais uos o nom deuedes de culpar ca os seus mesteres forom tantos que nom pode all fazer. Mais se o uos quiserdes segurar e alçaruos daquy e hiruos pera uossa terra, eu uos farey que huum dia, qual uos quiserdes, que uaa a uossas cortes onde uos diuisardes, e desto uos farei menagem. Estas pallauras e outras muitas lhe disse dom egas moniz pollo fazer alleuantar de sobre a uilla. E o enperador lhe disse: dom egas, quero creer uosso conselho com esta condiçom, que uos me façades menagem que o façades hir a minhas cortes a tolledo, e que faça conhecimento quall deue. E entom egas moniz lhe fez menagem assy como lhe o enperador demandou, e elle segurou o principe e toda sua terra, e pormeteo que logo em outro dia se partisse de sobre a uilla. E logo que ouuerom feito seu fallamento e firmado seu preito tornousse dom egas moniz pera a villa, e o enperador pera suas tendas. E desto que elles assy fallarom non souberom parte se nom muy poucos.

Como o enperador se leuantou de sobre guimarãaes.

Em outro dia em grande manhãa leuantousse o enperador com toda sua oste e foysse seu caminho. E andarom tanto que chegarom a castella. E quando o principe dom affomso anrriquez vio asy hir o enperador, e nom sabya a razom porque, foy muy marauilhado e perguntou a dom egas moniz se sabia que era aquillo. E elle lhe disse toda a uerdade como passara. E quando o principe o ouuio ouue a tam grande pesar que parecia que queria morrer: certo eu queria ora seer ante morto de maa morte. E dom egas moniz lhe disse: Senhor, nom uos queixedes, qua eu penso que eu uos fiz muito seruiço, qua uos nom auiades aqui senom mui pouco mantimento, e falecendo tomaromuos a uilla per força e uos forades morto ou preso, e o senhorio de portugal dado a outrem. E porem Senhor nom uos deuedes de queixar qua tenho que uos liurey da morte e de seerdes deserdado: quanto he a menagem que eu fiz, Esto foy sem uosso mando nem doutro nenhuum, e assy sem uosso conselho nem doutro nenhuum o liurarei muy bem aprazendo a deus assy como uos bem poderedes ueer, que ainda que uos a llos quiseredes hir nom uollo consentira eu, qua nom entendo hi a uossa prol.

Como dom egas moniz foy aas cortes de toledo ao enperador.

Quandoo foy viindo o tempo do prazo em que o principe auia dir aas cortes de tolledo, segundo a menagem que dom egas moniz fezera, apreytousse de todo o que lhe era mester. Mais dom egas moniz nom lho quiz consintir em nenhuma guisa ante tomou seus filhos e sua molher com todas as cousas que lhe conpriam e foysse pera tolledo, e chegou allo o dia que fora posto, e ante que chegase ao paaço em que estaua o enperador, decerom das bestas e desuistironsse de todos os panos senom dos do linho, e descalcasse senom tam soomente a dona que leuaua huum pellote muy ligeiro. E poserom senhos baracos nas gargantas, e assy entrarom per o paaço de galiena onde estaua o enperador com muitos e nobres fidalgos. E quando forom ante elle poseronse todos em giolhos. E entom disse dom egas moniz: senhor, estando uos em guimaraaes sobre o principe dom affomso uosso primo uos fiz menagem como uos sabedes, e esto fiz eu porque o seu feito estaua aaquella saçom em grande perygoo, ca nom auia mantimento senom pera poucos dias em tal guisa que o poderades tomar muy ligeiramente. E eu porque o criey de sua nacença quando o uy em tal pressa tiue por bem de uiir a uos sem sabendo elle parte. E entom deuisou perante todos o feito como passara e disse: senhor, aquestas mãos com que uos eu fiz a menagem exllas aqui, e a lingoa com que uollo disse outrossy. E mais tragouos aquesta minha molher e estes meus filhos de todo podes tomar tall enmenda qual for uossa mercee. E quando o enperador esto vyo foy muy sanhudo e quisera o matar qua lhe disse que o enganara. Mais os nobres barõoees que hi estauam diserom ao enperador que lhe nom fezesse nenhuum desaguisado, qua nom avya razom por que, qua ell fezera todo seu deuer como muy nobre e leal caualleiro que elle era, e que se elle fora enganado, que o nom fora senom per sy meesmo, mais que era theudo de lhe fazer muitas mercees. E o enperador vyo que lhe diziam uerdade, e perdeo a sanha de dom egas moniz e quitoulhe a menagem e fezelhe muitas mercees, e assy o enuiou pera sua terra. Mais agora leixaremos aquy a fallar, e tornaremos ao principe dom affomso e do que fez depois que se foy dom egas moniz a tolledo.

Como o principe dom Affonso foy feyto rei e venceo a batalha dourique.

Conta a estoria que depois que se dom egas moniz foy pera tolledo que o principe se partio de guimarãaes, e andou per toda sa terra, e requereo todas suas fortellesas, e açalmou as de guisa que nunca lhe acontecesse outro tal desauisamento. E depois que todo esto ouue feito, ajuntou todas suas gentes e foy sobre os mouros e correlhes a terra toda des coinbra atee santarem, e dassy pousou ho teio e correo toda a terra ataa o canpo dourique honde achou elRey ismar, que assa sazom era Rey, com cinquo reis que o uinham buscar em sua aiuda sabendo o grande dapno que lhes fazia em sua terra, e entrou com elles em batalha em o logar que he dicto crasto uerde, e uence os, e matou e prendeo a maior parte de todas suas gentes. Mais ante que entrasse em batalha, conta a estoria que os seus que o acalçarom por Rey, e des entom se chamou Rey de purtugal. E despois que os Reis forom vençudos, como dissemos, ElRey dom affomso de portugal, por memoria daquelle boo aqueecimento que lhe deus dera, pos no seu pendam cinquo escudos por aquelles cinquo Reis, e pose os em cruz por renembrança da cruz de nosso senhor ieshu christo, e pos em cada huum escudo xxx dinheiros por memoria daquelles xxx dinheiros porque iudas uendeo Jeshu christo, e des y tornousse pera sua terra muy homramente e com grande vitoria.

Como o bispo de coimbra trouxe recado a elrey dom affomso que soltasse sua madre.

Ao papa foy dicto como elrey dom affomso de portugal tiinha sua madre presa, e que a nom queria soltar; e elle lhe mandou dizer pello bispo de coinbra que soltasse sua madre, e que se nom quisesse fazer que o escumugaua. E elRey disse que a nom soltaria por nenhuum homem nem

ainda por o papa. E o bispo escumungoulhe a terra e fugio de noute. E logo em outro dia disserom a elRey como lhe o bispo escumungara a terra e se fora. E elRey foisse logo a see e chamou todos os conigos na crasta e dise lhes que dessem dantre sy huum bispo. E elles diserom que o nom fariam qua tynham bispo. E elRey lhes disse que aquelle que elles diziam que nunca jamais em todos seus dias seria bispo. E el ueendo que nom queriam fazer o que lhes el mandaua degradou os todos de sua terra. E em saindo elRey da crasta uyo uiir huum crerigo que era muy negro de sua collor, e disse lhe como auya nome; e o crerigo lhe respondeo que auia nome martinho. ElRey porque o uyo assy negro perguntoulhe por o nome de seu padre, e el lhe disse que auia nome çoleima. E elRey lhe perguntou se era boo crerigo ou se sabia bem ho officio da igreia. E el lhe disse: Senhor, nom ha na espanha dous que o milhor saibam que eu. E elRey lhe disse entom: tu seras bispo dom çolleima, e guisa te logo como me digas missa. Respondeo o crerigo: nom soom ainda hordenado de missa como bispo que uolla possa dizer. E elRey lhe disse: eu te hordeno como me digas missa senom cortartey a cabeça com esta espada. E o crerigo com medo vistiosse com as uestiduras e fezelhe o oficio. E este feito foy sabudo em Roma, e cuidarom que era erege. E o papa mandou a el huum cardeal que lhe mostrasse a fe.

Como chegou o cardeal a coynbra escomungou elRey dom affomso e toda sua terra.

O cardeal partiosse de Roma e ueo em espanha, e os Reis per onde el uiinha honrauamno muito. E foy dicto a elRey dom affomso: Senhor, ex aquy uem huum cardeal que uem a uos de roma porque sodes mizcrado com o papa por este bispo que fezestes. E elRei disse: ainda me nom arrepeendo. E disserom lhe: sabede Senhor, que todos os Reis per hu el uem prouam de lhe beijar a mãao. E elRey disse: certo nom sera tam honrado cardeal em Roma que a coinbra uesse que me tendesse a mãao pera lha beijar que lha não cortasse, e desto se nom poderia el falecer. E quando o cardeal chegou a coimbra soube que elRey disera e ouue muy grande medo. E elRey nom o quiz hir arreceber. E elle logo que chegou aa cidade foisse a alcaçoua honde ElRey pousaua e el recebeo muy bem e disselhe: cardeal, que ueestes aqui fazer de roma, qua de roma nunca me ueo senom mal? E qual riqueza me trazedes de roma pera estas idas que faço a meude contra os mouros? dom cardeal, se me trazedes que me dedes, senom hide uos uossa uia. E o cardeal disse: Senhor, eu soom uyndo aquy por uos mostrar a fe de Jeshu christo; e elRey lhe disse: certo cardeal tam boos liuros auemos nos aqui como uos em Roma, e tam bem sabemos como o filho de deus descendeo do ceo e encarnou na uirgem santa maria per obra do spiritu santo e procedeo della sem curruçom, e como morreo em a santa uera cruz por remiir os pecadores, e como resurgio e como ascendeo ao ceeo e see aa destra do padre donde hade uiir iulgar os uiuos e os mortos, e tambem creemos a santa trindade seer padre e filho e spiritu santo tres pessoas em huma diuinal esencia, como uos os romanos, e nom queremos outra cousa de Roma. E depois que lhe disse todas estas cousas mandoulhe dar pousadas e todo o que lhe era mester. E o cardeal logo que foy na pousada mandou poer ceuada e mandou por todos os clerigos da uilla e ao cantar dos gallos escumungou toda a uilla e foisse de guisa que quando foy luz tiinha elle ja andadas duas legoas. E elRey depois que se leuantou disse aos caualleiros uaamos ueer o cardeal, e elles lhe disserom: Senhor, hido he ia e escumungouuos e toda uossa terra. E quando esto ouuio elRey mandou que lhe dessem o cauallo e caualgou e todos seus ricos homeens em pos el e muita outra cauallaria. Mais elRey como era homem muy brauo e de grande coraçom nom quis esperar nenhuum, e foy o acalçar em huum lugar que chamam a uimieira. E como chegou a el trauoulhe pelo cabeçom e tirou a espada e quiseralhe cortar a cabeça, mais quatro caualleiros que chegarom com el lhe diserom: senhor, por deus e por mercee nom matedes o cardeal, ca diram em roma que sodes herege. E elRei lhe disse: certas uos lhe dades a cabeça. E o cardeal quando se uio em tal medo disse a ElRey: Senhor, nom me matedes, ca eu farey qual preyto uos quiserdes. E elRey lhe disse: pois quero que portugal nom seia escumungado em todos meus dias, e que nom leuedes daquy ouro nem prata nem bestas senom tres, e esto quero de uos em seruiço. E disy quero que me mandedes de roma huma carta que nunca portugal nem eu seiamos escumungados em todos meus dias, qua eu o gaanhey com esta minha espada. E pera esto quero que leixedes aqui este uosso sobrinho em penhor ataa que me mandedes a carta. E se ataa quatro mezes me nom mandades a carta eu cortarey a cabeça a uosso sobrinho. E o cardeal outorgou todo o que elRey quis, e dis i foisse sua uya. E ante que os quatro meses fossem conpridos lhe ueo a carta: des ally en diante fez elRey en toda sua terra arcebispos e bispos e beneficiados quaes elle quis. E depois que elRey e o cardeal ouuerom todo seu preyto firmado, e ao tempo que lhe auia de mandar a carta, como ia ouuistes, desuystiosse elRey de todas suas uistiduras e disse: quero uos mostrar dom cardeal como eu soom erege. E entom lhe mostrou todas as feridas que ouuera em seu corpo dizendo e assignando quantas e quaees feridas ouuera em as batalhas, e quaees em as conbater, e quaees em as entradas das uillas que tomara aos mouros: e pera esto leuar adiante, disse elRey, uos tomo este auer, porque soom muy proue e hey o mester pera mym e pera meus fidalgos.

Como elRey dom affomso tomou leirea e torres nouas e santarem.

Conta a estoria que quando elRey dom affomso conprio xxiiii.º anos de sua hidade que entom tomou aos moros leirea e torres nouas a elRey ismar, que era rey da estremadura, e andaua entom a era em mil anos. E desque tomou estas uillas tonousse pera coinbra, e em estando el hi ueolhe em mentes de tomar santarem. E entom caualgou com todos seus caualleiros e foisse ao arnado, e apartou comsigo dom Lourenço ueegas e dom gonçalo de sousa e dom pedro paaez ho alferes e outros dous caualeiros mais, a estoria nom diuisa aquy os nomes delles, e contoulhes como auya em coraçom de tomar santarem se o podesse fazer; e elles fallarom em ello de muitas maneiras, mais em fim acordaronse todos com elRey que o poderiam furtar se posessem seu feito em boom regimento. E despois que fezerom seu acordo, tornousse elRey pera seus paaços. E hindo per figueira uelha disse huma molher contra as outras: ueedes o que ora elRey foy fallar com os priuados que fossem furtar santarem. E quando elRey ouuio o que aquella molher disera, foy marauilhado, e despois que forom no paaço chamou os com que fallara o segredo e disselhes: ouuistes o que disse aquella molher, seede certos que se alguum de uos fora de mym apartado que eu cuidara que fora descuberto per el, e assy ouuera a minha sanha contra sy sem seu merecimento.

Como elRey dom Affomso furtou santarem.

Logo a poucos dias que este acordo foy feito, partio se elRey dom affomso de Coinbra pera santarem o mais encubertamente que pode, e per os mais descaados lugares que soube, e chegou hi a oito dias de maio Era de mil anos, e poserom de noite suas escaadas en no muro de guisa que furtarom huma uella. E o primeiro que entrou dentro pella escaada foy huum caualleyro que auia nome meen moniz, e era irmãao maior de dom egas moniz, que a esta saçom ia era morto, que morrera no caminho ante que foisse feita a lide dourique. Este meen moniz era mui ardido caualleiro e sabia muy bem fallar a arauia, era chamado de candarey; e o segundo que foy em pos el foy dom pero affonso filho delRey de gaança; e o terceiro foy dom pero paaez ho alferes. E despois que todos tres forom em cima do muro poserom a huma parte meen mo-

niz; e a uella que estaua em cima do caramancham quando sentio meen moniz que se hia alongando pelo muro por dar lugar aos que entrauam disselhe: manahu; e el respondeolhe em arauia, e fezeo decer, e logo que foy em fundo cortoulhe a cabeça e deitou o aos de fora. E entom elles poserom outra escaada e sobirom per anbas o mais toste que poderom, e forom tantos que se apoderarom do muro, e britarom as portas per que entrarom elRey com todos os que com el foram. E desta guisa foy furtada a uilla de santarem aos mouros. E o alcaide que tiinha a uilla auia nome ceerim, e quando uio os christãaos assy de sospeita sobresy fogio pera siuilha. E quando chegou acerca do rio de siuilha elRey em siuilha estaua em cima da torre do ouro, e como ho diuisou logo o conheceo, e disse aos que com el estauam: ueedes aquel que uem a gram pressa, aquel he o alcaide cetrim de santarem; e se em aquel rio der augua ao cauallo seede certos que he tomada a uilla e se a nom der he cercada e uennos demandar acorro. E o alcaide logo que chegou ao rio deu augoa ao cauallo, e elRey disse: tomado he santarem.

Como elRey dom afonso açalmou santarem e tomou lisboa.

Despois que elRey dom affomso foy apoderado de santarem repairou todas as fortellez da uilla e açalmou a o milhor que pode. E despois que assy teue em recado tornousse pera coinbra com grande honrra. E des que hy foy guisou sua fazenda e ajuntou sua hoste o mais encubertamente que pode, e foy sobre lixboa e chegou hi no mes doctubro na era de mil annos: sairam a elle e lidarom com elle e forom uencidos e cobrou el a cidade de lixboa per força darmas, e forom em sua ajuda em esta toma muitas conpanhas dalemaees e framengos e doutras naçõoes, que ueerom per mar, antre os quaaes forom hi quoatro capitãaes que auiam nome dom guilhim de licorne e dom rooim e dom juzbertez e dom ligel. Estes quoatro demandauam parte da uilla a elRey dom affomso por que forom na tomada della. E el lhes disse que o nom faria mais que lhes daria outros lugares que poborassem elles e sua linhagem pera todo senpre, e que lhe conhecessem delles o senhorio. E a huum delles deu a azanbuja, e a outro uilla uerde, e ao outro a lourinhaa; e estes dizem que forom de frandes e trouxerom todos seus linhageens e seus aueres e poborarom estes logares. E em este mesmo ano tomou este Rey dom affomso alanquer e sintra e almadaam e palmella em a era de mil anos, e tomou este Rey alcaçer e beia en na era de mil anos. E tomou este Rey dom affomso euora e eluas e moura e serpa. Este Rey dom affomso fez o moesteiro dalcobaça e o castello que esta a cerca del. E começou o a fazer en na era de mil anos, e offereceo a sam bernardo que era abade de craraual. E este Rey dom affomso auia ja ante desto o moesteiro de santa cruz em coinbra por honrra da morte e paixom que o nosso Senhor Jeshu christo padeceo na cruz. E este Rey dom affomso depois que tomou lixboa aos mouros fez hi huum muy nobre moesteiro em honrra do martir sam uicente a que pos nome sam uicente de fora. E prouque a deus que nos seus dias ueo sam uicente a cidade de lixboa. E o dia que a cidade foy tomada era dia de sam crispim oito dias de nouembro na era de mil anos. E este dom affomso primeiro Rey de purtugal foy casado com dona maffalda manrrique, filha do conde dom manrrique de lara, e senhor de mollina, e de dona Ermesenda filha do almerique primeiro senhor de barbona, porque nom achaua casamento em a espanha de Rey que seu parente nom fosse. E ouue ElRey della huum filho que ouue nome dom sancho e foy Rey depois da morte de seu padre, e huma filha que ouue nome dona orraca e foy casada com o conde de frandes. E este Rey dom affomso começou a hordem de santiago, e deu ao esprital de jerusalem oiteenta mil marauidis em ouro pera comprar herdade de tanta renda per que dessem aos enffermos da enffermaria senhos pãaes quentes e senhos uasos de uinho, por que metessem cada dia em oraçom este Rey dom affonso. E em sua mancebia foy muy brauo e esquiuo; mais despois foy muito mansso e mesurado e boom christãao e fez muito seruiço a deus. E este era o mais esforçado caualleiro em armas e em força que auya em espanha, nem de que os mouros mayor medo auiam.

IV.

Aqui se compeça a estoria dos Reys de purtugal.

ElRey dom affomso que filhou toledo aos mouros casou sa filha con o conde dom Enrrique que ueo a santiago em romaria. E auia ella nome dona tareija. E daly foy o conde dom Enrrique senhor de purtugal e de galiza fora de trastamara que nom pode auer e foy senhor de huua grande parte da terra de leom. Este conde ouue muitas fazendas com mouros e com leonesses. E morreo este conde dom anrrique em estorga que era sua. E tinha aprazada a uilla de leom que se a quatro messes lhes nom acorresse ho enperador que fosse sua com sas perteeças. E morreo o conde dom anrrique ante este prazo dous messes e cinquo dias em estorga. E ante que morresse chamou seu filho dom affomso anrrique e disse lhe: filho toda esta terra que te eu leixo de estorga ataa alem de coinbra nom percas ende huum palmo, qua eu a gaanhey. E filho, toma do meu coraçam alguum tanto que sejas esforçado e soy companheiro a filhos dalgo. E da lhes todos seus direitos. E aos concelhos faze lhes honra. E aguisa como ajam direitos asi os grandes como os pequenos. E por rogo nem por cobyça nom lheixes a fazer justiça, ca se huum dia leixares de fazer justiça huum palmo logo em houtro dia se arredara de ti huma braça de teu coraçom. E porem meu filho tem sempre justiça em teu coraçam, E aueras deus e as jentes. E nom consentas em nenhuuma guissa que teus homeens sejam soberuos nem atreuudos em mal, nem façam pessar a nenhuum, nem digam torto, ca tu perderias per taaes coussas ho teu boo preço se o nom uedasses. E chama agora os destorga e mandartey fazer a menagem dos da uilla e logo te torna e nom na perderas, ca daquy comquistaras ho al a diante. E manda a meus uassalos que me leuem soterar a santa maria de bragaa que eu poborey. Morreo o conde dom Enrrique e gissarom todos sas fazendas como ho leuassem, e dis y perguntou affomso enrriquez os uassalos se hiria com seu pay ou se fiquaria; e elles disserom que fosse com seu padre e o honrrasse e nom se temesse nada da terra. E affomso Enriquez foi soterar o padre a bragaa. E termentre com el foy soterrar o padre filharom lhe aqua toda a terra de leon que el tiinha por sua, mais nom lhe filharom galiza qua nom poderom: despois desto o mandou desafiar ho enperador e tornou lhe seu amor: estonces foisse elle pera purtugal, E nom achou hu se colher ca toda a terra se lhe leuantou co a madre. E a madre cassousse co o conde dom Fernando de trastamara, que era em aquella sazom o milhor homem despanha que Rey nom fosse. Affomso enrriquez tomou dous castellos a sa madre, e huum foi nenha, e o outro ho castello da feira, que he em terra de santa maria. E com aqueles dous quastellos guereou elle muy rijamente seu padrasto. E disse o conde dom Fernando: affomso anrriquez nom andemos neeste preito, uamos huum dia a fazenda ca ou sairemos nos de purtugal, ou uos. E respondeo affomso anrriquez e disse: conde, pesse a deus porque uos me queredes sacar da terra de meu padre. E a madre disse emtom: minha he a terra e minha seera ca meu padre elRey dom affomso ma leixou. E o conde disse emtom a ella: nom andemos em este preito ou hiredes uos migo a galiza, ou leixaredes a terra a uosso filho se mais poder ca nos. E emtrarom e ueerom aa fazenda em gimarães, e disse a rainha: comde, uosco quero entrar nas azaas, e auerедes que fazer pollo meu amor. E todauia prendede afomso enrriquez meu filho ca milhor poder teendes ca elle. A fazenda foi feita e foi arrinquado afomso anrriquez e foi mui maltreito. E el indo a huma legoa de gimarãees achousse com soeiro meendez mãaos dagoa, que o uiinha ajudar en a fazenda, e disselhe: como uiindes Senhor

asi? respondeo afomso enrriquez: uenho muy mal ca me arrinquou meu padrasto e minha madre que esta na fazenda com elle. E soeiro meendez lhe disse: nom fezestes sisso que aa batalha fostes sem mim, mais tornadeuos comigo e prenderemos uosso padrasto e uossa madre co elle, e el disse: deus agisse que seia assi. E soeiro mendez lhe disse: uos uerees que assi seera. E tornousse entonces co el a batalha, e uenceoa, e prendeo seu padrasto e sua madre, e o conde cuidou aa seer morto. E fez lhe preito e menagem que nunca entrasse em purtugal. E dis i foisse pera terra dultramar. E affomso anrriquez emtom meteo sa madre em feros. Ella quando uio que aasi prendia a madre disse: afomso anrriquez meu filho, prendeste me e metestes me em feros, e deserdaste me da terra que me leixou meu padre, e quitastes me de u marido, rogo a deus que preso seiades asi como eu soo. E porque me metestes nos meus pees feros, quebrantadas sejam as tas pernas com feros. E mande deus que se conpra esto. E ella emviousse logo querelar ao emperador de castela, que era seu sobrinho, que lhe acoresse e que a sacasse de prisom, e que ouuesse todo portugal por seu. E os putugesses todos teuerom com affomso anrriques e souberom como se gissaua ho emperador pera viir conquerir todo purtugal e sacar sua tia de prissom. E veerom todos muy bem guissados a huum lugar que chamon valdeuez, e aramaromsse ally todos e atenderomno hi. E ueo o enperador com grande poder que adusse de aragom e de castela e de leon e de galiza, e ouuerom a fazenda em valdeuez, e veençeo affomso anrriquez. E o enperador foi ferido em na perna deestra de duas lançadas, e foisse da fazenda em caualo branquo. E foisse a toledo porque ouue medo de perder a cidade. E prenderom ao enperador em sa fazenda seis condes e outros caualeiros muitos, e matarom lhe muita gente. E affomso anrriquez foisse logo daly e gaanhou todo purtugal per sas armas como se fosse de mouros, e leuou comsigo sa madre presa. E despois ouue batalha em nos quanpos dourique e uenceo-a. E des ally em diante se chamou elRey dom affomso de purtugal, e entom tomou por armas as cinquo quinas. E o appostolico de roma ouuio dizer como prendera sa madre e que a trazia comsigo pressa, e mandoulhe dizer pelo bispo de coinbra que sacasse sa madre de prissom, e senom que o escumungaria. E el disse que a nom sacaria por nengem, e o bispo escomungou o, e foisse de noite. E no outro dia de menhaa disserom a elRey que era escumungado. ElRei foisse entonce pera a see e meteo todollos conigos na clastra, e disselhes ante todos: vos dade me huum bispo; elles disserom: Senhor, bispo auemos, e como vos daremos bispo. ElRey lhes disse: esse que uos dizedes nunca aquy seera bispo en todos meus dias, mais saide uos todos polla porta, e eu catarei qual faça bispo. E elles fezeromno asi. ElRey vio viir huum que era negro, e disse lhe: como as tu nome? e o clerigo lhe disse: eu ey nome martinho, e teu padre como ha nome? e el disse: Senhor, çoleima. ElRey lhe disse: es boo clerigo? disse el: Senhor, non ha milhores dous na companha; estonce disse elRey: tu seeras o bispo dom çoleima, e guissa como me digas missa; e respondeo o clerigo: Senhor, nom soo hordenado como bispo per que assi vos possa dizer missa. ElRey lhe disse: eu te ordeno que me digas missa, e senom cortartey a cabeça co esta espada. E o clerigo com medo meteosse na vistimenta e quantou missa. E esto feito souberomno em Roma e cuidarom que era ereje. E o papa lhe emviou huum cardeal que lhe demostrasse a fe. Aqueste cardeal veo per cassas dos Reis da espanha e honraromno muito. E disserom: Senhor, aqui vos uem huum cardeal de Roma porque sodes mizcrado com o papa por este bispo que asi fezestes. ElRey disse: nom me arrepeesco. E disserom lhe: todos os Reis ho ueem receber e lhe beijam a mãao; disse ElRey: estonce nom seeria tanto honrado cardeal nem apostolico se hi ueesse que me desse a mãao a beijar que lha eu nom cortasse o braço pollo couodo, e desto el nom podia falecer. E aquestas parauoas ouueas de saber o cardeal quando chegou a coinbra e ouue grande medo. ElRey nom quiz sair a recebello, e ali teue o cardeal que era mal. E o cardeal que chegou foisse pera o alcacer delRey, e elRey recebeo estonces muy bem em seus paaços e disselhe logo: cardeal, que ueestes aquy fazer, qua de Roma nunca me ueo senom mal, e qual riqueza me enuio de Roma pera estas ostes que faço senpre, que nunca quedo de dia nem de noute de gerear com mouros? E dom cardeal se trazedes algo, que me dedes, senom hideuos uossa uia. E o cardeal disse: eu soo viindo por uos demostrar a fe de Jeshu christo. E elRei disse: tam boos liuros teemos nos aqua, como uos em Roma; e tambem sabemos que ueo deus em na uirgem santa maria como uos alla os Romaanos, e nom queremos outra coussa de Roma. Mais denuos agora todas aquellas cousas que fazem mester e elas nos ueremos eu e uos se deus quiser. E o cardeal se foy estonce pera sua pousada. E mandou logo dar ceuada aas sas bestas e emuiou por todollos clerigos da cidade quando quantaua o galo. E escomungou toda a cidade e caualgou e foisse sa carreira, e quando foy a luz andara ja elle duas legoas. ElRey leuantouse de menhaa e disse: vaamos veer ho cardeal; e os uasalos lhe diserom: Senhor, hido he ja sa uia, e escumungou uos e todo uosso reino. E el disse: dade me ho meu caualo e hirei apos ho cardeal. E deromlhe entom o caualo, e uistio sa pelle e cingio sa espada, e foy de pos elle e acalçou o em huum lugar que dizem santa maria da uimieira. E deitoulhe a mãao no cabeção e sacou a espada e quisera lhe talhar a cabeça, e disserom quatro caualleiros que chegarom: Senhor, por deus nom façades, qua se o cardeal matades terom os de Roma que de todo em todo sodes ereje. E estonce disse elRey esta parauoa: vos dades a cabeça ao cardeal, qua se nom eu a leuara delle. E o cardeal lhe disse: Rey, nom me façades mal, e qual preito vos quiserdes tal porei comuosco. ElRey disse estonce: pois quero que em todos meus dias nom seja purtugal escumungado, e que nom leuedes daqui ouro nem prata nem bestas senom tres. E estonce lhe filhou quanto auer lhe achou e ouro e prata, e todallas bestas, senom tres. E disse elRei: esto quero de uos em seruiço. E disse elRei ao cardeal: quero de uos que me emviedes carta de roma que nunca portugal seja escumungado em todos meus dias, que eu ho gaanhei com esta minha espada. E quero que me leixees aquele uosso sobrinho, filho de uossa irmaa, em penhor ataa que seja aquy a carta. E se a quatro messes aquy nom for a carta que eu talhe a cabeça a uosso sobrinho. E ueo lhe a carta aos quatro messes, e des ali a diante elle foy bispo e arcebispo. E en todos seus dias nenhuum nom fez al en toda sa terra senom o que elle quis. E asta sazom quasou elRey dom afomso com a filha do conde de molina, que auia nome dona mafalda, ca todos os cassamentos de espanha eram muito seus achegados em parentesco. E em aquesta molher ouue filho elRey dom sancho, e a Rainha dona oraqua que foy cassada com elRey dom Fernando de leom, e a Rainha dona tareija que foy cassada com o conde de frandes. Este Rey dom afomso fez a hordem de Santiago e poborou santa cluz de coinbra em tempo que andaua a era em mil e cento e seteenta annos. E fez o mosteiro dalcobaça quando hia filhar santarem a mouros, e hia com elle seu irmãao, o qual jaz sepultado em na ousia do dito mosteiro, e o seu nome he Pero afomso. E chegando acima da sera mindiga dom Pero afomso dise contra seu irmãao Rey dom affomso: Senhor, ouui falar de huum homem boo e mui santo que chamam bernardo, que he de huuma ordem que chamom sam beento, e faz Deus por elle muytos milagres, e nom ha coussa que peça a deus que lha nom conpra; e Senhor se lhe uos derdes aquy huum lugar em que seia feito huum moesteiro, creede bem que logo por mercee de deus filharedes santarem. Entonce lhe disse elRey: escolhede o uos dom pero affomso meu irmãao honde teuerdes por bem. E entom lhe disse dom pero afomso: Senhor, dade lhe toda esta varzea, como vay des leirea viindo pollo mar ataa quy. Emtom lhe disse elRey: muito me praz em tal que nos nom leuemos mais afam em filhar esta villa de santarem. E eu rogo a esse sam bernardo que el rogue a nosso Senhor Jesus christo que em tal ora vaamos oje nos que descaiam os imygos da fe do po-

der que teem. E entom foromse. E em esse dia polla uertude de deus, e pellas orações de sam bernardo, que o soube pollo espirito santo, filharom a uila de santarem. E da tornada fez elRey dom affomso o mosteiro dalcobaça, a qual he muy rica abbadia. E quando a compeçarom a fazer andaua a era em mil e cento e nouecenta annos, e ofereceo a sam hernardo que era entom abbade de craraual. E este Rey filhou lixboa a mouros, e adusse o corpo de sam uicente martir, e fez hi huum mosteiro muy rico aa sua custa, que chamom sam vicente de fora. Este Rey filhou Euora a mouros e fez a see do dicto logo, e outras muitas uillas e castellos, e deu ao esprital de Jerusalen, que he em euora, oitenta uezes mil marauidiis em ouro pera conprarem erdades, e que dessem aos emfermos da emfermaria cada dia por pitança senhos pãees quentes de trigo, e senhos vassos de boo uinho, e que o emcomendassem em cada huum dia em oração. E em como foi da primeira muy esquiuo, assi tornou despois pela graça de deus a seer muyto a seruiço de deus, qua em seu tempo, quando era mancebo, nom conhicia tanto deus nem sabia que era, qua emtom elle era tanto esforçado e tam ardido que nom achaua outro que o tanto fosse como elle, assi em armas como em todo ho al. Despois desto pollo mal e pollo pecado que fez a sua madre em prendella quebroulhe huuma perna em badalhouce que hauia filhada a mouros. E foy desta maneira: ElRey dom Fernando de leon quando soube que elRey de purtugal filhara badalhouce, que era em seu termo porque era sua conquista, ajuntou grande hoste e foi sobre elle, e os vassallos de ElRey dom afomso diserom lhe entom: Senhor, aquy nos uem elRey dom Fernando de leon com grande oste, ElRey dom Afomso disse pois com grande orgulho: armemonos e saiamos a el ao quanpo. E como ElRey dom afomso foi armado em cima de seu cauallo, deu das esperoras ao cauallo muy tregosamente, e quando saio polla porta acertou a perna perante o ferolho da porta, e tam de rigo saia que lhe quebrou a perna e foi logo cair em huum centeal. E dom fernam rodriguez o castellãao que o vio cair do cauallo saio logo a dizello a elRey dom Fernando: Senhor, aquy jaz elRey dom afomso com huuma perna quebrada, e prendedeo qua pouca gente tem ainda comsigo. E ali ho prendeo logo elRey dom Fernando. E deu lhe logo quantos castellos tiinha filhados em galiza, e fez lhe preito e menajem que como caualgasse em cauallo fosse a elRey dom Fernando hu quer que elle fosse, e enton se tornou a coinbra. E nunca mais quis caualgar todos seus dias em cauallo ataa que morreo. E andaua em huuma carreta, e quando morreo era a era em mil e duzentos e viinte e tres annos. E soterraromno no muy nobre Conuento da uertuossa cluz, que el fezera aa sua custa. E dotouo de muy nobres e notauees posissões.

DelRey dom Sancho.

Morto dom afomso anrriquez, reinou dom sancho seu filho e poborou muita terra e foy muy boo Rey. E foy cassado com dona aldonça filha delRey daragam, e ouue della filhos o iffante dom afomso sanches, e o iffante dom Pedro, o qual trouue de marocos os marteres a santa cluz, e o iffante dom fernando que foy conde de frandes, e o iffante dom anrrique de castella, e a iffante dona sancha que emtrou no mosteiro de loruão, e a iffante dona branca que morreo em a auga dalfaxara, e mandouse soterar em coinbra no mosteiro de santa cluz, na capela delRey dom afomso sanches seu dono, e a Rainha dona tareija que foi cassada com elRey dom afomso de leon, que era sobrinha deste Rey dom sancho, filha de sua irmãa. E ouue elRey de leom desta molher o iffante dom fernando, e a ifante dona sancha, e a ifante dona aldonça. E despois desta molher casou este Rey de leom co a Rainha dona biringeira filha delrei dom afomso de castella, o que uenceo a batalha do muradal, e ouue della filhos elRey dom fernando, que filhou cordoua e siuilha a mouros e toda andaluzia, e ouue della o ifante dom afomso de molina, e a ifante dona costança, que foi monja nas olgas de burgos, e a ifante dona beringeira. E estes filhos e filhas que uos de susso auemos dictos ouue elRey dom sancho de purtugal da Rainha dona aldonça. Morreo a Rainha dona aldonça e soterrarom na no mosteiro de santa cluz na capeela dos Reis. E despois ouue elRei dom sancho huuma dona por amiga, e ouue della dona oraqua sanches, e dom martim sanches, o que cassou com a condessa dangelo filha de dom Pero sanches o castellãao. Morreo esta dona e filhou elRey dom sancho outra dona que diserom Ribeiria e ouue della dona tareija sanches, e dom gil sanches, e dom Rodrigo sanches, que jaz no mosteiro de griioo, e dona costança sanches, que jaz no mosteiro de santa cluz na capeela dos Reis com seu padre. Dona muy nobre e de muy grande santidade e uertudes e toda perfeita em virgindade, em fazer esmolas aos pobres que nom tynha conto. E este Rey dom sancho reinou vinte e seis annos, e morreo na era de mil e duzentos e quorenta annos. Este Rey dom sancho foi de mui grande justiça, e soterraromno em coinbra no mosteiro de santa cluz a par de seu padre.

DelRey dom Affomso de Portugal.

Morto ElRey dom sancho, reinou dom afomso seu filho e reynou doze annos. E foy muy boo cristãao no compeço. E despois na cima foy peor. E este Rey dom afomso gaanhou alcacer e outros lugares. E cassou co a Rainha dona oraca filha delRey dom afomso, o que uenceo a batalha do muradal. E ouue filhos della o iffante dom sancho, e o iffante dom afomso, e o iffante dom fernando de serpa, e a iffante dona lianor, que foi cassada com o filho do Rey das martas. Este Rey dom afomso morreo na era de mil e sesenta e huum annos, e jaz soterado em alcobaça em huuma nobre capeela que el fez a sua custa.

DelRey dom sancho de purtugal.

Morto elRey dom affomso, reinou seu filho dom sancho, e começou de seer muy boo Rey e de justiça. Mais ouue maaos conselheiros e despois da alli em diante nom foy justiçosso. E saio de mandado da Rainha dona biringeira sua tia. E cassousse com Micia lopes. E des alli foi pera mal. E os bispos, e arcebispos, e os abbades leitos, e os principes e todollos outros prellados da santa egreia ouuerom conselho, e acordaromse de enuiar dizer esto ao papa. E foi alla o bispo de coinbra dom tiburcio, e o arcebispo de bragaa, e diserom no ao papa que nom auiam justiça nenhuuma, e que a nom fazia este Rey dom sancho. E disse ho apostolico: qual Rey quiserdes filhar tal filhade, que seja natural do Reyno, e que saiba fazer justiça. E elles disserom: padre santo, pidimos te o conde de bolhonha seu irmãao. E o papa outorgou lho. E ueo o conde e tolheo o reino a seu irmãao e quantas boas uillas hi auia todallas tomou, que nom fiquou senom coinbra, e esta nom fiquou senom porque nom veo hi ho conde, ca se el hi ueera asi a filhara bem como as outras. E des alli emviou Rey dom sancho pollo ifante dom afomso filho delRey dom fernando de castella, e de leam, e el foy com el com muy gram caualaria e leuou ho comsigo pera castela, e ataa quy reinou elRey dom sancho. E reinou XXVI annos, e jaz soterado em tolledo. E o tempo dos vinte e seis annos deuesse a contar despois que el compeçou a reinar.

DelRey dom afomso de purtugal.

Despois delRey dom sancho, reynou elRey dom affomso seu irmãao que foi conde bolhonha. E foy muy boo rey e muy justiçosso e manteue seu reyno em paz, e sem contenda nenhuuma. E este Rey dom affomso foi cassado com dona britiz filha delRey dom affomso de castella e de leom, e ouue della filhos Rey dom deniz, que foy de purtugal e do algarue, e o ifante dom afomso, e a ifante dona branqua, e a ifante dona sancha, que moreo em seuilha e jaz soterada em alcobaça com seu padre. E este Rey dom afomso reynou XXXI annos e sete mezes e dezoito dias, e jaz soterado em alcobaça na capella dos Reis a par de seu padre.

DelRey dom donis.

Morto elRey dom afomso, reinou elRey dom donis seu filho, e auia quando conpeçou a reinar xviii annos. E cassou com a rainha dona Issabel filha delRey dom pedro daragam, e ouue della huum filho Rey dom afomso, que foi ao sallado, e huuma filha que ouue nome dona costança, e foi cassada com elRey dom fernando de castella. Este Rey dom donis reynou em purtugal quorenta e cinquo annos, e morreo na Era de mil e trezentos e sessenta e tres annos sete dias de janeiro.

S. RUDESINDI VITA ET MIRACULA.

Vitae, et miraculorum S. Rudesindi, Dumiensis, sive Minduniensis, et postremo Iriensis episcopi, narratio a duobus Cellaenovae monachis saeculo XII. conscripta, nostrarum rerum historiae valde interest; tum quod sanctus hic vir regione illa, ad Minii meridiem versa, quâ postea Portugaliae fines prolati fuere, oriundus fuerit; tum maxime quod miraculorum pleraque suorum ad res gestas, regnante Alphonso I., referantur, easque saepe dilucere faciant. Hanc narrationem, a Mabillonio, et Bollandianis prius editam, in appendicibus ad Tom. 18 Hispaniae Sacrae. *Floresius similiter edidit: et Fr. Fortunatus a D. Bonaventura tandem in libro, quem* Commentaria de Alcobacensi MSS. Bibliotheca *nominavit, typis, quamvis non prorsus integram, mandavit.*

Narratio haec, qualis ad nos pervenit, duorum Cellaenovae monachorum promiscuum opus est, Stephani scilicet, XII. dimidiati, et Ordonii iam iam labentis saeculi, scriptorum. Certatum proinde inter eruditos fuit, quid cuique duorum tribuendum esset. Sed apographum in codice 133 MSS. Alcobacensium, nunc in publica Olisiponensi Bibliotheca, repertum, et illud in codice 365 Portucalensis Bibliothecae, quondam in Sanctae Crucis monasterio Conimbricae servato, descriptum, litem hanc, si non dirimunt, saltem dilucidant. Fr. Fortunatum a D. Bonaventura de his duobus scriptoribus in annotatione ad caput suae editionis I. libri apographi Alcobacensis dissertantem audire expedit:

“ *Quid in hac S. Rudesindi vita a Monacho Ordonio, quid a Monacho Stephano conscriptum fuerit, ambigitur. Tam vitam, quam adiuncta miracula Stephano adiudicant Bollandistae, a quibus profecto discedunt Hispani AA. ac praecipue Floresius, qui omnia a Prologo usque ad numerum 20 vel 30 ab Stephano, caetera ab Ordonio litteris mandata fuisse opinantur.* ” [1]

“ *Monachos Cellaenovae duo huius vitae exemplaria diversa, unum ad Cl. Papebrochium, aliud ad Cl. Emin. Card. de Aguirre misisse adnotandum est, ac Floresium de authographis Ordonii Stephanique deperditis querulum oportet commemorare. Ego quidem Alcobacenses Monachos genuinum textum huius vitae possidere existimo, quod ineluctabili argumento comprobatur. Ambrosius Morales, qui multa a libro Ordonii Stephanique decerpsit, S. Rudesindi patrem, dum filius nasceretur, in expeditione Conimbricensi haudquaquam adesse, ac proinde Ordonium*

[1] Hisp. Sacr. T. 18 pag. 105.

in hoc minus adcurate locutum adfirmat: sed huius Conimbricensis expeditionis nihil apud exemplar a Bollandistis et Floresio editum; ergo codex noster, ei, quo Morales usus est, in hac parte similis, genuinum Ordonii foetum repraesentat. „

“ *Quid autem in libris Miraculorum Stephano, quid Ordonio sit adiudicandum, patet ex Codice.* „

“ *Finito libro primo de Vita S. Rudesindi, cuius auctor Ordonius, ut ex prologi verbis manifesto deducitur:*

> Incipit liber primus miraculorum S. Rudesindi Episcopi et Confessoris, quae a Deo per ipsum post eius obitum sunt facta, et a Magistro Stephano Cellae Monacho edita, et ab eo ab his, qui viderunt cognita.

“ *Finito libro primo:*

> Incipit liber secundus de virtutibus S. Rudesindi Episcopi ab Ordonio, qui ipsius Episcopi vitam conscripsit, post Magistri Stephani descriptionem editus.

“ *Libro tertio miraculorum, qui Cap. 4 editi a Floresio incipit, haec adnotantur:*

> Era MCCX. tam vita Beati Rudesindi, quam virtutes ab Ordonio sunt editae.

“ *In hoc supradicto capite desinit Codex noster (a quo absunt miracula superaddita ab Ordonio, quae librum in editionibus tertium constituunt) his verbis adpositis:*

> Ordonius vitam Rudesindi condidit istam,
> Nec..... psit [1] virtutes, quas benedixit,
> Hos nam ditavit, per quos haec significavit.

Ex comparatione ita editionum Bollandianorum, et Floresii, simulque MSS. Alcobatiae, et Sanctae Crucis, verisimilius videtur, Ordonium, dum Stephani scripta edidisset, auxisse, et, ut libitum illi fuit, mutasse; Hispanaque MSS. Henschenio, et Papebrochio, qui Bollandi opus prosecuti sunt, tradita fragmentum tantum esse ex illis Stephani scriptis de huius Sancti vita ad verba modo, quae in hac nostra editione duplicis textus diversitatem absolvunt: Portugalensia contra MSS. integram hanc vitam, ab Ordonio scriptam, comprehendunt; rubrica enim, quae in codice Conimbricensi Sanctae Crucis huius narrationem vitae praecedit, persimilis omnino est illi, quae in Alcobacensi 133 *legitur. Notandum nihilominus est in miraculorum narratione, decem eorum prima, quibus liber I. Alcobacensis codicis constat, Ordonium, primitivam Stephani loquendi formam servantem, ipsius descripsisse verbis: miracula vero in II. libro eiusdem codicis narrata a Stephano collecta fuisse, et postea ab Ordonio iterum digesta docere rubrica videtur. Cui autem duorum monachorum liber III., tam quoad res, quam ad verba, tribuendus sit non satis ex rubrica eiusdem libri elucet. Liber, demum, IV. (in editionibus III.) quem iuxta Papebrochii, Henscheniique textum, quem et Floresius secutus est, nunc publici facimus iuris, additus certe ab Ordonio fuit, quod perspicue rubricae MSS., quae editores illi ante oculos habuere, docent.*

Alcobacensis codex 133, *a quo exemplaris ibi descripti textum praecipue hausimus, parvum est membraneum volumen, litteris saeculi XIII. scriptum, in quo, praeter varia, nec extensa, S. Bernardi, et Hugonis a S. Victore, atque S. Basilii scripta, legitur Sancti Dominici, et postremo S. Rudesindi vita, sed haec minusculis, et, ut videtur, non eadem manu scriptis litteris. Portucalensis bibliothecae codex ea magnitudine, quam* in quarto *bibliopolae vocant, volumen item membraneum est, quod Aymonii in S. Pauli Epistolas commentarium continet, iuxtaque Sancti Rudesindi, et etiam aliorum Sanctorum vitae, litteris saeculi XIII., sive XIV. scriptae, subsequuntur. Illius tantum Sancti in hoc exemplari vita integra describitur. Ex miraculorum narratione nihil, praeter indicem quadraginta duorum, quae li-*

[1] *Forte* — Nec solus scripsit.

bris II. et III. priorum editionum materiam suppeditavere, nunc superest. Alcobacensis codicis 113 *fragmentum, saeculi XIII. MS., partem huius Sancti vitae vix praebet: varias hinc lectiones, nec exiguo numero, hausimus.*

In anterioribus editionibus divisio librorum, capitulorum, articulorumque novissima, et a Bollandianis inducta videtur. Codex ille Alcobacensis 133 *tantummodo libros divisos ostendit, nec illum, in quo Sancti vita narratur, inter caeteros numerat, sed secernit: et triginta ibi narrata miracula per tres distribuuntur libros, qui, si ab Ordonio collecta miracula, quae III. librum editionum Bollandianorum, et Floresii perficiunt, adiungantur, quartum dabunt librum. Alia praeterea in fragmento codicis* 365 *Portucalensis reperitur divisio: vita namque S. Rudesindi ibi similiter, ac in Alcobacensi codice, divisum a caeteris absolvit librum; at miracula, simul etiam illa ab Ordonio collecta, in tribus narrantur libris, ut eorum indicis, qui Sancti vitam sequitur, rubrica indicat: notandum etiam credimus, miraculum, in editionibus numero XLII. signatum, ibi omissum, et ab alio suffectum fuisse, quod idem ostendit index: articulorum item divisio, quae huic exemplari, quod nobis textum suggessit, deest, hîc reperitur: hanc itaque illarum editionum divisionem servamus, ut facilius quaeque et conferantur, et laudentur. Quidquid disimile, vel minus concors inter MSS., quae assidue versavimus, et Bollandianorum, Floresiique textum inveniatur, suis locis indicabimus.*

[1] Incipit liber de uita Sancti Rudesindi episcopi et confessoris [2].

INCIPIT PROLOGUS.

Sicut enim seculum ab eius primordiis omnipotens deus dignatus est diuinis decorare beneficiis, uidelicet, ante legem sub patriarchis, in lege sub prophetis, sub gratia apostolorum miraculis seu fidei radiis ceterorumue sequentium patrum ac uirginum preconiis; ita etiam illud et in temporibus ultimis, pariter utriusque sexus non desinit sustentare suffragiis. Inter quos sanctus ac deo dilectus rudesindus episcopus sacris operibus irradiare comprobatur, ac circum circa uirtutibus illius sanctitas [3] declaratur: de cuius conceptione ac natiuitate, seu uita, siue obitu, atque uirtutibus, ego indignus atque imperitus ordonius celle noue Monasterii monachus, quam uerissime ac breuissime potero, quedam de auditis possibilia, et quedam uisu cognita, uel que in libris et in eius testamentis reperimus, scribere deo iuuante conabor.

EXPLICIT PROLOGUS.

[1] VITA

Ex MSS. Monasterii Cellæ-novæ transmissa.

Facta, et miracula S. Rudesindi Episcopi Dumiensis, Abbatis, Fundatoris, et Domini monasterii Cellæ-novæ; scripta per Reverendum Patrem Magistrum Fratrem Stephanum, in eodem cœnobio monachum, et professum.

PROLOGUS.

Mirabilis Deus in Sanctis suis, dicit Propheta David: sed multis modis mirabilis in Sancto suo Rudesindo fuit. Nam mirabilis fuit in ejus conceptione: mirabilis in baptismo: mirabilis in vita: mirabilis in morte: mirabilis post mortem. Ideo visum est mihi postquam miracula ejus legi, alia a videntibus audivi, alia a personis honestis accepi, illa omnia in codice scribere, et in duobus libris dividere; ita ut quæ in Vita sua fecit in primo inveniantur, et quæ post mortem, in secundo.

LIBER I.

DE VITA EJUS ET OBITU.

CAPUT I.

S. Rudesindi ortus, educatio, Episcopatus.

1. Rudesindus ex regio genere a Proceribus nobilitatis Gallæciæ, et Portugaliæ, originem traxit: pater ejus [a] Gutierre Menendez, mater ejus Ilduara vocatur. Isti in Gallæciæ partibus, et Portugalliæ prospere, et abundanter procedebant: unus tamen dolor angebat, quod nati filii statim post baptismum moriebantur. Factum est autem, ut, dum Comes Gutierre in bello contra Agarenos apud Colimbriam, ut Dux, moraretur; Ilduara eleemosynas daret, ecclesias visitaret, jejunia faceret, preces multiplicaret, postulans cum lacrymis a Deo filium benedictionis. Ecclesia fundata erat in altitudine montis Cordubæ [b], dedicata sancto Salvatori; et distabat duobus milliaribus a Villa-salas: in qua Comites palatium suum habebant. Illa, ut hanc ecclesiam visitaret, et divina officia audiret, in eam sine comitatu, nudis pedibus per iter asperum, cum singultibus et lacrymis assidue veniebat. Quadam die, Spiritus sancti gratia fervens, fessa ex itinere, ad altare procidens et orans obdormivit. Angelus autem Domini ei apparuit, ac eam consolabatur, dicens: Ilduara, gaude: preces tuæ coram Deo auditæ sunt: concipies et paries filium, qui apud homines erit magni pretii, et apud Deum magni meriti. Illa expergefacta gratias Deo reddidit, et statim misit nuntium ad virum suum, ut veniret ad se: qui de revelatione certior factus, gratias etiam cum magna lætitia dedit Deo. Post aliquot dies Ilduara concepit, menses gravedinis sine fastidio complevit, et vigesima sexta die mensis Novembris peperit filium, quem vocavit Rudesindum. Parentes ad reverentiam nativitatis ejus magnas eleemosynas destribuerunt pauperibus, libertatem servis dederunt: et dies illa, quæ fuit vigilia sanctorum Martyrum Facundi et Primitivi, apud eos toto tempore vitæ læta et festiva fuit. Imo ipse Rudesindus in testamento suo [c] præcepit monachis Cellæ-novæ, ut omnibus futuris temporibus diem illum peculiaribus eleemosynis quotannis celebrarent.

2. Meminerat Ilduara, bonum nuntium se ab Angelo accepis-

[a] *In MS. altero additur* Comes, *et ad nomen matris* Commitissa.
[b] Corduba, *in altera Vita* Corduva. Act. Sanct.
[c] *Desunt ista in Testamento ejus a Tamajo Salazar cum Vita excuso: quod ut suppositum aut mutilum omittimus.* Act. Sanct.

[2] *Alc.* 113. *Rubrica:* INCIPIT PROLOGUS IN VITA SANCTI RUDESINDI EPISCOPI.

[3] *Port.* 365. sanctitatis

1. [1] Igitur beatus Rudesindus dumiensis ecclesie episcopus clarissimo regum stemate, patre uidelicet gutierre comite [2], matre uero ilduara nomine, extitit progenitus, cuius pater in partibus gallecie, atque portugalis prouincie cum coniuge iam dicta legitimam matrimonii contraxit copulam. Qui cum iustam uitam duceret, et omnibusque felicitatem affectare uiderentur habundare, filiorum, quos preueniente mortis articulo amittebat, sollummodo priuabatur leticia. Regalibus siquidem ortus natalibus, pulcritudine corporis et sanitate que mortales prima putant preditus, castissime coniugis decore letatus, hereditatem tristabatur, quia seruabat alienis heredibus. Peragrat ergo cum coniuge monasteria, oblationes et incensum non cessans ponere super sanctorum altaria, lacrimis rigando ecclesiarum limina.

2. Factum est autem, cum supradictus comes gutier cum rege ranemiro ordonii regis filio apud colimbriam, ut fertur, esset in expeditione, et coniux eius ilduara remaneret apud salam, nequaquam cessans a proposita oratione. Erat autem sala uilla Regia, ab ecclesia que super montem cordubam in honore sancti Saluatoris fuerat consecrata, distans fere per duo miliaria. Que per supercilium montis uiam sibi precepit parare, quatenus et diuina officia celebrantes ualeat auscultare, et a deo propositam [3] petitionem inpetrare. Nam cum cotidie per precipitium montis quasi recto itinere ad ecclesiam sancti saluatoris accederet, nullius iumenti subleuata seruicio, nec militum uel dominarum, ut mos est, sustentata obsequio; sed discalciatis pedibus incedebat subnixa spiritu sancto.

3. Uerumtamen cum iam cogeretur, partim itineris difficultate, partim uigiliis crebris et alimonie parcitate, ante altare sancti saluatoris prostrata, crebro singultu et assidua percussione pectoris, ad dominum sic loquitur: Domine deus rex eterne glorie, qui hominem de limo terre ad ymaginem et similitudinem tuam dignatus es formare, et de costa lateris eius adiutorium simile sibi, qui eidem pro abel, quem iniquus frater sola inuidia interfecit, seth dignatus es restaurare; qui in specie trinitatis apparens abrahe sarram sterilem uisitasti, et auferens opprobrium ancille, nato ysaac letificasti; qui annam in silo orantem ab heli sacerdote ebriam uocatam, et post duos annos nato samuele in templo tibi presentasti; qui helisabeth nonagenariam cum conciperet matre tua uirgine, sed pregnante spiritu prophetie inquientem, unde hoc [4] ut ueniat mater domini mei ad me, honorasti; exaudi me ancillam tuam [5] et prole, quam ad laudem et honorem nominis tui, ut abraham ysaac, offeram, me letificare digneris. Cum autem orationi finem imposuisset, dulci somno premitur, et petitionem suam completam fore ne dubitaret, filium uidelicet a deo sanctificatum uita cuius comite dei precepta seruaturum, atque quam plures pastorali cura a diaboli laqueis [6] liberaturum, sancta uisione [7] angelica amonetur.

4. A somno igitur experge facta; nuntios ad suum uirum ut nequaquam pedetentim sed quamtotius ad eam remearet direxit. Cuius protinus legationi obtemperauit, atque ad illam [8] reuersus, narratione eius reuelatione cognita, legitimo tempore coniugem cognouit [9], que VI.° Kalendas marcii secundum diuinam reuelationem concepit. Cum autem dies pariendi appropinquarent, non in magna doloris tribulatione, sed aliquantulum in suauitatis mitigatione et exultatione [10], VI.° Kalendas decembris, a deo promissum nomine Rudesindum peperit filium. Quamuis enim in sanctorum facundi et primitiui uigilia nasceretur, tamen ob sue natiuitatis honorem, seu ipsius peccaminum ablutionem eorumdem martirum festiuitatem, tam ecclesiastico quam uario ciborum officio, dum ei uita patuit, digne decorauit, ac cellenouensibus ritu perpetuo ita obseruandum reliquit. Quo itaque, ut retulimus, nato, conuocatis pauperibus clericis una cum sacerdotibus, arcessitis [11] etiam uicinis et parentibus [12], conuiuium celebrant, et filium deo ante altare sancti saluatoris offerunt, sicut uouerant. Ibique seruos, ut asserunt, et ancillas libertati tradiderunt, et nonnullarum uiduarum miseriam et ino-

se: ideo a die conceptionis filii, ecclesiam juxta Salas cœpit ædificare: deinde Episcopos ad consecrationem vocavit, et eam sancto Archangelo Michaeli, et omnibus Angelis dedicavit. Concurrentibus autem consanguineis et amicis ad baptismum pueri, placuit parentibus, ut in ecclesia sancti Salvatoris super montem Cordubæ baptizaretur: quia mater ejus ibi de conceptu revelationem acceperat. Quæsierunt ergo magnum fontem lapideum, et posuerunt super plaustrum, ut ad hanc ecclesiam sancti Saluatoris deferretur. Cum vero boves traherent fontem lapideum, plaustrum pondere confractum est, dumque servi novum plaustrum præparant; fons baptismalis intra ecclesiam S. Michaelis nuper ædificatam inventus est. Omnes videntes prodigium mirati sunt valde: parentes autem infantis cognoverunt, voluntatem dei esse, ut in ecclesia S. Michaelis baptizaretur; et ita factum est. Lapideus vero fons baptismalis usque hodie in ecclesia servatur.

3 Rudesindus ab infantia non curabat de ludis puerorum, nec de vanitatibus mundi, sed legem Dei meditabatur die ac nocte, quam usque adeo studuit implere; ut de eo possimus dicere, quod nulli animum voluptati dedit, sicut Magnus Gregorius dixit de sancto Patre Benedicto. Litteras ac liberales artes facilitter didicit, et in sacra Scriptura multum profecit: in juvenali autem ætate judicium senis ostendebat. Eloquium ejus dulce et suave mulcebat et attrahebat: verbum in ore ejus potens et efficax omnia perficiebat. Erat modestus, maturus, et gravis sine molestia, lætus et jucundus sine levitate, vultu placidus, statura mediocris. Adhuc in adolescentia tantum virtutibus excelluit, ut fama ejus per totam Hispaniam divulgaretur. Nota enim erat castitas ejus, modestia, misericordia in pauperes, munificentia ad amicos, pietas ad Deum, caritas ad omnes. Episcopatus Dumiensis vacavit, Clerus et populus sine dissensione Rudesindum, ut speculum virtutum, in Episcopum suum elegerunt. Ille renuebat, dicens, se indignum tanta dignitate, et tantum onus non posse sustinere: quia vix compleverat decimum octavum ætatis annum. Sed instante Clero et populo, a Deo admonitus est, ut susciperet onus Episcopale. Positus in Episcopatu, ut luminare magnum super candelabrum, illuxit Ecclesiæ Dei. Pauperibus et peregrinis tanquam pater erat, viduis et orphanis solatium: curam adhibuit in docendo et prædicando Verbum Dei et in corrigendo pravos mores: Ecclesias augmentabat, collapsas reædificabat, Clerum animabat, omnes avertebat a vitiis, et attrahebat ad servitium Dei. Jam jam sanctus Episcopus fessus mundi pompis, et solitudinem appetens, totum se Deo tradere ex corde desiderabat. Interea aliqua monasteria construxit, ad quæ tamquam ad portum securum aliquando veniebat, et postquam in illis se dederat spiritualibus exercitiis, ad Episcopatus curam revertebatur. Ita temperabat comtemplativam vitam cum activa, ut aliquando Mariæ, aliquando Marthæ se daret.

4. Ecclesia Apostolica Compostellana per Sisnandum Rudesindi consanguineum regebatur: Hic Sisnandus ludis, excessibus, et vanitatibus attendens, officii sui curam parvi pendebat: imo ut flagitiosus, populo, Clero et Proceribus et Regi Sancio infensus erat. Rex post admonitionem Sisnandum incarceravit, et annuente Clero et populo Rudesindum substituit, ut consaguinei sui defectus suppleret. Ille novum Episcopatum accipere nolebat: sed Rex cum Magnatibus contendit, quousque consensit et accepit. Hoc tempore, absente rege, Gallæcia a Normandis invadebatur, et Portugalia a Mauris devastabatur. Rudesindus, exercitu congregato, confidens in misericordia divina magis quam in illo, repetensque versiculum Psalmi, Hi in curribus, et hi in equis; nos autem in nomine Domini Dei nostri invocabimus, Normannis et Mauris obviavit; Normanos, favente Deo, ex Gallæcia expulit; Mauros sic repressit, ut intra terminos suos contineri coegerit. Victor a Compostellæ Civibus communi gratulatione receptus est. Post pauca Sancius Rex moritur; quo cognito, Sisnandus vincula confringens, e carcere fugit, et ipsa nocte Nativitatis Domini nostri Jesu Christi Rudesindum cum Canonicis pausantem aggressus est. Gladium strictum manu portabat, quo mortem minabatur, nisi Episcopatum relinqueret et civitatem desereret. Rudesindus ponderosis verbis temeritatem arguit,

[1] *Alc.* 113. ***Rubrica:*** INCIPIT VITA SANCTI RUDESINDI EPISCOPI.
[2] ***Ibid.*** ***deest***
[3] ***Ibid.*** propositam sibi
[4] ***Ibid.*** hoc mihi
[5] ***Ibid.*** famulam tuam, ***et supra lineam:*** vel ancillam
[6] ***Ibid.*** quam plures a diabuli laqueis pastorali cura
[7] *Alc.* 113. uisitatione
[8] ***Ibid.*** ad eam
[9] ***Ibid.*** legitimo tempore cognouit suam congugem,
[10] ***Port.*** 365. mitigationis exultatione
[11] *Alc.* 113. accersitis
[12] ***Ibid.*** uicinis pauperibus

piam suis suppellectilibus subleuauerunt. Quin etiam dimidium hereditatis, que sala uocatur, in qua promissio completa est [1], uouerunt. Ibique ecclesia, ut dicitur, ad honorem dei et sancti michaelis angelorum principis in testimonium fabricauerunt, et uocatis episcopis eam conscrauerunt.

5. Sed cum tempus in quo per aquas [2] regenerationis a culpa primi parentis liberaretur [3] appropinquaret, in patris et matris firmum ducitur deliberatione, ut ibi fidei sacramentum recipiat, ubi a domino per angelum promissus fuerat [4]. Cum ergo uas lapideum, in quo per aquas babtismatis regeneraretur [5], plaustro ueheretur, diuina prouidente gratia [6], cum ante ualuas ecclesie Sancti michaelis, quam nuper dedicauerant, transiret [7], fractum est plaustrum, et uas, quod fons uulgo dicitur, in ecclesia est inuentum, et usque in hodiernum diem honorifice custoditum. Quod diuina dispensatione fieri, postquam parentes intellexerunt, puero ibi babtizato, ecclesiam cum supradicta hereditate ecclesie sancti saluatoris, que est super montem cordubam [8], ubi repromissus fuerat, iure testamenti liberam dederunt. Creuit autem puer indolis egregie; et non nugis et derisionibus, sicut fit in pueris, uoluit primam loquelam informare, sed litterali studio traditus, uerbum dei meruit discere. Ad ultimum uero uigore castitatis armatus, humilitate non uiciosa circumuallatus, pacientia corroboratus, caritate supra quam dici potest sublimatus, ad sacrorum ordinum apicem meruit peruenire. Creuit etenim eius fama, et eius bonitate tota replebatur yspania.

6. Interea sedes dumiensis ecclesie orbata est suo antistite. In qua populo plaudente [9] et omni clero deum cuius reuelatione fiebat laudante [10], rege ordonio iamdicti ranemiri regis filio, cum omni milicia annuente, rudesindus non sponte sed quasi coactus XVIII.° [11] etatis sue anno ordinatur episcopus. Cuius sedis cathedram dum optineret quantum ecclesiam augmentaret, quam honeste cleros tractaret, quam diligenter ecclesias restauraret, uiduis et orphanis, aduenis et peregrinis, de reditibus proprie hereditatis quam familiariter ministrauerit, pro sui magnitudine nemo sufficienter posset describere. Erat enim uultus eius angelicus, et sermo dulcedine predicationis mellifluus [12]. Sed non multo post, ut fertur, rege ordonio prefato concedente, mendumensis ecclesie sortitus esl dignitatem, quam totius bonitatis mirifice fecit illustratam. Non post multum autem tempus [13], rege Santio supradicti Regis ordonii fratre suadente, et comite compostellane prouintie [14] cum populorum frequentia enitente, ipso uero reclamante, et se indignum ad tantum opus dicente, quamvis invitus tamen hyriensem apostolice sedis optinuit cathedram.

[15] Eo tempore quo beatus rudesindus hyriensem ecclesiam regebat, et gallecia [16], ut asserit [16], cum gallecia iam fere tota inuaderetur a normanorum multitudine, et portugalensium prouincia uastaretur a sarracenorum fortitudine, et rex santius memoratus in toletanis partibus teneretur cotidiana uinearum et segetum de populatione, et ostium a christianorum finibus expulsione, rudesindus [17], quia regalibus ut diximus erat ortus natalibus, regias uices in secularibus, episcopales uero in ecclesiasticis meruit optinere. Sed dei misericordia, que nullum in se confidentem deserit, illum protegente, et que facienda essent illi consulente, portugalensium patriam liberauit a paganorum perfidia, et galleciam tutam reddidit a gallorum superbia. Post hec autem uolens cum seculi pompis episcopatum relinquere, et solitariam uitam ducere, aliquanta monasteria, ut asseritur, fecit construere quam ad ultimum in somnis deica amonitio studuit amonere, ut in limie partibus in sancti saluatoris honore monasterium faceret edificare, in uilla uidelicet que uulgo appellabatur uillare, cuius nomen postea idem episcopus in eius edificatione fecit transmutari, et cellam nouam decreuit appellari. Quam uillam, sicut in testamentis monasterii reperimus, eiusdem episcopi auus nomine ermigildus cognomento menendus, regali uidelicet linee propinquus, ex regis adefonsi munificentiis est adeptus [18]. Nam cum eidem regi VII. annorum curriculo illius quidam ex principibus [19], nomine guicia, rebellis nullo modo obtemperaret seruitio exiit edictum a rege, eundem per prefatum comitem ermigildum armata militum manu petere quatenus uel sic illius contumatiam posset contundere. Quod si ita idem ermigildus ageret [20], et eum subderet sub ipsius dominio [21], omnem hereditatem, quam ille iniusto possidebat imperio, tam ipse quam eius posteritas iure hereditario possideret perpetuo. Cui ermigildus: Oportet me utlibet quicquid iniungeris [22] proposse

prophetans, mortem violentam Sisnando cito eventuram; quæ ita contigit, sicut ei fuerat a Rudesindo prædicta. Ille sine mora ex Compostella exivit, et lætus confugit ad monasterium S. Joannis de Cabero, quod ædificaverat.

CAPUT II.

Monasterium Cella-nova extructum. S. Rudesindi vita monastica: dignitas Abbatis.

5. Sanctus vir Rudesindus solitudini, orationi et contemplationi totum se dedit in istis temporibus, in tantum ut orans pernoctaret. Dum ergo instantius in monasterio Caberi contemplationi vacaret, mundi pompis et vanitatibus renunciare decrevit. A Deo oranti revelatum est, ut in oppido Villare probe Limiam cœnobium ædificaret; et consecrans Sancto Salvatori, in eo monasticam vitam ageret. Hac revelatione accepta, sanctus Episcopus ad Villare venit, ut locum sibi assignatum a Deo videret. Postquam vidit, gavisus et: quia hoc Villare fuit hæreditas avorum suorum, situmque erat in amœna valle, plena fontibus et rivulis, aptaque floribus, fructibus et herbis producendis, nec non et arboribus pomiferis. Statim inceptum est ædificium monasterii, quod Rudesindus Cella-nova ab omnibus vocatum est vocabulo monasterii.

6. Octo annis constructa sunt omnia monachis necessaria, videlicet ecclesia cum sacristia, claustrum cum cellis, capitulum et refectorium. Omnibus his constructis, vir Dei congregavit multos monachos ex diversis monasteriis, eligens meliores, gradientes iuxta normam Sanctorum Patrum, voluntatemque habentes bonam in ea. Franquillam Abbatem S. Stephani vocavit, ut novum monasterium regeret, a quo ipse sanctus vir, Episcopali pompa deposita, habitum religiosum suscepit, et regulam S. Benedicti professus est. Hic Franquilla erat vir sanctissimus, et speculum omnium virtutum: solicitus et attentus ovibus suis de illarum profectibus spiritualibus valde curabat. Hoc magistro, mirum est, quantum Rudesindus excelluit in caritate, obedientia, humilitate et paupertate. Mirum est, quomodo se totum tradidit negationi sui ipsius, mortificationi voluntatis suæ, vigiliis et orationi. Et quia cognovit, hoc suum monasterium ad hoc fuisse electum a Deo, ut multi in illo a laqueis peccatorum liberarentur, et a potestate satanæ; ideo voluit, ut omnes Fratres in illo viventes, ad culmen Evangelicæ perfectionis properarent. Ipse vero sanctus exemplo et doctrina omnes antecedebat, intentus psalmodiis, vigiliis et obedientiæ sub Franquilla Abbate, cui in omnibus obtemperabat; quamvis super partes Gallæciæ regias vices imperando exerceret. Multa monasteria a fundamentis extruxit, alia reædificavit, alia correxit et ad primum suum statum restituit: ad quæ Abbas Franquilla magnum adjumentum erat cum aliis Fratribus sanctæ vitæ et conversationis.

7. Peractis jam multis diebus quadam die..............

[1] *Alc.* 113. facta est
[2] *Ibid.* per aquam
[3] *Ibid.* liberatur
[4] *Ibid.* ubi a Domino promissus per angelum fuerat
[5] *Ibid.* baptismatis uas futurum spiritus sancti regeneraretur
[6] *Ibid.* diuina prouidentia
[7] *Ibid.* sancti michaelis ecclesie transiret, quam nuper edificauerat
[8] *Ibid.* que super montem cordubam posita est,
[9] *Ibid.* aplaudente
[10] *Ibid.* cuius fiebat nutu ac revelatione laudante,
[11] *Ibid.* octauodecimo
[12] *Alc.* 113. et sermo melifluus.
[13] *Ibid.* Non post autem multum tempus.
[14] *Ibid.* et compostellane prouincie comite
[15] *Port.* 365. *Rubrica:* IN TRANSLATIONE SANCTI RODESINDI
[16] *Alc.* 113. *desunt*
[17] *Ibid.* rudesindus episcopus
[18] *Port.* 365. est tali pacto adeptus.
[19] *Alc.* 113. quidam illius ex principibus
[20] *Ibid.* Quod ita idem ermigildus si ageret
[21] *Ibid.* et eum sub ipsius dominio subderet
[22] *Ibid.* iniunseris

peragere, si [1] hereditatem quam asseris meo iuri facias subcumbere. Quod libenter regi complacuit, et sic ipse iudicauit [2] iure iurando concessit. Qui protinus regium exercitum regis iussu coadunauit, et iunctis parentibus guiciam obpugnando dei aminiculo apprehendit, et regi adefonso Oueti tradidit, qui eciam in carcere pessime [3] uitam finiuit. Ermigildus itaque regis concessione, cunctam iamdictam hereditatem uidelicet, ut fertur, leporarium montem, et maximam tam de limia quam omnem de bubalo partem hereditario iure absque ulla contradictione suscepit. Post cuius excessum illius posteri secure retinuerunt. Item * quos filius eius gutier comes, Sancio supradicto [4] rege concedente, tunc regni monarchiam tenente [5], suam portionem in pace possedit, ac filiis suis, tam beato Rudesindo, quam his quos post eum ex coniuge sua ilduara impetrauit, diu ante obitum ad possidendum diuisit. Inter quos infans froyla, qui apud uillam nouam in sede paterna morabatur, prefatam uillam nomine uillare in portione accepit, quam iterum ab examena supradicti santii regis sorore, tunc in limia apud saturicus [6] commorante, per litterarum descriptionem [7] confirmatam habuit, ac postea fratri suo beatissimo rudesindo episcopo ad construendum inibi monasterium, uti eidem episcopo [8] in somnis fuerat [9] reuelatum, pro anime sue remedio libenter tribuit, ac firmissimo testamento, quod usque hodie penes nos haberetur, concessit. Qui statim ad hec beatus episcopus rudesindus regem ranemirum [10] memorati sancii regis natum, qui tunc imperabat, petiit, et ei sui cordis archana patefecit, cui ultro assensum prebuit, et non multo post priuilegium, quod actenus apud idem cenobium retinetur, condonauit, uidelicet, non regibus, non episcopis, non archiepiscopis, non principibus [11], non cuilibet homini, nisi tamen [12] deo, et summo romano pontifici, quantumlibet [13] uidelicet ad fidei sacramentum pertinet obedire precepit, insuper et adminiculum multorum prediorum impendit. Ad quem locum mox reuersus episcopus sanctus, ualde est letificatus, eoquod ille locus tam uineis, quam pomiferis arboribus, siue segetibus esset decoratus, atque planitie dilatatus pratis ac obtimis aquis irrigatus, vbinam utiles monachorum habitationes, matre eius ylduara sibi auxiliante cepit edificare, et ecclesiis prope sancti martini oraculum, quod ibi olim, ut fertur, fuerat extructum decorare, quod actenus ex sinistra ecclesiarum parte cernitur restauratum constare. Quarum excellentiorem edificauit in honore sancti saluatoris, secundam in honore sancti Petri, terciam in honore sancti iohannis apostoli, domino dedicari uoluit, fecit et intra monasterii claustrum prope promptuarium non longe ab eisdem ecclesiis, sancti michaelis archangeli oraculum, uisu ospitiolum paruulum, miro lapideo opere tabulatu, oculis ualde admirabile cernentium. Ecclesiis itaque peractis, et omnibus necessariis edifitiis consumatis, uidelicet, que monachis in claustro sanctam uitam ducentibus sufficerent, et hospitibus et peregrinis quietem et refrigerium darent. Septimo igitur anno expleto, et inchoante, ut fertur, octauo, omnibus ut diximus que ad monasterium pertinent completis, monachos ex diuersis partibus aggregauit, religionis habitum sibi applicuit, et sic factus monachus abbatem sancti stephani franquilam petiuit, cui olim idem cenobium pater eius gutier ordonii regis nutu restaurandi causa exhibuit, ex quo abstracto sibi associauit, et sui ac totius monasterii sub regula sancti benedicti patrem et rectorem, sicut in testamentis resonat, constituit, sub cuius ditione mirifice deo militauit. Quamuis enim humilitatis causa sub abbatis imperio degebat, tamen in sacri ordinis consecratione, episcopales uices non amittebat [14], et uniuersi census utilitatem computauit, ac de his perpetuum deo olographum fecit, et monasterio ab ipso, ut retulimus, uocato cella noua cum seruis et ancillis mancipauit, et unicuique, ut fertur, quid operis deberet facere imposuit. Hinc pater eius gutier, simulque episcopi, fratres, ac sorores, et plerique alii ei opitulatione [15] impenderunt, et cenobium late hereditatibus ditauerunt. Similiter mater eius ylduara omnium que uidebatur possidere per dei et filii amore simile opus peregit, que non multo post uite cursum ibidem, ut credimus, feliciter consumauit. Pro cuius soluendis peccaminum nodis, mox sanctus episcopus rudesindus cum omni cetu congregationis longo tempore potitur sacrificiis.

7. Post non multos uero annos quadam die episcopo cum abbate franquila, ut asseritur, consedente, uisa est ei ab ore abbatis species columbe sepius exire, atque iterum intrare. Cui episcopus: abba, uideo columbam ab ore tuo regredi simul et ingredi. Ad quem abbas: Quod asseris, pater, me nescire plane profiteor. Cui iterum episcopus: Scito, abba, quod columba hec nichil aliud est nisi nuncius dei, qui te in proximo inuitat ad regnum. Qui non multo post, ut episcopus dixerat, glorioso fine clausit terminum uite. Cuius peractis exequiis sanctus episcopus rudesindus a monachis abbas eligitur; abbatiales uices possidens, tamen episcopales non amittens. Porro quante sanctitatis fuerit; quam pius, quamque benignus erga omnes extiterit, Karitas non tacuit: cum [16] iustum ut melius proficeretur sacri uerbi lenitate instruebat; et comotum seu superbum, ut emendaretur, legis suauitate et gehenne terrore mitigabat, iuxta illut apostoli: Argue, obsecra, increpa in omni paciencia et doctrina. Ad cuius mirabile exemplum, hinc episcopi dignitatibus episcopii spretis; hinc abbates honoribus abbatie abiectis; hinc turbe populorum, tam nobilium quam ignobilium, cosmi [17] diuitiis derelictis, ueniebant, omnia sua seque dedentes. Sed et nonnulla monachorum ac monialium monasteria sub eius dulcissimo imperio submittebantur, que in limie et gallecie seu portugalis prouincia constructa esse uidebantur; cuius melliflua doctrina satis educabantur.

8. Factum est autem, sicut plerique testantur, ut quadam die apud portugaliam unum ex his, nomine sanctus iohannes de uenaria, ab ipso uisitaretur; et a senorina eiusdem cenobii abbatissa, et ipsius, ut dicitur, consaguinea, offitiosissime susciperetur. Cumque sederent, et inter sacra colloquia ei munusculum ab illa exhiberetur, et pre sacro amore sed frequenter intuerentur; duo operarii, qui super domum operiendi causa cum aliis operabantur, inter se male de eis senserunt. Quos statim inmundi specie [18] inique inuaserunt, et in terra absque anima, iusto dei iuditio, proiecerunt. Tunc quidam qui adstabant, quamuis perterriti, eorum corpora susceperunt, et intra ecclesiam ante altare deposuerunt. Rudesindus post hec episcopus almus, tam a senorina quam a cunctis qui aderant attentius exoratur, quatenus suis sanctis precibus, eis salutis beneficium prestare dignaretur. Quorum precibus uir dei compulsus, deique pietate confisus, oratorium ubi mortui iacebat [19] ingressus, flexis genibus sic ad dominum loquitur: Domine deus celi et terre, qui lazarum quatriduanum et uiduc mulieris filium, ac principis sinagoge filiam suscitati [20], hos, quesumus, famulos tuos ab inimici nexu libera ac excita, ut

[1] *Alc.* 113. maxime si
[2] *Ibid.* et sicut ipse petebat
[3] *Ibid.* pessime in carcere
* *Lege* Inter
[4] *Alc.* 113. Inter quos comes domnus gutier eius filius sancio supradicto
[5] *Ibid.* regni monarchiam tunc tenente
[6] *Ibid. et Port.* 365. saturicas
[7] *Alc.* 113. descriptione
[8] *Port.* 365. tempore
[9] *Alc.* 113. fuerat in somniis
[10] *Ibid.* ranemirum regem
[11] *Alc.* 113. non regibus, archiepiscopis, non episcopis,
[12] *Ibid.* tantum. *Fragmentum de vita et miraculis sancti Rudesindi, in codice Alcobacensi* 113 *descriptum, terminatur hic.*
[13] *Port.* 365. quantum
[14] *Ibid.* amittebat. Deinde omnem hereditatis axem, et
[15] *Ibid.* opitulationem
[16] *Ibid.* ut
[17] *Ibid. deest*
[18] *Act. Sanct.* Spiritus.
[19] *Ibid. et Port.* 365. iacebant
[20] *Ibid.* suscitasti

uiuentes tibi demus laudes in secula. Cumque liutius perorasset, oleum benedictum accepit, et per eorum ora seu per oculos in modum crucis cum police superunxit, et ait: In nomine sancte trinitatis patris et filii et spiritus sancti, sani et liberi a mortis somno surgite. Qui protinus ad hanc sancti rudesindi pontificis uoce [1], tam ab immundis spiritibus quam a morte incolumes surrexerunt; et hoc, quod retulimus, sicut eis euenerat proprio ore patefecerunt.

9. [2] Item alio tempore cum a concilio, a [3] quod iuerat, reuerteretur, et post horam III.am a fratribus expectaretur, angelice uoces in medio itineris ab eo [4] sunt audite ad modum canentium officium misse. Descendit igitur episcopus, et orationem faciens fixis genibus, donec ei uisum esset audire ite missa est, iacuit prostratus. Deinde surgens monasterium ingressus est. Cum autem monachi se prepararent ad celebrandum misse officium, conuocatis omnibus ad capitulum, et quod sibi uisum fuerat postquam dixit; ut post canonicas horas nemo, quamuis gradu celsior, prestolaretur, sed officium misse in constitutis horis celebraretur, tali reuelatione monitus firma sanctione instituit.

10. Accidit eodem tempore, ut regina aragunti, que sanctam uitam ducebat, monasterium quod saliceta uocatur edificauit, magno teneretur languore. Hec autem, cum infirmaretur, ad consubrinum suum episcopum nuncios direxit, quatenus eius presencia et [5] sanctis orationibus uisitaretur. Quod audiens episcopus, fusis ante deum precibus, iter ingressus est [6]. Cum autem montem qui sandin dicitur ascenderet, angelorum uoces gloria in excelsis deo cantantium, suaui modulatione cum audiret, in terra prostratus et iterum sursum eleuatus, secum euntibus sic est orsus. Reuertamur fratres ad monasterium, quia regina iam huius uite terminauit cursum, et a deo meruit obtinere triumphum. Qui reuersi, nuncium miserunt, et ita reperit [7], sicut episcopus dixerat. Post non multum uero temporis uir deo deditus, cum iam uideret se erumnas [8] huius seculi terminare, et post huius peregrinationis exilium propriam hereditatem recuperare, conuocatis in unum fratribus, eos sic sancto sermone et meliflua locutione fuit admonitus: Ea fratres, nexibus huius carceris, et de periculo exilii presentis iam liberor. Quamobrem sancte professioni, cui deo adiuuante regulariter seruitis, hoc cenobium cum hereditatibus et seruientibus deo cui digne militatis, et uobis, qui eo protegente sanctam uitam ducitis, ab omni parte, tam a regia quam episcopali siue a qualibet liberum relinquo. Seruos et liberos, mobiles et ignobiles, ex qualicumque regione, sanctam et huius professionis uitam cupientes ducere; quod uidelicet monasterii substancia potuerit sufficienter capere, in hoc cenobio ritu perpetuo iubeo recipere. Non enim deus personarum prosapia congratulatur, sed contritione cordis et obediencia in bonis delectatur. Cumque ualde a langore urgeretur, [9] adstantibus cunctis fratribus cum episcopis qui aderant, ceperunt unanimiter dicere cum lacrimarum suspiriis: Domine pater, prouide et considera de tantorum agminibus, quos adquisisti, nutristi, et erudisti; cui nostri curam comendare debeas, aut quem patrem uel tutorem eidem ecclesie restituas. Scis enim, domine, quia sepe per spatia annorum mutantur omnia rerum actionum [10]

11. His uerbis et fletibus comotus, et euangelica eruditione instructus, nec non eciam [11] canonum decretis compulsus, hac [12] eis flebili uoce respondit: Confidite, o filioli et domini, et spem uestram in domino ponite; quia non uos relinquam orphanos. In primis comendo uos creatori meo domino iesu christo, cui uos acquisiui, et in cuius amore hunc locum construxi; et ad regem, qui in urbe legionensi in apice regni unctus fuerit, ad saluandum et tuendum potius quam ad imperandum. Et instituo uobis patrem hunc filiumque tam specialem [13] manillanum abbatem. Et post ipsum qui uicem christi agere uidetur, semper tantum a monachis secundum benedicti regulam pro abbate eligatur, sapiencia, scilicet, eruditus, uita probatus, et omni collatione preelectus. Itaque scitote quod ego uobis ero auxiliatus [14], locumque istum protecturus, et malefactoribus semper ulturus. His dictis XLII.o anno ab initio, quo cenobium cepit edificare, LXX.o [15] autem post eius sanctam in monte corduba promissionem, ex quibus X.m [16] in episcopatu, XX.i II.o [17] in abbacia, die kalendarum marcii V.a uidelicet feria, existente completorii hora, adstantibus omnibus de eius absentia ualde plorantibus, sed de ipsius felici gloria letantibus, rege ranemiro, supradicti santii regis filio, imperante, cum sanctorum agmine immarcessibili trabea et indeficienti corona a remuneratore omnium bonorum feliciter in gloria est coronatus. Eadem uero hora, ut asseritur, qua sanctus uir rudesindus obiit episcopus beata senorina, cuius superius mentionem fecimus, dum completorii officium pariter perageret cum suis monialibus audiuit psallencium uoces in celo, et dicentium te deum laudamus. At illa eis [18] curauit interrogare, si earum aures uoces ille percuterent. Quo [19] dixerunt: Minime. At ipsa quadam puella ad se adcita oratione premissa interrogat [20] si aliquid audiret. At illa: Audio uoces quasi in celo, sed quid sit prorsus ignoro. Que respondens ait ad omnes: Scitote dominum nostrum rudesindum episcopum migrasse a seculo, et nunc angeli cum hymnis et laudibus deferunt in excelsum. Que cellam nouam miserunt et ita die et hora sanctum uirum obisse inuenerunt, sicut eis dixerat beata christi ancilla. Sepultus uero est honorifice prope ecclesiam sancti petri in lapideo sarcofago, ubi poscentibus prestantur beneficia dei ad honorem et laudem nominis sui. Qui cum patre et spiritu sancto uiuit et regnat per infinita secula seculorum amen.

Tempus uite et series beati rudesindi episcopi, sic breuiter distinguitur. Nam cum era nungenos quadragenos et quinos annos protraheret idem sanctus uir VI. kalendas decembris die V.a feria natiuitatis exordium sumpsit. Porro XIII.o kalendas maii IIII.a post pascha feria era nungenos sexagenos et ternos annos ducente gradum episcopalem suscepit. Hinc era nungenos LXX.a et ternos annos trahente celle noue monasterium hedificare cepit, ubi postea die kalendarum marcii, V.a, scilicet, feria, hora completa, era millenos denos et quinos annos fundente ad christum migrauit, a quo decenti hora ut apparet quietis denarium decenter impetrauit iuxta illud euuangelii: Cum sero autem factum esset dicit [21] dominus uinee procuratori suo: Voca operarios, et redde illis mercedem. Unde quia iste uir beatissimus a prima hora diei hoc est a I.a etate in domini uineam digne laborauit. Post finem [22] diei digna premia secundum iamdictum preceptum domini non inconuenienter accipere meruit. Cuius semper auxilium nos comitetur per eum qui uiuit et regnat cum deo patre in unitate spiritus sancti deus per [23] secula seculorum Amen.

[1] *Port.* 365. uocem
[2] *Act. Sanct. Rubrica:* CAPUT III. *S. Rudesindi cœlestes visiones. Mors. Sepultura.*
[3] *Ibid. et Port.* 365. ad
[4] *Port.* 365. a beato
[5] *Ibid. deest*
[6] *Ibid.* aggressus est
[7] *Act. Sanct.* repeterunt.
[8] *Port.* 365. erumpnas
[9] *Ibid.* sumptis misteriis
[10] *Act. Sanct.* omnium rerum actiones.
[11] *Port.* 365. *deest*
[12] *Act. Sanct.* hacc.
[13] *Ibid.* Filiumque meum spiritualem.
[14] *Ibid. et Port.* 365. auxiliaturus

[15] *Act. Sanct. Mendum hic est ex Actis Hispanicis corrigendum: ubi legitur:* setenta años despues de su nascimento. Septuagesimo anno ab ejus nativitate, *nulla facta mentione professionis factæ in monasterio Cordubensi: quæ verba male intrusa sunt, aut certe alius annus præponendus. Natus autem est anno* 907.
[16] *Act. Sanct. Hi numeri videntur turbati, cum pro* decem *in alio MS. Latino et Hispanico legantur* triginta duo. . . . .
[17] *Act. Sanct.* viginti vero
[18] *Ibid. et Port.* 365. eas
[19] *Ibid.* Que
[20] *Port.* 365. interrogabat
[21] *Ibid.* dicitque
[22] *Ibid.* Post prime
[23] *Ibid.* per omnia

Incipit capitulatio in libro I.° uirtutum Sancti Rudesindi episcopi et confessoris.

Quomodo petrus gundisalui crepuit medius.
Qualiter munio uelasci effectus est mutus, et postea defunctus.
De muliere illuminata, et filio a demone liberato.
De ferreis circulis fractis.
De muliere illuminata.
De serpente eiecto a muliere.
De serpente eiecto a puero.
De naui ueniente ad uiatores.
De muliere a demone uexata et postea liberata.
De homine a uinculis liberato.

Incipit liber I.us miraculorum Sancti Rudesindi episcopi et confessoris, qui a deo per ipsum post eius obitum sunt facta, et a magistro Stefano cellenoue monacho edita, et ab eo [1] ab his qui uidere cognita. [2]

1. In tempore namque regis adefonsi, filii regis fernandi, sicut a reuerendis celle noue fratribus didici, infans ieluira, ipsius regis germana, in hac morabatur prouincia. Que abbatem pelagium bone memorie, qui modo prope ecclesiam sancti michaelis quiescit, multis modis afflixit, et hereditatem monasterii seuissima donatione oppressit. Abbas uero coactus cum paucis eius tirannidem fugiens in insulas de corugio, ut saltem ibi deo quiete seruiret, profectus est. Interea infans ieluira petrum gundisalui apostatam, et secularem ducentem uitam, huic preposuit monasterio. Decreuit ergo supradictus petrus monachos a claustro expellere, et intra cellas que ante ecclesiam sancti michaelis sunt includere, et iam dicta ieluira, cum militibus et matronis seu cum omnibus aliis, in claustro et in refectorio siue in fratrum dormitorio permanere. Quod firmum et ut in sequenti die fieret sanccitum, postquam compertum est monachis, et eis ad cenam a solita portione ab eo aliquid subtraheretur, eadem hora cum lacrimis et singultibus ante sepulcrum sancti rudesindi se prosternunt nudis genibus. Quorum unus tam [3] decrepitus, erecto baculo quo sustentabatur, percutiens monumentum, magno eiulato sic conqueritur: Cur nos, rudesinde, hic congregasti? Cur nos sub specie religionis, quam nunc in te falsam fuisse comprehendimus, decepisti? Cur nos auulsos a propriis sedibus, ubi ut licebat uiuebamus, ad seruiendum non deo ut predicabas, sed tirannis prebuisti? Si sanctus es, libera nos. Cumque orationem fratres complessent, ipso die sero post cenam iam dictus petrus in thoro quiescens, magno sonitu crepuit medius, et statim obiit peregrinus. Ad cuius interitum memorata ieluira surrexit, et concito gressu absque ulla iumenti subleuatione, pre nimio sancti antistitis rudesindi pauore, uillam nouam deuenit. Que per se abbatem pelagium expetit, et ad monasterium honorifice reintegratis omnibus transducit.

2. Vt asserunt, et sancti uiri qui presentes fuere mihi referunt [4], quemdam militem regis, qui munio uelasci uocabatur, infirmum in hoc monasterio comes dimiserat reymundus. Hunc autem in cenobio honorifice tractabant, et que necessaria erant, ei administrabant. Sed cum quodam die ille superflua quereret, et a cellarario que querebat, quia minus [5] erant non impetraret [6], et eum male et inhoneste tractaret, ante promptuarium in impetu furoris consedit, et cuidam ethiopo ut portas frangeret imperauit, et que uellet, inhoneste multato monacho, si contradiceret, inde traheret. Quod postquam compertum est monachis, tam illi quam cellararius ad sepulcrum sanctissimi uiri rudesindi concurrunt, et ut domum suam, quam ipse pauperibus dederat, non militibus, una ut defendat, multis cum lacrimis postulant. Eadem uero hora effectus est mutus, et in sequenti die defunctus.

3. Quodam itaque tempore in partibus camporum quedam femina amisit lumen oculorum. Que dum ceca per multa tempora maneret, et multorum sanctorum limina lacrimis perfunderet, in somnis est amonita ut sancti rudesindi festinaret adire sepulcrum. Ipsa uero auditum nomen, quia nunquam alias audiuerat, multos percunctando, et paulatim de patria in patriam incedendo, demum partes intrauit limie. Cum autem incolas eiusdem patrie percunctaretur, ab eis ut cellam nouam peteret amonetur. Ingressa itaque cellam nouam, ante sancti uiri monumentum peregit uigiliam. Mane itaque lucescente, ipsa, que ceca fuerat, iubar solis cepit uidere. Recepto igitur lumine, in propria reuertitur, et post annum cum puero a demone uexato ipsa siquidem ut ante ceca, quia uigiliam sancti rudesindi ceu uouerat non obseruauit, ante sepulcrum sancti ubi reperitur. Peractis itaque uigiliis ipsa iterum [7] illuminatur, et puer a demone liberatur.

4. Item in temporibus abbatis petri quendam cecum multi qui adhuc supersunt sanctam uitam ducentum uiderunt. Qui ut strictiorem uitam * duceret, et peccata sua ieiunio et oratione, nec non et carnis maceratione, diutius fleret, ferreis circulis [8] accintus est. Cum autem carne supercrescente armille ferree, quibus brachia circumdabantur, iam penitus cooperirentur; et circulus, quo uenter cingebatur, ob ulcera ex fractione carnis tumencia, non uideretur, magno et intolerabili dolore afficiebatur. Quippe cum nec medicina foueri, nec alicuius instrumenti poterat auxilio consolari. Visis itaque, nam prope monasterium morabatur et monachis ut poterat famulabatur, que per sanctum uirum fiebant, miraculis; ante illius tumbam nocte tota excubans, aurora superueniente iacuit semiuiuus. Sole uero iam oriente, ligamina ferrea fracta sunt, sancti rudesindi medicina superueniente, et ipse sanus factus coram sepulcro deum laudans a monachis est inuentus.

5. Postea uero cum supradictus cecus ligaminibus ferreis per sanctum rudesindum solutus, solitariam uitam in monte, qui sandim dicitur, duceret, uxor eius ceca effecta est. Hec autem dum cotidie ante sarcofagum sanctissimi uiri preces funderet, officia quoque diei ac noctis diligenter audiret, die appropinquante manus ante basilicam [9] solito more cepit abluere. Cum uero proprias manus uideret, timens ne malignus spiritus eam illuderet, domum reuersa est. Sed cum ex consuetudine ad ecclesiam nocte ueniret, et orationem ex more deo cum lacrimis funderet, arcessito sacristario se uidere confessa est. Ipse autem inquiens: uade et deo gratias redde. Jam ad secundam horam sole ascendente, nono anno sue cecitatis, per beatum rudesindum illuminata, cunctis prebuit miraculum.

6. Eodem fere tempore cum quedam mulier iuxta parietem dormiret, peccatis exigentibus, a serpente inuasa est. Que, dum ualido dolore torqueretur, et uicinarum ecclesiarum ante limina prosterneretur, ante sepulcrum tandem sancti episcopi presentatur. Itaque monachorum adiuta precibus, et sanctissimi rudesindi coruscantibus uir-

[1] *Port.* 365. et
[2] *Act. Sanct. Rubrica:* LIBER II. Capitulatio Virtutum, seu Miraculorum Rudesindi Episcopi, quæ a Deo per ipsum post ejus obitum sunt facta. CAPUT I. *Oppugnatores monasterii puniti. Varia miracula.*
[3] *Port.* 365. iam
[4] *Act. Sanct. desunt.*
[5] *Act. Sanct.* nimis
[6] *Port.* 365. impetrauit
[7] *Act. Sanct.* iterum
* *Hic desinit fragmentum de vita et miraculis sancti Rudesindi, in codice 365 Portucalensis Bibliothecæ descriptum.*
[8] *Act. Sanct. In alio codice:* Flexis circulis.
[9] *Act. Sanct. Ibidem:* ante fontem Basilicæ.

tutibus, serpens ore ipsius proicitur, ut cum fugeret adstantibus, qui paulo ante uobis me audiente recitauerunt, tenetur et interficitur.

7. Item alio tempore quidam puer, qui circa hoc monasterium, erat enim famulus, morabatur, cum peccora custodiret, fuste proiecto, ut fit post peccudes, cecidit inter uepres. Qui dum incaute nil suspicans, ut stipitem acciperet, se inclinasset, forte serpens non magnus per os eius saliens in uentrem descendit. Eius itaque parentes hoc postquam uiderunt, ante tumbam sancti rudesindi eum presentauerunt, et ut proprium famulum liberaret, cum conuentu monachorum eum rogauerunt. Expulso itaque, et per os eiecto colubro, puer sanus redditur.

8. [1] Accidit quodam tempore, sicut ueridicis coram uobis recitantibus, qui se illos, quibus hoc euenerat miraculum, uidisse aiebant, didici, ut propositum iter ingrederentur duo uiri. Qui post solis occasum, nocte imminente ad litus cadaui uenissent, et nauem trans fluminis alueum conspexissent, et domum uel aliquid huiusmodi ad hospitandum abile nusquam uidissent, interius dolore commoti, exterius uero timore perterriti, super amnis hora sederunt. Cum uero inter se quid agerent diu uoluerent, accidit ut a miraculis sancti rudesindi sermonem caperent. Cum autem miracula que per ipsum deus fuerat operatus multa narrassent, una uoce clamauerunt: Sancte rudesinde, si uera sunt que de te soliti sumus audire, nobis succurre, et ut sani transmeemus curam de nobis habe. Quod postquam dixerunt, quod mirum est dictu, lembum uenientem uiderunt, et cum portum, deo remige, teneret, ipsi festinanter intrauerunt, et sic sancto rudesindo nauta, sani et incolumes transmeauerunt.

9. Mulierem ab immundo spiritu uexatam, et per longi temporis spatium cruciatam, multi qui adhuc supersunt uiderunt. Hanc siquidem malignus spiritus ita furoris uesania repleuerat, ut nisi cathenis teneretur, in ignem aut flumina, aut in aliqua precipicia cum mortis periculo precipitaretur. Parentes uero eius, cum iam prolixi temporis afficerentur tedio, quippe qui eam custodiebant tota die, simul et uigiliis macerabantur nocte, ut eam iam dimitterent habuerunt pro consilio. Sed rerum omnium factor, et factorum gubernator, laborantium subleuator, omnium bonorum recuperator, quod fecerat, noluit derelinquere. Igitur diuina reuelatione premoniti parentes, cathenatam, quam genuerant, ducentes ante sancti ubi [2] sepulcrum cum in nocte super suam filiam uigilarent, Huiusmodi preces cum lacrimis fuderunt: Sancte rudesinde, christi confessor, qui lepore non delectaris uerborum, sed suspiria et gemitus consideras intentionum, uide nostram afflictionem; et ut adtendas miseram nostri conuersationem, Sanctissime rudesinde, uel huic nostre misere filie finem uite impone, uel ab hoc nequam spiritu, tuo iuuamine defende. Hac simplici oratione finita, in terram cecidit puella, uelut mortua. Tunc spiritus, qui ei dominabatur, ululans exiuit ab ea: ipsa uero cum parentibus domum sospes reuertitur.

10. Nuper etiam in partibus decie, sicut a monachis didici, quidam homo iniuste oppressus, in potestate cuiusdam militis tenebatur uinculis alligatus. Cum autem eum tortores iussu domini uehementer affligerent, et ab eo quod non habebat sub questione quererent, intempeste noctis silentio, sic locutus est: Sancte rudesinde christi confessor, uide cruciamentum, et corporis passionem, quam iniuste patior: libera me, pater sanctissime; ego enim iam proposueram presentiam tue sepulture uisitare. Hec postquam dixit, somno grauatus aliquantulum dormire cepit, atque in ipso somno sanctum rudesindum sic loquentem meruit audire: Surge homo, surge; nil timeas, sed securus incede; uerumtamen quod uouisti, operibus comple. A somno igitur expergefactus, sancto rudesindo manum eius tenente, inter uigiles tutus exiuit. Non post multum uero temporis ad sepulcrum sancti rudesindi ueniens cum cereis et oblationibus hec, ut ei euenerant, ordine narrauit.

Incipit capitulatio in libro II.° uirtutum Sancti Rudesindi episcopi.

Quomodo munio fulgur pessime obiit.
De milite quodam a demone uexato, iterumque sanato.
De rustico perdito lumine, et postea recuperato.
De muliere a rabie uexata, et iterum sanata.
Quomodo prius litteras aborrui, et postea adquieui.
De infirmo celle noue famulo, iterumque sanato.
De cuiusdam abbatis furata ueste, et postea inuenta.
De puero a demone uexato, et iterum sanato.
De duabus sororibus ab uno demone uexatis, et postea sanatis.
De celle noue monasterio a rege portugalensi leso, iterumque recuperato.

Incipit liber II.us de uirtutibus beati Rudesindi episcopi *

11. Factum est autem, ut quadam die, sicut ab his, qui in tempore petri abbatis uidere, didici, quidam miles nomine Munio fulgur, boum cellenoue greges temere inuaderet, atque sub sua ditione transmearet. Quod postquam monachis non ignotum est omnibus, ante sancti rudesindi tumbam flexis poplitibus huius rei defensorem atque ultorem obnixius tam singultibus implorant quam precibus. Cumque eadem die eidem una ex his ad edendum prepararetur, posita mensa de ea ab ipso gustaretur, ualido languore dei ultione corripitur. Qui prope se infelicem considerans, aut suis ab intimo corde deplorans: Cunctis reintegratis bubulis, domino meo rudesindo episcopo munus ex meis facultatibus quam totius deferte, quoniam quidem eiusdem ira coartor ualidissime. Quamuis autem secundum quod dixerat adimpleretur, tamen eadem ebdomada illius corpus in ipso cenobio sepulture impenditur.

12. Sub eodem iam dicti abbatis tempore miraculum gestum est aliud mirabile, quod ad quodam uenerabili monacho me recognosco agnouisse, qui se a beato, qui uiderat, memorabat audisse: fatebatur enim quod quadam dominice natiuitatis sollempnitate orraca regina cum non minima militum multitudine cellam nouam deuenisse, quatenus tante sollemnitatis offitia debita ueneratione in tali loco plenius posset auscultare, et ob hoc a deo maiorem anime subleuationem impetrare. Inter hec autem cum a monachis nocturnale officium digne celebraretur, contigit ut pro necessariis, qui ad tantum diem pertinere noscuntur, thesauri domus a sacrista peteretur [3]. Cumque in ipsius ascensu itineris, quidam miles eiusdem regine consederent [4] cum aliis, illius horam clamidis, casu accidente, pedibus conculcauit. Moxque aduersus dei seruum maximo furore infremuit, ac contumeliosis uerbis male tractauit. Qui protinus, dei iuditio, inuasus ab inimico, in ima [5] pauimenti ab excelso inter officia celebrantes proicitur, et huc illucque pessima uexatione a cunctis agitari conspicitur. Itaque quomodo uel quare id actum fuerat, perterritis omnibus, diuulgaretur, summa reuerentia dei potentiam pertimescere uidebantur. Ad ultimum autem illum aliquanti ex monachis una cum populorum turba, ad sancti rudesindi tumulum in ulnis deferunt; et ut ei auxiliari dignaretur, suis precibus exposcunt. A quo statim gloriose a demone liberatur; et id in quo delique-

[1] *Act. Sanct. Rubrica:* CAPUT II. *Alia similia miracula, adhuc ante adventum scriptoris patrata.*

[2] *Act. Sanct.* viri


* *In margine codicis, scripta litteris minutissimis eiusdem manus, sede pene obliterata, hæc invenitur rubrica:* Incipit liber II.us de uirtutibus sancti Rudesindi episcopi ab ordonio qui ipsius episcopi uitam conscripsit post Magistri Stephani descriptionem editus.

[3] *Act. Sanct.* peterentur


[4] *Ibid.* consederet

[5] *Ibid.* imo


Chronicon Conimbricense, olim in Scrinio Monasterii S. Crucis, nunc in Bibliotheca Reg. Academiae Scientiar. Olisipon. asservatum.


In era. ccc. xviiii. Egressi s(unt) goti de terra sua. Era. ccc. xx. vi. Ingressi in Ispaniã. et dñati s(unt) eam annis. ccc. xxx. iii. Et de terra sua peruener(unt) in Ispa

Chronicon Laurbanense, ex Libro Testamentorum Monasterii Laurbani.



Vita S. Rudesindi, ex Codice Alcobacensi 133. in Publ. Biblioth. Olisipon.



Vita S. Theotonii, ex Codice 52. Publ. Biblioth. Portucalensis.

(Pag. 1. col 1.)


Incipit uita b(ea)tissimi d(omi)ni theothonii p(ri)mi p(ri)oris. mo nasterii s(an)c(t)e crucis colinbriensis. Cum in omnibus etiam rebus ut philosophus ait d(eu)s sit inuocandus. multo magis ub exorandus e(st) in materia sublimium uirorum qui calcato

rat, satisfaciendo emendauit, et monasterio de proprio censu grata munera, deo omnes dicentes gratias, pro restituta incolumitate donauit.

13. Alio namque tempore, sicuti a quodam honesto laico uiro cognoui, qui se uidisse asserebat, quidam rusticus ex superioribus camporum partibus lumine oculorum caruerat, pro quo per sanctorum oracula cum oblationibus peragrat, eo quod diu non nulla medicis erogauerat, et nichil utilitatis impetrauerat. Qui cum septem annis cecus uideretur permanere, in somnis demum amonetur, quod luminis apicem nullatenus ab alio, nisi per sanctum rudesindum nosset impetrare. A somno igitur expergefactus, de tanto uiro eo quod nusquam audierat, pre admiratione cepit pauere, et sollicite complures interrogare; cuius tamen sanctitatis sciebat apud deum nimis ualere. Cui demum a quibusdam dicitur: Scias plane hunc beatissimum uirum nequaquam in istis partibus, sed in limie finibus apud cellam nouam quiescere, qui etiam late coruscat uirtutibus. Quo audito, iter subito contra occidentalem plagam arripit [1], quousque cellam nouam deuenit. Qui oculorum lumen ad sacri sepulcri tactum perfecte consequitur, et ad proprium solum incolumis deum laudans reuertitur.

14. Item alio tempore a ualida rabie quedam mulier uexabatur; que tam ipsa quam eius ubi * monasterio seruitutis causa pariter subiciebantur, sicut a supradicto laico agnoui, qui se uidisse confitebatur. Cumque ei nulla medicina auxiliaretur, qua uidelicet ab imminenti morte liberaretur, funibus tamen alligatur, quibus a suo uiro ad sancti rudesindi sarcophagum perduceretur. Quod cum factum fuisset, et de petra sancti tumuli rasa ab ipsa potaretur, ita pristine sanitati reddita est, ac si malum numquam sensisset.

15. [2] Occultandum etiam illud non est necesse, quod cum in primo tenere etatis flore litterarum studiis a parentibus traderer; pre tanti studii sudore, seu uirgarum, sicut solet fieri in pueris, percussione eis abrenunciarem, insuper locis siluarum occultis, ob hec sepius occultarem. Inter hec autem cum nullatenus adquiescerem, quamuis uinculis alligatus, diuino nutu magister meus sancti rudesindi sepulcrum petit, candelam accendit, flexis genibus orationem fudit, quatenus si apud iustum iudicem in clericatus gradu essem predestinatus, ipse me suo uirtutis ligamine constringere, et ad discendum cor dignaretur aperire. Quod sicut postea ab eo multociens audiui, plus adquieui; et non multo post in eodem cenobio monastice professionis habitum libenter accepi.

16. Nequaquam igitur et illud silendum est quod me plane fateor uidisse. Quidam eiusdem cenobii famulus, nomine iohannes, membris omnibus, nescio qua causa infirmitatis, penitus est exemptus. Itaque cum nec uideret, nec audiret, neque aliquid sentiret, a parentibus, me presente, ante sancti rudesindi tumbam deductus est. Qui tamdiu ibi iacuit, quamdiu corporis incolumitatem recepit.

17. Enimuero quisquis in tribulatione cuiuslibet rei positus sanctum rudesindum sincero corde flagitauerit, satis potest consequi, secundum quod poposcerit; cum plerosque uideamus petisse, et sine mora accepisse. Unde ex his unum explicare uolo, quod credentibus sufficere credo. Quidam ergo monachus, qui se sancti claudii legionis abbatem asserebat, fortuitu cellam nouam deuenit; ibique, quantum licuit, permansit, sicut hi qui supersunt mihi referunt, et in preteritis tribus annis quia non intereram factum esse annuunt. Interea cum quemdam monachum sibi incognitum in equo suo, nescio qua legatione, misisset, fugisse credidit, cum statuto die minime uēnisset. Interim eius uestimentum a quodam alienigena est sublatum. Qua de re nimis se ipsum animi uexatione cruciare cepit, quid tamen ageret, se nescire dixit. Demum sancti rudesindi sepulcrum appetit, eique ac si cum altero loqueretur ait: Sancte rudesinde, quid tibi aut tuis umquam mali feci? Quare me penes te expoliare uoluisti? Si sanctus es, redde que abstulisti, cum ea non custodisti: porro cum quidam noster monachus ab itinere quo missus fuerat reuerteretur, dei nutu latronem longe a monasterio reperit, uestimentum abstulit, eique detulit. Sicque factum est, ut eo die, quo sanctum rudesindum inuocauerat, uestem; et in tercio equum incolumem reciperet.

18. Testantur enim monachi, qui presto sunt, quod in transactis quinque annis quidam puerulus, iohannes nomine, me tunc absente, arripitur a demone, cuius nunc formam cerno sepissime. Nam cum diu tali uexatione pateretur, nequaquam tamen uoluptabatur. A matre itaque ecclesiam deducitur, et per altaria missam celebrantibus submittitur. Ad ultimum cum nil salutis consequeretur, illius genitrix a quibusdam monachis amonetur, quatenus ab ea ante sancti rudesindi tumbam puer deduceretur. Quorum precepto confestim obediens coram tumulo proiecit, talia proloquens: O sancte rudesinde, iste quidem filius meus est, sed seruus tuus est. Amodo illum tibi trado, atque relinquo, et quicquid placuerit facito. Et hec dicens cepit abire. Mira res. Demon protinus cum magno sonitu recessit; puer surrexit, matremque uocauit: Cuius uocem mater audiens, concito gressu rediens, natum sanum recipit deo gratias referens.

19. Uti a monasterii didici preposito, quedam mulier inuaditur a demonio. Que cum eiusdem patrie esset indigena, sancti rudesindi pre tanto dolore exposcit beneficia. Demon siquidem talis erat, ut cum illam uexaret, loquebatur quamuis eum nullus interrogaret. Ibique aliquantisper celebratis uigiliis ab inimici salubriter eripitur angustiis. Factum est autem, ut cum istam relinqueret, ipsius sororem inuaderet. Ambe itaque fere post dies octo cum oblationibus cellenouam deueniunt, et quod gestum fuerat referunt. Deinde ante sancti rudesindi sarcophagum presentantur ubi protinus per puelle os inimicus talia fatur: Foras me educite, quoniam quidem pre sancti uiri uirtute nullatenus possum quiescere. Ad quem sepius monachi: Exi miser, exi infelix, quia deo iuuante, nullo modo hic permanebis. Demum beati antistitis sepulcrum quibusdam noctibus cum excubarent uigiliis, ad propria pariter redeunt cum salutis gaudiis.

20. Cunctis liquet quod rex fernandus legionis, natus adefonsi imperatoris, per omnia constat mirabilis. Qui cum regni gubernacula, quod sibi impendebat, post genitoris sui obitum pacifice optineret; Sic se omnibus pie ac iuste exigebat ut fere in nulla parte exorbitaret. Quem portugalensis rex adefonsus in quibusdam opprimebat; eo quod quosdam illius milites, qui natu maiores esse uidebantur, callide deceperat; eorumque animos non modico censu auerterat seu obfuscarat; quatenus tam consilio quam opere eius uices occulte sustentarent; suumque dominum minime adiuuarent. In hac igitur persecutione nonnulle ecclesie pre suarum rerum direptione maximam lesionem sunt adepte. Inter quas monasterium celle noue prediorum depretione fere ad nichilum redactum est sub tam iniqua subiugatione. Denique in primis supradictus rex portugalensis quoddam ipsius cenobii opidum sandinum nomine, quod prope fluuium consistitur arnogie, ualido cum exercitu obsedit; quem rudesindus beatissimus episcopus intolerabili tonitrui celestis coruscatione mirabiliter pepulit. Siquidem anna [3] iamdicti monasterii opida comes ipsius regis uelascus, uidelicet sancte crucis et montis leporarii, fraude sibi rapuit: insuper illius suasione, rex prefatus sancti rudesindi uirtutem parui pendit, cum birretum castrum infra monasterii cautum dolatis lapidibus firmiter edificauit, eique tradidit, qui etiam cunctam fere supradictam cenobii hereditatem militibus ad sibi seruiendum erogauit. His ita gestis, pelagius abbas ficarii, abbatis sobrinus cum aliquantis monachis cenobium ob tantam persecutionem deserit, regem fernandum petit, qui illum honeste tractauit, ac ei samonense monasterium tra-

[1] *Act. Sanct.* arripuit
* *Lege* uir.
[2] *Act. Sanct. Rubrica:* CAPUT III. *Miracula tempore Stephani scriptoris facta. S. Rudesindi patrocinium in bello Lusitanico.*
[3] *Act. Sanct.* altera

didit. Interim uero cum edificandi causa iam dictum castrum prepararetur, facta est contentio inter monasterii homines ac regis famulos eo quod segetes ad equorum opus seccarentur. Ad hec autem quidam rusticus garsias nomine regis iussu cum plerisque ad suos uenit defendendum, magnoque fastu clara uoce se cum beato rudesindo dixit pugnaturum. Qui in eadem pugna laucea percussus, obiit peregrinus, et eodem die monasterio est delatus, et in sequenti sepultus. Quo igitur signo sancti antistitis potentia cunctos qui audierant ualde perterruit, sed ipsius regis sicuti Pharaoni ad maioris cumulum sue damnationis cor obdurauit, quatenus maris, id est, magni populi uoluentur fluctibus: aut cum symeone subleuatus, lapidis frangeretur percussionibus, sicuti postea rei probauit euentus: preualebat siquidem circumcirca iniquitas, et multorum refrigescebat caritas; ita ut opprobrii causa, tam portugalenses quam limienses dicerent: sanctum rudesindum, eo quod de se his non ulcisceretur, more pagencium apud tudem [1] moras innectere, ad salem defferendum. Inter hec autem quidam miles, nomine menendus, uidit per soporem cum candidata turba beatum rudesindum assistentem. Cumque eum, eo quod exaduerso staret deprecaretur, ut sibi pulcram illius faciem ostendere dignaretur, retulit se propter hereditatem, uidelicet ripam minei, quam a comite prefato possidebat, aduersus eum iratum; et tam de rege, quam de comite cito ulturum. Quidam deinceps rusticus cum perditum bouem in toronii partibus, per montes uideretur querere, beatum supradictum antistitem, ualde conspexit rutilantem cum dealbato cuneo honeste incedere. Qui cum unum ex his, quis esset interrogaret; sanctum rudesindum astruit esse, qui sua ab hostibus properat eruere. Similiter et quidam miles, nomine Gundisaluus, uti mihi est protestatus, dum cum uxore sua quiesceret, expergefacta dixit: se a iamdicto beato presule monitam, quod in octauo ipsius diei portugalensis rex caperetur, et sui cenobii hereditas reintegraretur: quod postea sane ita actum esse comprobatur. Sicque factum est ut ex eo tempore, quo prefatus rex celle noue monasterium ledere temptauit, semper per omnia male se habuit. Siquidem opidum nomine citofactum, quod male impetrauerat, ipso presente, perdidit, et celesti fulmine omnipotens deus regi fernando tradidit: preterea cum pacensem ciuitatem obpugnaret, clamque super eum rex fernandus sarracenorum legatione [2] cum exercitu deuenit, illumque nimis sauciatum iusto dei iuditio, fracto femoris osse, longe ab ipsa ceuitate cepit; ac sub custodia fere per duos menses retinuit; usquoque uniuersa, tam limie quam toronii opida, quam fraudulenter arripuerat ab eo impetrauit. Nam cum idem rex prius caperetur a quibusdam inibi ut asseritur, sanctus rudesindus conspicitur. Ipse autem rex, quamuis solutus a uinculis, tamen usque ad ultimum diem anime sue egressionis sui corporis permansit inutilis. Post hec autem birreti castellum, quod per biennium ex quo cepit edificari, existere peribetur, fernandi regis iussu destruitur; omnisque celle noue hereditatis a supradicto abbate ius plenarie recipitur. In quo uidelicet opido, quamdiu permansit, monasterii signa, uti prius uel postea sunt audita, nullus audire potuit. Velascum uero comitem, qui tam peruerse rei auctor extiterat premaximus, non multo post cum sibi complicibus deiectum uidimus, ubi caput reclinaret minime habentem. Cuius eciam maiorinus [3], nomine adefonsus bos, qui multa mala intulerat, diu ante crepuit medius: per omnia benedictus deus, qui superbos humiliat, et confidentes in se ab omni pressura liberat; qui cum patre et spiritu sancto uiuit et regnat per omnia secula seculorum amen.

Era M.ªCC.ªX.ª tam uita beati Rudesindi quam uirtutes ab ordonio sunt edite. Incipit capitulatio in libro III.º

De quodam laico a uinculis absoluto.
De lucensi episcopo a dolore sanato.
De iacobensi canonico ab infirmitate recuperato.
De archidiacono celle noue a peste liberato.
De quodam monacho a febribus sanato.
De altero monacho a febrium langore recuperato.
De rustico duabus uicibus a dolore liberato.
De puero illuminato.
De quadam matrona a demone liberata.
De uehiculo ueniente cuidam celle noue monacho.

21. [4] Cum enim persecutionis asperitate limia nimis deuastaretur, et sese incole noctis silentio occulte inuicem persequerentur; ita ut sua diriperentur, atque ex utraque parte aliqui caperentur; factum est ut monasterium cellenoue ab auriensium fortitudine in aliquo comprimeretur. Quamobrem cum ab eiusdem cenobii procuratore inuaderentur, unus ex eis, iohannes nomine, una cum aliorum spoliis ab eodem capitur, et intra monasterii septa in uinculis studiosissime concluditur. Qui cum francigena esset, et tam parentela quam censu, cuius munimine redimi potuisset, se proculdubio destitutum per omnia agnouisset; atque per angustia lacrimis ac suspiriis ualde afflixisset, ad ultimum dei inspiratione ab imo cordis pectore sic sancti rudesindi auxilium implorauit dicens; peto sancte rudesinde, quatenus si sanctus es, me perplexum iniuste solita uirtute illesum abire permitte [5]. Cumque ad hec obdormisset, ecce sanctus rudesindus apparuit dicens ei: Vocasti enim me, ecce adsum. Nunc surge et perge securus; quia iam ab his uinculis es absolutus. Qui statim surgens custodes transiit, et ad propria incolumis rediit. Sed non multo post illo rediens sancto uiro gratias referens, hoc quod retuli, me presente, cunctis disserens [6].

22. Episcopus quoque lucensis, iohannes nomine, beatum uirum rudesindum uerbis contradicere solebat. Quadam uero die solito more cum illum assereret, uirtute diuina carere, subito a perterrita mala [7], quam supersedebat, in terram cecidit, et eius brachium super quod corruit, de loco suo exiit, et fere sine aliquo [8] diu semiuiuus iacuit. Qui postea in sensu suo paulatim rediens, tacito ore premissa oratione sic sanctum rudesindum interpellabat, dicens: O beate rudesinde, si potes, mihi queso acommoda incolumitatem, et me a modo tue sanctitatis habebis laudatorem. Eadem quippe die sospitatem consequitur, sicuti ab his qui hactenus ab eo hoc audiere me recolo agnouisse.

23. Silentio non est tegendum, quod nostris temporibus plerisque manet cognitum. Quidam canonicus iacobensis ecclesie, petrus nomine, cum legionis atque portugalis regum legatione fungeretur, fortuitu iam infirmus cellam nouam ingressus est; ubi etiam ita a languore perurgetur, ut ulterius conualescere nullatenus putaretur. A quo tamen monasterii abbas multis exoratur precibus, quatenus ante sancti rudesindi tumbam presentari mereretur. Qui continuo ad abbatis imperium quorumdam manibus sustentatus, ab ecclesie sacrista est coram bono uiro delatus. Mox que ante illius sepulcrum prosternitur, et pre tanto dolore brachiis monumentum, uentre simul adherente, amplectitur; quousque singultu ac prece diutina, peractis uigiliis, per somni soporem a sancto rudesin-

[1] *Act. Sanct.* nidum
[2] *Ibid. Posterius MS.* Legione.
[3] *Ibid.* Major domus
[4] *Ibid. Rubrica:* CAPUT IV. *S. Rudesindi ope, incarcerato et variis ægris beneficia præstita.*
[5] *Act. Sanct.* permittas
[6] *Ibid.* dixit
[7] *Ibid.* mula
[8] *Ibid.* aliquo sensu

do sanitatem consequitur; uti ab eis qui hec adhuc ab eo audire [1] didici.

24. Reticendum penitus non est necesse, quod nuper archidiacono cellenoue pelagius nomine, cunctis liquet accidisse: nam cum quedam in eius naribus infirmitas, que uulgo spunlia dicitur, nasceretur, pre tante pestis deformitate tribulabatur, ac se nimis uerecumdabatur. Ob hoc siquidem duabus uicibus cellam nouam uenit; et pestis locum, sancti rudesindi sepulcro multotiens confricando adhesit; ac cum magnis singultibus psalmos recitauit, in quorum fine taliter infit: O beate rudesinde, mihi, queso, peccatori miserando subueni, uita mortis periculum, dona salutis adminiculum. Verum enimuero cum in ipsa ebdomada se ad officium misse celebrandum prepararet, sicuti postea ab eo audiui, ita pestis illa ad tactum aque, quam abluendi causa per manus faciemque fuderat, radicitus abstrahitur, quatenus pristine sanitati, dei uirtute, per sanctum rudesindum redderetur.

25. Apud portugalem in monasterio fontis archadie, quidam monachus, munio nomine, ualde a quaternis urgebatur febribus. Nam cum per unum annum, nec per ecclesiarum uisitationem, nec per medicorum operationem subleuaretur, demum in somnis a sancto rudesindo amonetur, quatenus si in eius honore flexis genibus dominicalis oratio a cunctis monachis deo funderetur, continuo sanitati redderetur. Quod ita factum est, sicut a quodam honesto nostri monasterii agnoui monacho; qui illuc positus tam ab eodem, quam ab omnibus monachis hec audisse fatebatur.

26. Pelagius quidam cellenoue monachus, cum adhuc prius esset in laicali habitu positus, a ualidis tenebatur febribus. Porro cum diu ab eisdem cruciaretur, quatenus pre lassitudine de loco in locum nullatenus moueretur, in equo suo ante sanctum rudesindum presentatur. Ibique per unius noctis spatium excubans, dum omnes quiescerent, quasi per terram rependo ad beati uiri sepulcrum accessit, et illius petram cum dentibus radendo deglutiens, obdormiuit. Facto itaque mane ita sanus redditur, ut si propriis pedibus remeare uellet, uti a beato audiui, penitus potuisset.

27. Homo quidam non longe a minei flumine morabatur, qui uigilia ramorum post meridiem diuinis negligenter officiis derelictis, in propria uinea operabatur. Cumque peracto opere, ad mensam sederet, pulmenti fumus, quod ante eum positum fuerat, uti ei uisum est, ita per illius faciem expanditur, ut eius os oblicum faceret, et unum oculum tumidum redderet. Ad hoc autem ecclesias expetit, preces fundit, nil salutis accipit. Sarcophagum denique sancti rudesindi poposcit; ibique triduum mansit, ac uigilias celebrauit. Quarto uero die cum se sanum aspicit [2] beati uiri sepulcrum annuatim uisitaturum spopondit; quod postea negligendo, infirmitatem quam amiserat recepit. Ubi denuo remeauit, et a dolore emundatus recessit, sicut sacrista, qui ei in quibusdam adminiculum exibuit, modo protestatur.

28. Infantulus quidam, martinus nomine, cum a matre sua nutriretur, pre infirmitate caruit oculorum lumine. Parentes autem eius propter pignoris sui cecitatem, sese animi anxietate cruciabant, quidue facere debent ignorabant. Per sanctorum oracula cum luminaribus incedunt, medicinas apponunt; nicilque proficiunt. In his igitur cum nil utilitatis impetrarent, et casso labore deficerent; ad sancti rudesindi tumulum deueniunt, ac beneficii auxilium suppliciter exposcunt. Celebrata itaque una nocte uigilia, facto mane cum per itnr quo uenerant reuerterentur, puer cepit uidere. Sequenti namque die cum oblationibus ad sanctum rudesindum recurrunt, et quod factum fuerat, cunctis referunt. Quod si alicui hoc incredibile fortasse uideatur, ecce puer et pater ac eius mater adhuc in testimonio habentur.

29. Matrona quedam ex limia indigena nimis impellebatur a demonis potentia. Ob id autem cum oblationibus nonnulla poscit ecclesiarum limina, instantissime precibus ac singultibus implorando salutis benefitia. Ad ultimum cum in his, que flagitabat se frustratam conspicit [3], cellam nouam deuenit, ubi orationem ante sancti rudesindi tumbam non minimam fudit. Peractaque totius noctis uigilia, prece monachos aggregauit; cum quibus exorando a deo per sanctum rudesindum sospitatem recipit [4] sicuti ob eiusdem ecclesie custode, qui ei in quibusdam seruicium exibuit, affirmatur.

30. Factum est autem ut quidam ex cellenoue monachis, munio nomine, maritimas partes propter pisces fratribus defferendas [5] peteret; ubi abbatem suum pelagium ficarium casu reperit; cuius comitatui adhesit; quatenus se securius atque per omnia melius haberet. Cumque abbas cum aliquantis ex altera maris ripa, qua erat iturus, a ministris cuiusdam clerici, qui eum honeste in hospicium susceperat, in uehiculo transportaretur; iam dictus Munio cum quibusdam abbatis famulis fortuitu remanere uidetur. Naute uero reuersi, et non inuento domino suo, qui tunc propter quoddam negotium longe recesserat, nec prece nec pretio, eundem monachum cum reliquis transportare, sicut illorum dominus perceperat, uoluerunt; sed in altera ponti ora recesserunt, et in uehiculo dormire ceperunt. Hoc autem cum uidisset monachus pre animi angustia coactus, quippe qui in illo loco aliud uehiculum alias reperi uero [6] poterat, ceteris qui cum eo erant talia narrat: Oportet nos karissimi toto animi conamine sancti rudesindi auxilium attencius flagitare; quatenus pro cuius fratrum utilitate tantum ferre laborem non dedignor, ipse nobis fiat in hac necessitatis hora pius adiutor. Mira res. flexis genibus fusisque precibus, ecce uehiculum, quo naute dormiebant, sine alicujus ducentis manu, ubi ipse assistebat, accessit. Quod cum aliis simul cum piscibus ingressus, uti ab eodem cognoui, cum uno tantum remige est in altera parte transuectus. Per cuncta benedictus deus, qui tanta meritis sanctissimi rudesindi miracula operatur. Qui uiuit et regnat cum patre et spiritu sancto per omnia secula seculorum Amen.

Ordonius uitam rudesindi condidit istam,
Nec . . . . . psit uirtutes quas benedixit,
Hos nam dictauit, per quos hec significauit.

Liber IV. * Miracula [7] superaddita ab Ordonio.

** *De homine post diutinam uexationem a demone liberato.*

De sanctimoniale gallica ab immundo spiritu uexata, per sancti Rudesindi merita liberata.

De puero sanato ab immundo spiritu in festo beati pontificis Rudesindi.

De alio ceco puero de canderee, qui ad sancti tumulum lumen a domino impetrauit.

De quodam homine ab osso piscis sanato, et a malitia et inquietudine quam exigebat monasterio emendato.

De quadam puella qualiter ab apostematis egritudine sit sanata.

De clerico de lareyroaa, quomodo recuperauit manum, quam prius habuerat inutilem et contractam.

De quodam homine michaele nomine qualiter a contractione crurium ac tibiarum sit redditus sanitati.

[1] *Act. Sanct.* audiere
[2] *Ibid.* aspiceret
[3] *Ibid.* conspiceret
[4] *Ibid.* recepit
[5] *Ibid.* defferendos
[6] *Ibid.* non
* *In* Actis Sanctorum Bollandian., *a quibus descripsimus, ut* III. *designatus.*
[7] *Act. Sanct. Hinc supra probavimus Ordonium nova miracula adiunxisse. Numeros continuamus, quorum loco reperimus in apographo capita expressa.*
** *Rubricae haec a codice* 365 *Bioblioth. Public. Portucal. desumptae, ut in prologo diximus.*

De quodam ab inimicis capto, et in modum crucis christi fortiter alligato, mirabiliter absoluta.
De monacho Sancti Facundi nomine Sanctio priuato lingue offitio sibi per sanctum pontificem restituto.
De quadam muliere cecata ex magnitudine infirmitatis que postea lumen meruit obtinere.
De contracto qui non nisi curru aliis manibus uehebatur.

31. Quia uero longum est scribere omnia, quæ per seruum suum mirabilia Deus dignatus est operari. Aliqua tamen de multis huic opusculo dignum duximus inserenda, quæ a pluribus et viris religiosis audivimus: qui se propriis oculis vidisse fideliter testabantur. Vir ergo quidam, peccatis exigentibus, diu possesus a dæmone venit ad monasterium Cellæ-novæ, ubi corpus B. Rudesindi in B. Mariæ Dei Genitricis ecclesia requiescit. Qui cum ante ipsam ecclesiam devenisset, et se cito arreptum, a quo solitus erat, dæmone, cognovisset; accepit cultrum, quem in vagina tenebat, et pueris circumstantibus dedit, dicens: Custodite hoc et ducite me ad fores ecclesiæ, ubi jacet corpus S. Rudesindi, et obseruate me: quia sine dilatione sum a solito dæmone invadendus. Quo dicto, et pueris fugientibus præ timore, statim, quod dictum fuerat, opere adimpletur. Arripitur, in terram prosternitur, conteritur graviter et vexatur. Quod videntes pueri qui prius fugerant territi, occurrerunt tam ipsi quam alii. Supervenientes autem monachi, deferunt illum ad tumulum beatissimi Rudesindi, ejusdem auxilium attentius implorantes: ut eidem dignaretur misero misericorditer misereri: sicque tenentes et constringentes illum, ne penitus disceperetur a dæmone, comminabantur ei modis quibus valebant, ut exiret, et ab eo discedere debuisset. Cumque sic diu teneretur, et ab ipsis monachis interrogaretur, quam ob caussam ipsum hominem ingrederetur; cæpit loqui, et dicere, audientibus omnibus, qui adstabant: Pro nulla re alia hominem sum ingressus, nisi pro voto quod vovit B. Mariæ, ut iret ad domum eius; et facere non curavit. Sed et dum egressus fuero ab illo (nam egrediar) nisi statim iter arripuerit, et votum solvere festinaverit; mox iterum arripiam, et quasi proprium possidebo. Si autem votum exolverit, potestatem in eum ulterius non habebo. Cum vero iterum interrogaretur, qualiter vel qua hora deberet exire, sic respondit: Cum fuerit tempus Missæ celebrandæ apprehendite illum per pollicem digitum, et per nares ipsum fortiter constringentes, tenete: et sic ab eo recedam, numquam ad illum de cetero reuersurus. Quod factum est. Nam cum ad Missam campanæ pulsari, et se monachi cœperunt ad ejus officium præparare; monachi, qui aderant, apprehendentes eum, sicut ipse dixerat, et collum ejus stola beati Pontificis circumdantes, cum tempus accessit ab eodem dæmone prænotatum, clamans atque discerpens confusus exiit et discessit. Sicque homo per sancti Pontificis merita liberatus, ad votum beatæ Virgini persolvendum sanus et incolumis se praeparavit; et ita per Dei misericordiam liber cum magno gaudio ad propria remeavit.

32. Quædam monialis, sicut a quodam religioso dedicimus, a partibus Galliæ veniens dicebat: jam longo tempore a maligno spiritu se possessam: quæ caussa liberationis propriæ multorum Apostolorum et plurimorum Sanctorum asserebat se limina visitasse; nunquam tamen se senserat melius habuisse. Cum autem post multum temporis spatium esset multipliciter his etiam incommodis et cruciatibus fatigata; divina miserante gratia audivit, et divina eam revelatio monuit: ut ad sepulcrum S. Rudesindi Episcopi quantocius deveniret; et ibi per ipsius suffragia reciperet a Domino sanitatem. Quid plura? Venit Galleciam: quæsivit monasterium; invenit locum: pulsavit, et intravit: ibique per dies aliquot in orationibus et vigiliis perseverans, salutem, quam diu optaverat, gloriosi Rudesindi meritis impetravit: et sic operante Christo incolumis ad propria remeavit.

33. Alio etiam tempore cum turba ad festum S. Rudesindi, quod fieri solet in Kalendis Martii, more solito convenit; puer quidam in turba foris extra oratorium ab immundo spiritu graviter invaditur et torquetur. Nutu uero divino, cunctis mirantibus, cursu rapido ad ecclesiam veniens, super beati Pontificis tumulum concito se proiecit: et mox dulci pressus sopore, suaviter obdormivit. Cumque monachorum conventus, qui tunc foras in processione ad honorem gloriosi Præsulis laudes Deo decantabat, ad ecclesiam jam rediisset; compatientes eidem puero, illud Responsorium, Sancte Rudesinde, cœperunt devote astantes ante sepulcrum unanimiter decantare. Finito Responsorio et oratione, Sancti meritis atque suffragiis, ab immundo spiritu, et a somno lætus et hilaris exurrexit: sic deinceps liber ab illo in commodo, multos postea vixit annos.

34. Alter quidam puer cæcus de terra Canderte, ductus est ad monasterium Cellæ-novæ, subsidium luminis a Domino per S. Rudesindi merita petiturus. Sed dum a parentibus et monachis fuisset ad sepulchrum sancti corporis intra ecclesiam deportatus; facta oratione pro eo ad Dominum, quasi dormiens paullulum requieuit. Aliis vero eventum rei expectantibus, eidem puero, exteriore carenti lumine, apparuit quidam Episcopus, ut ipse postea testabatur, dicens illi: Surge in nomine Domini; et vade cum salute. Ad quam vocem illuminatus, protinus surgens puer, cum circumstantibus glorificavit nomen Domini Jesu Christi qui per Sanctos suos tam magna mirabilia dignatus est operari. Et ita, ut in illa visione supra præceptum fuerat, ad propria reversus est cum salute.

35. Homo quidam, Petrus Nunionis nomine, de Milmanda, cum aliquando comederet piscem, qui turta ab omnibus nominatur; accidit ut os piscis in ejus gutture versaretur: quod cum diu vi vel aliquo ingenio non posset extrahi nec deglutiri (quia, pro posse in multis et palam adversabatur monasterio Cellæ-novæ) tandem venit ad sepulcrum B. Rudesindi, necessitatis angustia coarctatus: confisus tamen ipsius posse beneficio per Dei gratiam sanari. Dumque ad idem monasterium venisset, rogavit monachos, ut illum introducere dignarentur, ubi erat corpus jam dicti beatissimi Confessoris. Cui cum præsentatus fuisset; dictum est ei ab aliquibus, qui adstabant: Amice, recordare, quia isti loco fuisti multoties adversatus. Quapropter pœnitere primum: deinde promitte fideliter, quod de cetero emendaberis: et vere credimus, quod per B. Rudesindum dabit tibi Dominus sanitatem. Quibus dictis, culpam cognovit: emendationem promisit, et cum adstantibus pro merenda sanitate pariter exoravit. Cumque in oratione aliquamdiu permaneret, dixerunt ei quidam: Tussite, si modo potestis. Cumque hoc faceret, exivit spina, quæ illum graviter affligebat: et ita sanus effectus a Domino, per beneficium sanctissimi Rudesindi, rediit in domum propriam, a malitia et inquietudine, quam prius monasterio exhibebat, de cetero emendatus

36. Puella quædam habens in facie gravissimum apostema, venit ad monasterium, Dei pietatem per S. Rudesindi merita implorare: cuius facies ita jam erat inflata, ut ab inflatione illa oculi clauderentur, et caput ac tota facies in tanta rotunditate intumuerat, quod accedentes vix poterant illam præ horrore nimio intueri. Excreverat etiam in ipsius faciei parte sub uno oculorum quidam tumor ad instar parvi pomi, qui videbatur quasi initium totius inflationis. Quæ puella, cum ad beati Confessoris Christi tumulum esset ducta; et sancti annulus, qui in ejus translatione ab ipsius digito receptus fuerat in ipsa tumenti facie poneretur, paullatim cum dolore cœpit decrescere tumor ille; et sic est usque ad quintum diem per Dei gratiam et Sancti ejus famuli auxilium minoratus; quod vix posset in ipsa muliercula doloris illius vestigium inveniri. Pro quo Christo et ejus sanctissimo Præsuli laudes referens plurimas, ad propria rediit cum salute.

37. Quidam Clericus in Limia a Villa Larcyroa manum habebat, reflexis in palmam utrisque digitis, penitus inutilem et contractam. Qui cum famam miraculorum S. Rudesindi auribus percepisset; recuperandæ sanitatis fide concepta, venit ad ejus monasterium et sepulcrum. Sed cum ad beatum fuisset præsentatus, monachi, qui aderant, sancti Pontificis annulum et ipsius alias Reliquias deducentes, in ipsam manum clausam super inflexos et nimis adstrictos digitos posuerunt; et facta oratione pro

eo, illum ante Sancti tumulum reliquerunt. Cum autem ad eum redierunt post aliquod diei spatium, invenerunt digitos illos mobiles, qui paullo ante in palmam defixi, ut diximus et aridi tenebantur. Quos cum tentantes tetigissent; absque ullo dolore, primo pollicem levaverunt; deinde alii ipsum subsequentes extensi atque directi; annulus cum capsula argentea, in qua est, plane in palma manus mirabiliter est inventus. Quo viso miraculo, cuncti, qui aderant, cum ipso sanato Clerico Deo et Sanctis ejus pro tanto beneficio dignas gratias retulerunt.

38. Aliud quoque miraculum, quod multis, qui supersunt, est cognitum, non duximus reticendum: ut quamvis indigni et peccatores; per nos tamen ea, quæ a certis testibus audivimus, cognita et probata Dei mirabilia prædicentur. Erat igitur homo quidam, nomine Michael, cuius crura et tibiæ a juventute ita erant junctæ pedibus et curvatæ, ac si fuissent adinvicem ingenio aliquo ex industria glutinatæ. Unde per multum tempus sic mansit inutilis; et ipse pene membris omnibus destitutus, quod de salute corporis, quasi jam penitus disperaret: sed inspiratione divina, quæ nomen sancti sui Confessoris volebat apud homines amplius confiteri, intravit cor matris ejus, ut duceret illum ad monasterium S. Rudesindi. Cumque ductus fuisset, et ad Beati sepulcrum intromissus, fuit ibi per dies aliquot persistens in orationibus et vigiliis. Quadam vero die, cum more solito mane ante tumulum alienis manibus duceretur ibique solo inter columnas monumenti jactaretur; accidit, ut a Conventu Missæ officium ageretur. Quod cum fieret, miro modo cœpit angustiari nimium, et magnis vocibus acclamare, dicens: Succurrite Fratres, succurrite; quia rodor et crucior, sicut a canibus devoratus. Et hæc durissimis vocibus inclamando, coepit surgere et tenere columnas ipsius sepulcri. Et accurrentibus undique Fratribus, viderunt illum stantem pedibus, et clamantem: et audierunt stridere ossa ejus firmiter: et viderunt currere ab eo sanguinem de juncturis. Et sic per merita et intercessionem sancti Confessoris et Christi misericordiam extensus est, et redditus sanitati.

CAPUT II.

Alia miracula S. Rudesindi, captivo, muto, cæcæ præstita. Malevoli puniti.

39. Aliud quoque miraculum, quod a duabus monialibus, satis religiosis feminis et honestis apud monasterium de Tornino veridica relatione didicimus contigisse, huic opusculo credimus inserendum: quæ Domino Fernando tertio Abbati Cellæ-novæ, demum universo conventui, prout accidit, retulerunt. Igitur in partibus de Toronio quidam miles de Cerbaria cum hominibus suis cepit quemdam sibi (ut ipse dicebat) hominem inimicum. Quo capto, præfatum monasterium hospitandi gratia intraverunt: et ibi eum macerare et male tractare, coram monialibus et coram omnibus, percussionibus et pœnis aliis gravare inceperunt. Quem accipientes, ligatis pedibus et extensis brachiis in lancea subtus tunicam, ad modum crucifixi, dure et acerbe in solo projecto, se super brachia ipsius et super lanceam projecerunt. Videntes autem sanctimoniales omnia, quæ fiebant, coram altari, quod ibi constructum erat in honorem B. Rudesindi Confessoris, se cum magnis fletibus et singultibus prosternentes, auxilium divinæ misericordiæ, qui nullum in se confidentem deserit, devotissime exorabant: ut, intercedente beatissimo Confessore, miserum illum hominem, mortem mane procul dubio expectantem, divina clementia liberaret. Quarum etiam una præ cordis amaritudine pannos, qui erant super ipsum altare, volens ab eo arripere, sic ajebat: O B. Rudesinde, nisi nobis digneris succurrere, et illum miserum hominem liberare, altare tuum penitus denudabo. Quod cum illi homines cognovissent; quidam ex eis spiritu superbiæ concitati, impetu furoris et crudelitatis sic dicebant: Pono in superbiam Deo et S. Rudesindo: quod hac nocte homo iste non effugiat vel evadat. His dictis, per beatum Confessorem suum Rudesindum sic hominem illum Dei misericordia liberavit; quod tunica, qua indutus erat ad modum crucifixi, ut diximus, cum prædictis ligaminibus in lancea remanserit. Expergefacti itaque mane, non invenientes hominem, confusi de monasterio recesserunt, dicentes cunctis, qui ibi aderant: Custodite bene reliquias sanctissimi Rudesindi. Tunc sanctimoniales cum omnibus, qui aderant et videbant, ubertim præ gaudio flentes, Deo et sanctissimo Pontifici gratias et laudes multimodas cecinerunt: cui est honor et gloria in secula seculorum.

40. Nostris quoque temporibus vidimus quemdam monachum, Sancium nomine, qui apud monasterium S. Facundi longo tempore habitavit. Vir venerabilis, et a primævæ ætatis circulo valde religiosus, petita ab Abbate suo licentia et obtenta, cœnobium petiit Cellæ-novæ. Cumque ibi diutius moraretur et satis sacris moribus prævaleret; contigit eum lingue officium amisisse taliter, quod omni locutione penitus privabatur. Verumtamen cum mutus longo temporis spatio permansisset, nimis affligebatur præ tristitia et dolore, volens multoties cum baculo, quo sustentabatur, percutere monumentum S. Rudesindi: quo per hoc insinuaret, quod ipse beatus Confessor, si vellet, sibi redderet sanitatem. Unde factum est, cum conventus monachorum in ecclesia Deo gratias reddidissent, a choro exire volentes, ad tumbam sancti Pontificis Rudesindi incipientem quoddam Responsorium invenerunt: quod mox eo incipiente, omnes pariter cantaverunt, et Deo gratias egerunt; qui tot beneficia præstat mundo per beatissimum Confessorem.

41. Legimus, dicente Salomone; Filius sapiens est gloria patris. Propterea venerabile valde est et mirabiliter gloriosum, in tam sapiente filio, beato scilicet Rudesindo, Dei Patris sapientiam collaudare, et ejus semper gloriam exaltare: cujus filii sapientia apparuit manifesta, cum semetipsum templum Deo sapientissime dedicavit, juxta quod ait Apostolus: Templum Dei vivi, quod estis vos. Cujus templi sapientia, sanctitate, virtute, miraculis, signis et prodigiis illustrata, multa languentium membra variis languoribus detenta (non sicut unus in piscina Evangelica salvatur) integre restituit sanitati. De quo unum parvum juxta magnitudinem aliorum in medium proferamus ad Dei Patris gloriam et honorem. In Limiæ partibus in loco, qui vulgo Ginizum nuncupatur, quædam mulier, præ infirmitatis magnitudine privata lumine oculorum, longo tempore mansit cæca. Cumque multa Sanctorum loca frequentius peragrasset, et ecclesiarum limina visitasset, tandem admonita est a sacrista Cellæ-novæ, qui de terra illa fuerat oriundus, quatenus sepulcrum S. Rudesindi cum devotione et oblationibus visitaret. Quo audito, mulier non differens, sed quantocius complere opere properavit. Quæ veniens Cellam-novam, ab eo sacrista est in ecclesia coram sancti Confessoris sarcophago præsentata: quæ manu palpans columnas, quibus S. Rudesindi tumba sustentabatur; flendo et ejulando, fletibus accingebat. Quæ sic per triduum vigiliis celebratis cœpit aliquatulum videre; velut ille Evangelicus, qui videbat homines tamquam arbores ambulantes. Verumtamen per dies aliquos clare lumine recepto, incolumis ad propria repedavit.

42 Quia ea, quæ nostris temporibus fiunt, magis delectant, et melius memoriæ commendantur; ideo de miraculis B. Rudesindi nonnulla huic operi inserere dignum duxi. Tempore igitur claræ memoriæ illustrissimi Fernandi Regis, genitoris gloriosissimi Principis Regis Alphonsi, Princeps quidem illustris et potens, nomine Fernandus Roderici de Castro, cum magna rapina de terra et patrimonio beatissimi Rudesindi venit ad monasterium Cellæ novæ; fractisque januis apothecæ, cum cuncta bona monasterii violenter surripere cogitaret; ipso cum militibus suis circa magnum ignem in hospitali dicti monasterii quiescente, monachi omnes congregati ad tumbam convenerunt beatissimi Rudesindi: rogantes ut eos et sua, ut promiserat, defensaret. Quorum quidam amaro animo, ipsum monumentum panno pretioso, quo opertum fuerat, detegentes, in hæc verba cum lacrymis proruperunt. O Rudesinde Sanctissime, exurge: quare obdormis Domine? exurge, et ne repellas in finem. Quare faciem tuam avertis? oblivisceris tribulationem nostram? Exurge Domine:

adjuva nos, et libera nos. Recordare testamenti et promissionis tuæ, qua promisisti a malefactoribus non defensare. Ecce enim jam non sufficit tuam patriam et patrimonium dissipare; sed etiam hic sub alis tuis non dimittimur Domino deservire. Hæc et his similia dum monachi dicti monasterii dicerent lacrimantes, prædictum Baronem diabolus arripuit; ipsumque in ignem, invitis et retrahentibus militibus suis, misit. Cumque ipsum spumantem et strepentem iidem milites ab igne extraherent, diabolus ex ore ejus loquens, sic dicitur e circumstantibus adhuc viventibus respondisse: Permittite me comburere deprædatorem santissimi Rudesindi, Dominus enim me constituit ultorem et majorinum ipsius. Terram enim ipsius temere deprædatus est: et nunc etiam hic irreverenter veniens in umbra sua monasterium, quod ipse Sanctus construxit, ausus est invadere, et bona ipsius atrociter dissipare. Milites igitur accipientes prædictum Principem, strepentem, ut supra dicitur, et spumantem, ipsum circa B. Rudesindi tumbam in ecclesia posuerunt: ibique tota nocte illa jacuit semivivus. Mane autem facto, ipsum iterum diabolus arripuit. Cumque interrogaretur a circumstantibus, quo pacto ipsum dimitteret, sic respondit: Nisi primum cunctam rapinam restituat, et homagium faciat ipse et milites ejus, quod numquam terram et monasterium istud ingrediatur, ut noceat; ipsum aliquatenus non dimittam. Milites igitur vocantes Abbatem et monachos cum Principe prædicto, pro eo fecerunt homagium supra dictum. Quo facto, sanus et incolumis factus est eadem hora; restitutisque rapinis integris omnes cum magno timore a monasterio recesserunt. Per omnia benedictus Dominus, qui beatissimi Confessoris sui sic dignatus est injurias vindicare. Amen.

VITA SANCTAE SENORINAE.

Sancta Senorina de Basto, Sancti Rudesindi propinqua, monacha Benedictina, circa X. saeculi dimidium vixit. Eius vitae narratio, quam nunc edere curamus, aliquam, nec contemnendam, societatis civilis historiae notitiam exhibet, non modo ante verum etiam post Portugaliae disiunctionem a Legionensi regno, et ad vigesimum usque saeculi XII. annum. Regia quondam Academia descriptum ex codice monasterii Eremitarum calceatorum S. Augustini (vulgo da Graça*) collegii Conimbricensis, saeculi XVI. labentis, vel XVII. ineuntis apographum typis mandavit, sed in lucem prodire non fecit. Rubrica, quae MS. hoc praecedit, ex codice valde antiquo illud transcriptum fuisse, refert, dum in ecclesia Bastensi codex hic, autographum forte, adhuc extabat. Ex eiusdem narrationis verbis, scriptorem ipsum saeculo XII. vixisse, constat; viros enim audivit, qui eadem aetate, ac Pelagius Bracharensis archiepiscopus, fuerant. Tam Sanctae Crucis, anno* 1531, *quam ecclesiae Sancti Simeonis* da Junqueira, *anno* 1514, *editum breviarium lectiones ad officium huius Sanctae die* 22 *Aprilis ex hac ipsa vitae narratione manifeste hauserunt; quippe iisdem verbis facta, narrationisque partes, aut periodos, descripserunt.*

Aliam, quam hîc similiter in lucem prodimus, narrationem Henschenius et Papebrochius ad Acta Sanctorum, *die* 22 *Aprilis, a Martyrologio Hispano, quod Tamaius scripserat, deprompserunt. Nihil, quoad res, narratio haec ab exemplari Conimbricensi; multum tamen in narrandi forma, concisioneque verborum differt. Bollandiani ob notam illam Tamaii in rebus historicis suspicionem, MS. quo usus fuerat, eum pervertisse arbitrati sunt: non aliter de MS. illo collegii Conimbricensis, non tam super narratis rebus, quam narrandi forma, et nos suspicati sumus: in hoc namque MS. et sermonis genus minus barbarum, quam in caeteris documentis in Portugalia saeculo XII. latine scriptis, et dicendi inusitatam hoc temporis aevo miramur formam. Orthographiae formulam, qua olim Academia in hoc apographo usa fuit, quamvis ab aetatis illius monumentis dissonam, servare placuit, ut ne in hoc quidem a probata methodo discedere videamur.*

VITA BEATÆ SENORINÆ VIRGINIS

DESUMPTA EX ANTIQUISSIMO EXEMPLARI QUOD IN IPSA ECCLESIA BASTENSI OBSERVATUR.

Auribus fidelium, dilectissimi, laudes Domini, et virtutes ejus narrare volentes, beatissimæ virginis *Senorinæ* venerabilis vita nos lætificat, quæ in materiam laudis Dei omnipotentis Domini nostri Jesu Christi plena virtutibus occurrit. Quam ut digne investigare et propalare possimus, ipsum Deum, et Dominum nostrum Jesum Christum, creatorem, et gubernatorem totius creaturæ, humili prece, et devotione deprecemur: quatenus ille, a quo cuncta bona procedunt, in quo oculi omnium sperant, et eis escam tribuit in opportuno tempore, nobis aperire dignetur januas misericordiæ suæ, ut quicquid cordis nostri meditatio in ejus laudibus inchoaverit, ipse sua virtute, et gratia nobis adimplere perficiat; ipse quidem docet hominem scientiam, et replet omne animal benedictione; solius etenim ipsius est dare ignorata scire, et nota, et intellecta plano sermone exponere. Siquidem hæc virgo beata ex nobilibus, et christianissimis nata parentibus,

sacramentis ecclesiæ regenerata, et confirmata, ut fide Deo, sic moribus, et vita ab infantia sua omni tempore placere studuit. Ornavit moribus propositum, et quod Deo vovit, animam, et corpus immaculata custodivit. Post cujus ortum, matre ejus defuncta, *Aunlfus* Comes pater virginis, recenti morte uxoris tristis et mœstus, paruulam sibi filiam consolandi gratia repræsentari jubet. Quam ut in nutricis manibus deportatam videt, ut mos dolentium est, suspirans, et lachrymans *Senorinam* eam vocavit: ex brevitate corporis diminutivum ei nomen imponens; qui etiam ei cum lachrymis dixit: Filia, Christo Deo te offero, et ipsi te commendo; ipse enim in conspectu suo vias tuas dirigat: nutrici quoque ait: Vade, curam illius habe, et omni diligentia custodi, et fove. Educata denique a nutrice, uti decebat, in domo paterna ablectari filiam patri placuit. Quam confestim cuidam religiosæ fœminæ *Godinæ* nomine nutriendam dedit. Quæ eam bono animo suscipiens, in loco spiritualis filiæ adoptavit, cujus nomen, quia non ignoratur a religiosis personis, hoc verum non dubitatur; quia cum .... perversus perit; et justorum justus societatem quærit. Quales etenim quisque fovet, talis esse præsumitur. Sanctimonialis ergo fœmina, ut erat sanctæ calliditatis, et solertis ingenii prædita, tentavit in auribis virginis seminare, et tractare quanta esset virginitatis gloria, et quam decens et placens hostia corpus sanctum, et castum, animamque immaculatam Deo offerre; dicebat enim: Fœcunditas implet mundum; virginitas vero paradisum: castitas sibi Angelos associat, conceptio vero, et partus sibi cum dolore ac labore filios adjungit: honesta pulchritudo regem Angelorum in sponsum accipit, qui thalamum ei in cœlesti regno præparat: gloria virginitatis in cœlo multos fratres conjungit cum Christo: cujus arrhæ et amor simul atque manum, aut cor cujusque virginis tangunt, amorem continuo hujus mundi ita expellunt, ut ejus prorsus nulla subeat memoria: jam vero sponsus huic similis in toto terrarum orbe nullus; et quicumque pro ipsius amore in terris angustias, difficultates, cruciatusque pertulerit, in cœlesti domicilio jucundissimis æternæ gloriæ epulis perfruetur: hic sponsus est Angelorum creator; hic cœlorum dominus. Hæc assidue ad discipulam magistra; quibus ejus animum usque adeo delinivit, ut divino amore vehementer sit incensus, ac inflammatus. Emittebat quippe suspiria magna, copiam lachrymarum profundebat, et ad Deum conversa: O' altissime, inquit, rerum omnium procreator, utinam tibi placeat, Domine, hujus pauperrimæ peccatricis cantus in numero et societate famularum tuarum accipere, ac ipsam mereri, te solum diligere, te timere, tibi inservire, tibi placere, eaque quærere, quæ ad tuum honorem, quæ ad gloriam, quæ ad virtutem, quæ ad voluntatem pertineant: Tu enim scis abscondita cordis: tibi non cor fictum unquam, sed contritum et humiliatum placet: dignare obsecro, Domine, preces meas exaudire; desiderium enim meum tibi patet: prospice servæ tuæ, et quicquid de illa facere volueris, misericorditer, Domine, facito. Hæc apud se sancta puella cogitans voluntatem suam homines celabat: unicum enim desiderium ipsius erat Domino servire. Miserere, aiebat, Domine, miserere mei, te enim contemplatur anima mea. Huic vitæ sanctimoniæ studens beata virgo ad ætatem septem annorum pervenit, quibus completis, cum Deus hujus margaritæ splendorem aliqua labe infici, et contaminari non permitteret: factum est ut filius ditissimi Comitis, et a stirpe Regia oriundi adolescens electus eam in conjugem petierit, quæ etiam verba ipsa audire recusans, imo hujusmodi precibus molestia affecta, ait, Egregie adolescens, ne me decipias, abi, aliam tui similem quære, hanc tu præcibus et promissionibus delinito; de cætero tibi confirmo, non esse te mecum, nec domo paterna sortem habiturum. Quibus auditis adolescens admodum erubescens, atque iratus ad virginis patrem idipsum defert: accedit ad filiam pater, et sic ad eam: Quare, inquit, filia, tam nobili adolescenti nubere recusas? Cui beata virgo signum sanctissimæ crucis ostendens, Quid est, inquit, pater mi, quid est hoc? nonne mihi præstantissimum sponsum, et dominum elegisti: nonne me Deo Optimo Maximo obtulisti? Hæc dicens beata virgo oculos demittit, et lachrymatur. Recordatus autem pater promissionis Deo factæ suassione supersedet. At cum ipse nocte illa cubitum discessisset, secumque quæsisset, quidnam Deus de puella fieri vellet, præ anxietate obdormiit. Ecce Angelus Domini apparet ei: O' fidelis, inquit, Comes, noli timere, noli noctes insomnes ducere, ob ea, quæ filia tua Deo, cui eam obtulisti, vovit: Dominus enim ei præparavit nuptias, et thalamum in regno cœlorum, ubi sempiterna gloria perfruetur: nam quod votum tu et filia tua emisistis, nullo modo revocabitur: non homini enim, sed Deo promisistis, nec illud privatum, sed ratum, et solemne habeto: an ignoras illud, quod David divinitus ait? Vovete, et reddite Deo vestro. Noli ergo á filia fructum mortis, et tristitiæ, sed gaudii, et lætitiæ exposcere: ipsa enim sponsum immortalem quæsivit, ac sibi elegit, fructum igitur vitæ pariet: .victum temporalem tu igitur filiæ tuæ suppedita, Deus vero spiritualem providebit. Benedic filiæ tuæ, quia viam Dei ingredi vult, ut ab ea postea benedici merearis. Ille enim filius est altissimi imperatoris, cujus filia et sponsa vocari filia tua merita est. Postero autem die, cum primum illucesceret, pater filiam convenit, quem ipsa benigne excipiens (timebat tamen in iram ejus incurrere, statuerat enim votum servare) ac amplexa, ait: Quare tam cito huc, pater mi? At ille Angelico monitu, voto, et benedictione filiæ lætus, hilari vultu, libentique animo: Ego, inquit, filia mea, huc accedo, ut quoniam viam Dei ingredi studes, ea, quæ tibi sunt necessaria, præparem. Quo audito se ad pedes patris projicit, dicens: Gratias tibi ago ingentes, Jesu Christe Rex potentissime, tu enim Domine, qua es misericordia, et clementia ineffabili, gemitus, et preces ad te clamantium exaudis. Tum pater e solo eam levans, ac benedicens, ait: O' Domine Jesu Rex eternæ gloriæ, qui super Apostolos tuos Spiritum Sanctum emisisti, emitte, obsecro, gratiam tuam super hanc puellam, ut ipsa toto corde te et ore confiteatur, te unice diligat, te desideret, te amplectatur, ac animo læto, et voluntario usque ad extremum judicii diem te ita cupiat, ut una cum cæteris virginibus in cœlesti beatitudine te ipsum accipere, ac cum sua præclara lampade tibi obviam procedere mereatur. Tunc præsentes omnes dixerunt: amen. His ita actis, pater et filia, et omnes qui aderant, ad Ecclesiam se conferunt, et sancta nutrix, cui virgo erat curæ, posuit super altare velum, quod moniales gestare solent, et a sancta puella illico acceptum flexis genibus in signum virginitatis capiti suo imposuit, et omnes flentes, ac ipsa cum magna alacritate animi Deum immortalem collaudarunt, qui sapientiam parvulis, qui fœmineo sexui admodum debili fortitudinem et animum præstat. Itaque admonitus ab Angelo pater, excogitabat, quas terras, quæ prædia filiæ ad vitam humanam sustentandam relinqueret. Reliquit igitur tres Ecclesias, ex quibus alimentum existeret, et ad quas recreandi animi gratia se conferret: dicebat nanque pater, quodsi ipsa interdum ex alia Ecclesia ad aliam veniret, commodius posset in proposito perstare, idque ad exitum perducere, quia si semper uno in loco commoraretur, forte tædio, et fastidio affecta ocyus relinqueret ordinem, et aliquid minus rectum admitteret, ut aliis mulieribus accidisse aiebat, idque volebat propter mobilem animum, fragilemque mulierum conditionem: verebatur enim ne filiæ propositum aliquo scandalo macularetur. Atqui veneranda *Godina* virgini præposita, nomine ipsius Ecclesias accepit, præfecitque eis exactores, qui necessaria subministrarent, quarum duas sancta virgo locupletavit, et multis virtutibus ornavit: tertiamvero propter difficultatem itineris, et fluminis concitatissimo cursu labentis, in quo multi periclitabantur, reliquit. Post hæc virgo octavum annum complens, habitum ordinis Sancti Benedicti assumpsit: cum vero ad quinquagesimum et octavum ætatis annum pervenisset, ex hoc mundo in illam æternam fœlicitatem migravit; quæ fuerit ejus virtus, qua perfectione extiterit, qualem vitam degerit, postmodum dioam. Cum *Godina* animadverteret, preces, quas ad Deum pro hujus sanctæ virginitate, et fœlici successu fudisset, esse a clementissimo Deo exauditas, pro tanto be-

neficio gratias agens, Benedictus es, inquit, Domine, creator cœli et terræ, qui inspicis corda humilium, et eorum preces exaudis, nec eas revellas: Tu enim, Domine, pietatis tuæ femina magnis et paruis corporibus tradis, ut duplicatos ex virginea voluntate fructus capias, cum tibi, Domine, valde placeat virginitas cum vera humilitate conjuncta. Te ergo obsecro, Domine, providere dignare huic Virgini tuæ ab infantia jam tibi oblatæ, emitte quæso super illam spiritum sanctum gratiæ tuæ, cujus numine, et providentia protegatur, ut cum illa sint diliciæ tuæ, fructumque ex ipsius charitate, et obedientia percipias. Posthæc veneranda Nutrix jam palam discipulam suam instruit, eamque optima disciplina, et castigatione erudit, statutis regulæ suæ informat, sacrosancta Dei præcepta docet, exponit libros Divi Ambrosii, et aliorum Sanctorum, et alios Ecclesiæ, et ad ejus ordinem pertinentes, ut ipsa facilius Sacram Scripturam intelligere posset, quos ita addidicit Virgo, ut per spatium unius anni sciverit, et memoria tenuerit (quod erat mirandum) lectam prætcrea, et acute intellectam regulam Divi Benedicti, cujus Ordinis ipsa erat, memoriæ mandavit, quod mirari nemo debet; spiritus enim Domini ubi, et quomodo vult, spirat, et operatur. Dicebat præterea veneranda *Godina* puellæ: Filia mea charissima, scito hanc regulam Divi Benedicti esse matrem nostram, quæ licet in principio admodum sit aspera, et angusta, in finem tamen latissima est, atque jucundissima, et quicumque integre, fideliterque servaverit, dummodo sit obediens, in montem Domini, et domicilium ascensurum. Ea enim est obedientiæ virtus, atque bonum, ut cœlos transcendat, et hominem in illam gloriæ æternæ fœlicitatem perducat, quam primus parens omnium nostrum Adam, ob inobedientiam divinum præceptum violans, amisit, et quicumque fidelis obedientiam ex animo habuerit, decipi a Dœmone non posse. Quæ cum prudens Nutrix doceret, omnia attente Virgo audiens, mirabiliter in corde suo conservabat. Cum autem puella in virtute proficeret, accidit aliquando, ut Nutrix orationi vacatura ad Ecclesiam se contulerit: cumque paululum immoraretur, nacta est *Senorina* cilicium, quod Nutrix gestare solebat, acceptoque cinxit ad cutem corpus suum, reliquis vestimentis cooperiens, quod simul ac induit, cum esset admodum asperum (erat quippe ex pilis caprinis confectum) nullum sibi ex omnibus vestimentis unquam, nec suavius, nec jucundius est visum, maximeque optabat id omnibus diebus vitæ suæ gestare, si esset a magistra relictum, vel aliud simile, si reperire posset. Ast cum ab Ecclesia rediret Nutrix, in limine ostii offendit puellam solito lætiorem: quam Virgo complexa, Obsecro, inquit, te, mater charissima, ne quicquid hodie á te petiero, recuses, et meo desiderio opitularis, quod in me incepisti, libenter perficias. Existimans autem *Godina* petitionem Virginis fore honestam (sciebat esse culpæ expertem) Pete, inquit, filia, quicquid volueris, sum enim tibi morigeratura: tunc beata sinum discooperiens dixit: Dominus me induit clarissimo, et candidissimo vestitu, fasciaque aurea præcinxit, posuitque manum suam super me, accepit me in sponsam suo anulo, jugum ejus mite, manus ejus collo meo, onus ejus mihi leve, suavitas illius in me dulcior melle: obsecro igitur, charissima mater, ne hanc vestem mihi eripias, ut videre merear Salvatorem meum Jesum Christum cum in extremo judicii die venerit. Hæc autem considerans Nutrix demittit oculos, et ait: Confirma hoc Deus quod operatus es in nobis, tu enim cognovisti figmentum nostrum, adjuua, Domine, infirmitates nostras. *Senorina* autem imitari magistram exoptans, ac se Deo totam mancipare contendens, orat, ut per magistram sibi liceat singulis quibusque Mercurii et Veneris diebus, omnibus cibis, excepto pane et aqua, abstinere. Attendens autem Nutrix ad ætatem puellæ, jejuniumque esse impar viribus ipsius, considerans, solum permisit diebus Veneris jejunare, quem usum frequentavit Diva ad decimum usque annum. Vitæ Sanctorum ad instantiam Virginis sermone paterno legebantur, ex quibus intellexit, quos cruciatus Martyres pro Jesu Christo subierunt, et quomodo Dæmones Christi inimicos per martyria vicerunt, et magna edens suspiria dicebat: Ut quid audio cruciatus, victorias martyrum Jesu Christi, et quo pacto ipsi Dæmones Jesu Christi inimicos per Martyria superarunt (ingentes agebat Deo gratias) siquidem eos non imitor? His *Senorinæ* diu multumque affectæ dixit *Godina*: Te sollicitam, et tristem jam diu esse reor, causam rei ignoro. Cui Virgo: Mater Domina, nulla sane me huius mundi cura tangit, sed cum vitas Sanctorum audio, cum animadverto cruciatus, quibus Martyres pro Jesu Christi amore sunt affecti, et nihil tale in me reperiam, valde mihi peccatrici timeo: ignoro namque quomodo in cœtum, ac societatem Sanctorum Martyrum admitti possim. Quod cernens *Godina*, eam amplectitur, et confirmare cœpit, et ait: Jacta cogitationes tuas in Deum, et ipse te cogitationibus, et anxietatibus hujusmodi liberabit, quia Sancti Martyres non solum propter sanguinem amore divino effusum regnum cœlorum sunt consecuti, nec ob id solum cœteræ Divæ coronam victoriæ meritæ sunt; sed etiam propter cor contritum, et humiliatum cœlestem beatitudinem obtinuerunt; cor enim contritum ob peccata, et humiliatum erga Deum, est sacrificium, victima, et oblatio maxime accepta. Nam multæ virgines, confessores, monachi, heremitæ, qui nunquam sanguinem propter Deum effuderunt, in claustris, ac ædibus vitam degerunt, attamen ob præclaras actiones vita eorum Deo maxime placuit, et in illum fœlicissimum beatorum cœtum, ac concilium gloriosissime sunt relati. Tu vero filia, audi consilium meum, nec ob tua facta, et cogitationes (quamvis honesta) perturberis. Dico autem tibi multum cum inimico esse pugnandum: tres enim inimicos habet homo, cum quibus dies, noctesque est confligendum: primus scilicet est mundus, secundus diabolus, tertius denique propria hominis caro, quæ cum sit magis vicina, ac conjunctior, gravior est. Mundus igitur cum homine certat, ei opes, dilicias, thesauros, varios ornatus, claras preciosasque vestes ostentans. Diabolus vero in hominem hanc mentem injicere conatur, ut á Deo vero deficiens, idolis cultum adhibeat, quæ cum surda, et muta sint, nec sibi, nec aliis prodesse possunt. Tertius autem inimicus, videlicet caro, hominem allicit ad capienda, comedendaque prohibita, et quæ sunt animæ salutaria relinquenda, ut ait Apostolus: Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem. Quamobrem si te abstineas, tunc caro contrarium concupiscet, exquisitos videlicet cibos carnium, piscium, et alia, quæ appetitum excitare solent, vina præterea optima: imo si noctu orationi vacatura surgere velis, aliudve tale agere, statim occurrit caro, quasi dicens: Nescis noctes ad hominum quietem esse á Deo factas, et ad laborandum diem? siquidem nox est, quiesce, et dormi. Detur præterea, ut jam ores stans, aut genibus flexis, tunc caro tibi sic suggeret: Sede, insana, sede, preces enim Deo ut stando, sic sedendo fundes, idcirco sedeas, et quiescas, nec tantum negotii tibi facessas; si autem evigilare volueris, oculorum aciem amittes, corpus conficies. Et hoc modo caro erit non serva, ut debet, sed domina; nam á spiritu caro, non a carne spiritus regi debet. Tunc *Senorina* ad Nutricem: Domina, inquit, mater, jam ex nunc serva dominæ ancilletur, ita ut cum ætas ad adolescentiam pervenerit, caro non superbia efferatur. Jam vero si carnem meam cibi, potusque parcitate maceravero, multisque flagellis affecero, certo scio ancillam dominæ esse obsecuturam, nec unquam adversus eam sese elaturam, et deinceps Agar dominæ suæ, Ismael autem Isaac domino suo obtemperabit. Hinc jam Virgo valde modico, tenuique cibo utebatur, nam diebus Mercurii, et Veneris solo pane et aqua reficiebatur, totaque quadragesima, tribus exceptis diebus hebdomadæ (quibus tamen parce ac moderate) jejunabat; carnem suam quotidie tandiu flagellabat, quandiu septem Psalmi pœnitentiales recitari poterant: reliquo vero anni tempore carnibus et vino abstinebat, quin etiam eo devenit, ut quibusque singulis diebus unica tantum refectione aleretur, exceptis dominicis diebus in honorem sanctissimæ Jesu Christi resurrectionis. Hanc Virgo vitam degebat usque ad ætatem quindecim annorum (quo tempore suam quisque mentem, et quem vitæ statum eligere malit, ostendit) et tunc beata Virgo cum omnia mundi flu-

xa, et caduca, et temporis permutationi subjecta esse putaret, viam rectam, relicta contraria, elegit, et præteriti laboris oblita ad maiorem vitæ abstinentiam pro divino amore aspirare, omneque vitæ tempus in Dei obsequio ponere conatur. Nam cum ipsa sentiret carnem non satis esse domitam, nec obedientem, sed sibi adhuc cum ea, tamquam cum fera aliqua indomita, esse pugnandum, sibi ipsi vim infert, lumbos suos fortitudine cingit, brachia Dei misericordia firmat, et tunc ad Dominum clamans: Ne, Domine mi, ne me, inquit, superbia, nec manus peccatoris moveat. Tum ad acerbiorem vitæ statum, per jejunia, orationes aspirare contendens, proposuit se, dum viveret, non alio cibo usuram, nisi pane exigua aqua confecto, cinere, et sale admixto, ita ut tertia pars esset ex farina, tertia ex sale, aliavero tertia ex cinere, quo cibo semel in die tantum utebatur, dominicis diebus exceptis. Cumque ejus manus essent admodum largæ, ac propensæ ad eleemosynas pauperibus erogandas, erant non minus paratæ ad corpus propter Deum verberandum. O' novum Virginis martyrium! ita se ipsa verberibus afficiebat, ut corpus, cilicium, et pavimentum sanguine madefecerit, quem ipsa divino amore inflammata libenter aspergebat; tantumque operæ et temporis in oratione ponebat, ut genua ipsius callum contraxerint; innumeris colaphis, et vulneribus faciem afficiebat: hoc martyrio in corpus suum assidue utebatur, quod sic maiorem cruciatum subiit, quam si semel unico supplicio, neceque esset affectum, quemadmodum Martyres, quorum alii decollati, alii in flammam conjecti, alii in crucem acti, alii per humum tracti, et dilaniati sunt, atque idipsum etiam Virgines perpessæ sunt. Ast cruciatus, quo hæc suum corpus afficiebat multo maior atque acerbior extitit, quod tamen corpus meritum est esse altare, ex quo Deus multa, optimaque sacrificia accipit. Ac hoc modo vicit hæc Virgo mundum, et diabolum, faucesque ejus pede suo conculcavit, ita ut postea nec caro, nec dæmon unquam eam tentaverit, ac ita spiritum suum mundavit, ut omne malum, et peccatum radicitus stirpaverit, in illoque plantavit vineam rosas ferentem, ex quibus odor Deo efflaretur suavissimus, sacrificiumque Deo acceptissimum offerretur, vineamque suam ita mundavit, ut nulla prorsus herba inutilis appareret. Quod cum adverteret diabolus, angore nimio conficiebatur, quia non poterat semen suum vineæ Dei mandare, nec id unquam consequi sperabat. Cum Deus Optimus Maximus huius Virginis merita mundo patefacere, et hanc præclaram stellam, ejusque clarissimos radios hominibus ostendere vellet, ut opida finitima eorumque habitatores honore afficirentur, factum est, ut *Godina* ejus nutrix in febrim inciderit, ex qua brevi mortua est: ad quam sepeliendam beata Virgo in Ecclesia Divi *Georgii* sepulchrum fieri, juxta quod suum etiam corpus sepeliri jussit; dicebat namque non esse congruum, ut quæ in vita conjunctissimæ essent, in morte distanti sepultura disjungerentur. Quomodo ex hac vita discesserit, dicam, si prius aliqua ex multis miraculis, quæ propter illam adhuc viventem Deus effecit, perstringam. Nam cum *Senorina* in terris degeret, et thalamus jam esset ei in cœlo præparatus, accidit, ut cum Virgo orationi, et rerum Divinarum contemplationi vacaret, ad eam famula veniret, cui Virgo dixit, Vade quæsitum claram aquam ad potandum: quam actutum é fonte allatam, manu sua Virgo benedixit: et continuo in vinum est mutata, et cum ad os admoveret, vinum esse intellexit: redarguit famulam existimans se ab ea illusam esse, et caute vinum servans, eandem ad fontem remittit, qua abeunte, aliam et mittit, quæ primam insequeretur, diligenterque observaret, quidnam in via ageret; quod cum diligenter ab ea esset factum, redeuntes autem é fonte ambæ dicunt: Ad fontem perreximus ut jussisti, et manus lavimus in aqua ex qua portamus. Adhibens Diva fidem famulæ verbis, accepit aquam et manu benedicens, signum sanctissimæ crucis fecit, tunc aqua ut antea in vinum mutatur. Tunc denique serva Dei id esse miraculum, quod Deus per illam effecit, cognoscit, et sub jurejurando præcepit famulæ, ne cui, dum in vita maneret, id diceret, eique mandavit, ut incolæ omnes illius loci (erant enim omnes mulieres) convocarentur, quibus dixit Diva: Bibamus ex hoc vino, quod nobis Deus ob suam misericordiam dedit; tunc benedixit vinum, et beberunt affatim. Cum tamen domum redirent, mirabantur quod Diva, præter consuetudinem, vinum bebisset, quæ in cella remanens egit Deo gratias tantas, quantas commemorare nequeo: sic tamen agebat: Domine mi Jesu Christe, hæc opera ex tua pietate profecta sunt, quæ, tu Domine, pro salute, et incolumitate servæ tuæ ostendere voluisti; tu, Domine, aquas, et cætera elementa ex nihilo fecisti; tu, Domine, aquas á rebus omnibus separasti; tu, Domine, aquas firmissime super terram collocasti; tu, Domine, spiritum tuum super aquas emisisti; tu, Domine, aquas dedisti iis, qui per eas vivunt; tu, Domine, in aquis quæsisti omnes, qui a te defecerunt; tu, Domine, ab aquis Noê seruum tuum liberasti; tu, Domine, per aquas populum Israelis, cum mare transivit, transire fecisti; tu, Domine, aquis scelera generis humani expianda esse voluisti; tu, Domine, in Chana Galilææ aquam in vinum, præsentibus discipulis tuis, commutasti; tu, Domine, hodie in signum servæ tuæ aquam in vinum virtute tua convertisti: tibi igitur soli sit virtus, gloria, honor, imperium, potestas, et gaudium in sæcula sæculorum amen. Cum adhuc in terris degeret Virgo, uoluit Deus aliud miraculum per eam servis suis demonstrare. Nam verno tempore cum frumentum colligitur; areæque componuntur, accesserunt agricolæ a Præposito Ecclesiæ, in qua Virginis corpus postea sepultum est, evocati ad frumentum ex palea excutiendum, et in horrea deferendum: delato jam ad aream frumento, domum se quisque eorum confert ad refectionem sumendam, ut violentius, ac nervosius omnem conatum ad rem adhiberent: erat tunc cœlum serenum, diesque adeo clarus, ut nullus undique nubem aliquam conspicari, ac prospicere potuerit, unde pluviæ protenderentur. Refecti vero coloni continuo duas areas frumenti trivere, in tertiam vero cum jam nimio labore incumberent, ut diligenter rem expedirent, die claro existente, ecce tonitrum horrendum insonuit, quod ingens nimbus statim consequitur. Agricolæ vero aream deserentes domum confestim se contulerunt, et loquebantur de virtutibus, et miraculis Dei et Sanctorum ejus; inter quos erat sacerdos, qui eidem Ecclesiæ præerat, et ægre, molesteque ferens pluviam ad Virginem accessit, et clamans: Non, inquit, vides, Domina, quæ fecit nobis Deus? Quam injuriam nobis intulit? hodie clarus dies, splendensque existebat, nunc, erepta luce, tenebris, et caligine offunditur: operarii, Domina, relicta area, fugerunt, triticum copia pluviæ amittitur, et siquidem ita effectum est, pereat totus mundus. Hæc sacerdos, ut insanus, effutiebat. At Virgo, qua erat patientia et fide in Dominum, sic intulit: Magna, inquit, fili, est Dei pietas, ac misericordia, idcirco irascitur Deus in sceleratos, ut postea opem et auxilium ferat; minatur, ut posteá sua pietate, et clementia utatur. Surgens vero Virgo ad limen usque pervenit, ex quo aream prospicere, ac intueri posset. Quam vero fiduciam in Domino ipsa habuerit, nemo sciebat. Ast ubi primum ipsa accessit, Dei misericordia benigne præsto fuit; omnes namque admirati stupebant; claritas quippe solis ab area non discedebat, ita ut nec in aream, nec circum eam pluvia caderet, et itá toto die effectum est, donec totum triticum mundatum, et in horreum delatum fuerit. Dico vobis, amici, tale esse hoc miraculum, ut illud, quod Deus fecit per Gedeon, vel illud, quod per Sanctam Scholasticam Divi Benedicti sororem, quæ ne frater ejus Divus Benedictus ab ea discederet, a Deo fusis lachrymis impetravit pluviam; contra vero id Deus concessit Sanctæ *Senorinæ*; nam rogatu illius pluviam fudit, precibus vero hujus pluviam infuso sole cohibuit, et ut cor clerici mite, et sedatum redderet, Deum exoravit ut clerici triticum servaret. Vos vero judicate, quale horum sit prœstantius miraculum, an hoc quod Deus fecit propter *Senorinam* in aere retinendo pluvias, ne in aream descenderent, an vero illud, implorante Scholastica, imbres fundendo. Ego vero dico illum, qui utriusque est sponsus, id ipsum utriusque precibus fecisse. Cum fama, et prædicatio hujus Divæ in omnes

terras finitimas se diffunderet, evenit, ut Episcopus Dominus *Rudesindus* virtute præditus veniret ad Ecclesiam *Divi Joannis* de *Vieira* visitandam, qui cum familiaribus suis verba fecit de virtutibus et bonis Dei, et Sanctorum ejus, præsertim de fama, et existimatione hujus Divæ, et de prædicta pluvia: inter quos erant mercenarii domum tegentes, quorum unus ob dictam pluviam, quæ ceciderat, maledictis Divam et Sanctos Dei cæpit insectari, quia reliqui omnes eam, et Sanctos Dei summis laudibus extollebant, quem Dœmon statim invasit, nec reliquit, donec omnes pro eo Deum, et Sanctos ejus supplicarunt, omnes enim intelligebant illum ob maledicta, quibus Deum et Sanctos ejus insectabatur, esse damnatum: qui, postquam á Dæmone relictus, dixit, et confessus est coram omnibus, se nefando ore graviter contra Deum et Sanctos ejus deliquisse, et malum, quo fuerit affectus, jure esse sibi inflictum, sed tamen quod passus fuerit, fore sibi in animæ salutem. Unde sciendum est, quod huic contigit, non esse factum, ut supplicium Deus de illo sumeret propter scelus commissum, sed ut cæteri á tali in Sanctos commitendo deterrerentur. Deinde ex hoc Deus demonstrare voluit, quanta sit patientia, quanta charitate in Sanctos suos. In hac Ecclesia immorata Diva est aliquot dies, cum vero alimenta deficerent, præparabat se ad in aliam Ecclesiam iter faciendum, idque advertens Ecclesiæ Præpositus, inquit: Domina, nullum relinquis nec panis, nec vini ad operas victum? Et tunc cum noctesceret, clericus Præpositus domum discessit, preces adhibet Virgo Deo, ut dignaretur operis Ecclesiæ prospicere. Mane autem facto operæ invenerunt ad ostium Ecclesiæ sex bonæ farinæ sarcinas, quantum portare possent sex cameli, quin etiam vestigia camelorum reperta sunt, qui vero eos duceret, aut reduceret, ignoratur. Cæterum mercenarii miraculum hoc Divæ dixerunt, quæ gratias Deo agens vocat Procuratorem Ecclesiæ ad servandum panem a Deo missum. O' amici, quanta est Dei clementia, quanta ejus misericordia! a nullo alio id esse factum, nisi á Deo, qui Abraham agnum ad sacrificandum dedit, Eliæ panem cum indigeret, filiis Israel manna in deserto, quis ignorat? Ipse enim Dominus Sanctæ Virgini hunc panem suministravit. Postea Diva commeatus huic Ecclesiæ relinquens, statutum iter fecit. Et ut adhuc Deus manifestaret Virginis virtutem familiaribus ejus, evenit, ut cum ipsi iter facerent, lacum magnum, cui nomen *Carrezeda*, ranis refertum offenderint, tunc præcepit Diva clericis, ut solebant, canere, quod ipsi libenter exequi volentes, propter coaxantes ranas non mutuo se audiebant, quod advertens Diva, manum tollens: Vermes, inquit, mali, et infructuosi, ac inutiles, silete, et obstare nolitote Dei obsequio. Ecce silent ranæ, et lacum deserentes alio petunt. In hoc miraculo similis fuit Virgo Divi *Martini*, qui mergos á paludibus abire, et alias terras petere jussit, qui statim Divo obtemperantes, devolarunt. Quod siquis ratiocinari vellet, ranam et mergum speciem Dœmonis referre comperiet: uterque inutilis est; mergus enim danum infert, rana vero coaxat. Cum fama huius Divæ divulgaretur, ad eam veniebant infirmi, pedibus ac manibus capti, quos cum manu attingeret, valetudinem recuperabant. Hoc tempore contigit, aut prædictus *Rudesindus* Episcopus Dominus, et hujus Divæ studiosus, ex hac vita in illam fœlicissimam excesserit, et cum tunc *Senorina* horis matutinis vacaret, easque cum cœteris monialibus compleret, audivit cœlitus suavissimas, jucundissimasque Angelorum voces, quærensque quidnam hoc esset, divina revelatione intelligit esse animam hujus Episcopi, quam Angeli Deo offerebant. Tunc Virgo dixit suis sociis: Audistis ne quidquam? Minime, illæ. Tunc Virgo ex famula vocata quærit, si quid audierit. Cui famula, audio, inquit, in cœlo voces, quid autem sit, ignoro. Tunc Virgo Dominus noster Episcopus *Rudesindus* á morte ad vitam, ex labore ad quietem est translatus, idcirco Angeli per aerem ascendunt canentes, et dicentes Gloria in excelsis Deo, ac maxima lætitia perfusi animam Episcopi deferunt. Hora autem, in qua id factum est, et dies notatur, et de facto exquiri jubetur, an Episcopus in illa hora decesserit, et ita accedisse ac Virgo prædixerat, denuntiatur: ex quo incredibili lætitia Virgo afficitur, siquidem anima Episcopi Domini sui fœlicitatem illam ineffabilem, ac sempiternam esset consecuta, et quam maxime potest Virgo Deum orat, ne bonis spiritualibus privetur. Affirmo præterea vobis hanc Divam, quantum in se erat, conari opera misericordiæ, et caritatis exequi; ipsa enim infirmorum curam habebat; ipsa Dœmones manuum suarum tactu ab hominibus ejiciebat; diabolos fugabat; cœcis aspectum restituebat; claudis, ac pedum vitio afflictis gradiendi facultatem dabat; surdorum patefactis auribus auditum insinuabat: omnibus denique quodcumque misericordiæ opus implorantibus præstabat. Hæc autem faciens, deficere, et defatigari cœpit, nec ut antea tot labores suscipere poterat, Deumque obnixe obsecrat, ut sibi concedatur custodia levari, carcere, quo detinetur, eripi: et illa nocte facta est cœlitus ad eam vox, sic: Veni amica mea, et tibi coronam meam imponam, Dominus enim Deus concupiscit decorem tuum. Ex quibus verbis et ex obitu Episcopi, a se viso, præsagivit Virgo postmodum se ad Deum Jesum esse excessuram. Sacerdotes accersiri jussit, animum suum venerandis Ecclesiæ Sacramentis munivit, sacrosanctum Christi corpus, cui totam se devovit, accepit. Quibus actis, dies festus Sancti Georgii Martyris evenit: tunc convocari præcepit clericos finitimos, personas quasque religiosas, et homines, et mulieres, quibus illa dixit: Gaudete, et lætamini propter meum gaudium, et lætitiam, hodie enim ex morte ad vitam, ex labore ad quietem transferar, quoniam Dominus meus Jesus Christus me ad se vocavit, ut cum illo vadam. De hoc omnes admirabantur, et Psalmos, et Hymnos cantare non cessabant. Sancta vero admodum læta ac firma cubans præsciebat horam, in qua spiritum ad Deum esset emissura, quem Jesus Christus accepit, eumque ante Deum Patrem præsentavit, quem Diva summe laudans, eique eximias gratias agens pro amicis suis orat, atque etiam ipsa Virgo virginum Deipara et omnes Sancti et Sanctæ regni cœlestis cum Sancta *Senorina* ineffabili gaudio atque lætitia perfunduntur: et Sancta Dei Genitrix quotidie Deum rogat, ut ipse flagitiorum superbiam comprimat. Vos vero, amici, hanc Virginem, quæ jam cum Deo Patre regnans non cessat pro suis amicis, et studiosis Deum orare, obsecrare debetis, ut ipsa, qua est bonitate, pro nobis preces Deo adhibeat, et pro omnibus, qui in illa habent fiduciam, ut et illi, qui angustiis et angoribus premuntur, subleventur et ab omnibus animi et corporis periculis eruantur, multisque bonis cumulentur, et in patriam cœlestem ascendere mereantur, in qua ipsa cum Deo et cæteris virginibus vivit in æternum, amen. Hæc beata Virgo cum ad ætatem quinquaginta et octo annorum pervenisset, ex hac vita migravit anno Domini millesimo vigesimo. Nunc dicam miracula aliqua a Diva post mortem facta, ut ab iis, qui viderunt, accepi, nullo tamen modo omnia, quæ Deus per illam fecit, et facit, enarrare potero. Judæus quidam ex *Zamora* in hanc terram veniens, mercemque venalem ad collum portans, accessit ad Ecclesiam hujus Divæ, paloque in pariete affixo mercem appendit, et ascendit ad sepulchrum Santæ *Senorinæ*; admonentibus autem omnibus, ut descenderet, nolebat. Ast illa hora Dœmon in illum ita erupit, ut pro mortuo baberetur. Postmodum vero loquitur Judæus, clamans, ait, Magnus est Christianorum Deus, et quam maxima ejus potentia, qui et in cœlis, et in terris regnat! Deinde sic dicebat: Ecce Diva hæc humata regnat, et quod vult facit inter vivos, et mortuos. Postea vero mercem iterum assumens, ut erat interno caligine offusus, fugit, et omnibus ei obviam factis id, quod sibi evenerat, enarrabat, usque dum *Toletum*, ubi habitaverat, reversus est, et morbo affectus, a diabolo, a quo deceptus erat, vita privatur, et in spurcissimas inferorum tenebras detruditur. Eo tempore Dominus *Paius* Archiepiscopus Bracharensis, ut visitationis munus obiret, *Brachara* discedens, venit ad Ecclesiam hujus Divæ ad orandum, et inter alia multa miracula, quæ ei sunt dicta de hac Virgine, audivit etiam, quod ipsa in sepulchro adhuc sit toto corpore integra, et tanquam dormire videatur: qui hoc experiri cupiens congre-

gavit plebem, eamque volens exhumare audivit voces cæci cujusdam a Sancta illuminati, qui clamare cœpit: Video, inquit, manus Archiepiscopi, et video Archiepiscopum. Ex quo Archiepiscopus ipse magna admiratione est affectus, et qui aderant ex cæco quæsiverunt, quid hoc esset, et quare clamaret? Quibus ille, Ego, inquit, semper a nativitate fui cæcus, et vidi manum, quæ oculos meos tetigit, et Archiepiscopum, et sepulchrum Sanctæ *Senorinæ* aspicio. Quod Archiepiscopus animadvertens maximis laudibus Divam extollit, deinde aperiendi sepulchrum voluntatem penitus abjecit, quod Deus clausum esse vult, nequis sciat quid in illo contineatur. Hoc autem esse verum ab iis, qui viderunt, accepimus. Erat quidam nomen *Sylvester* habitans in opido *Castelli Vimaranensis*, a Dœmone vexatus accessit ad Sanctæ *Senorinæ* sepulchrum sperans liberationem consecuturum, tunc vehementius vexabatur, verum cum ipse oraret, admovens ad pectus manum, liberatur, nec amplius, ut a vicinis accepi, vexatus est. Clericus nomine *Paius* huic Ecclesiæ Præpositus, nobis affirmavit ad hujus Divæ Ecclesiam hominem venisse ex regno Leone oriundum, qui instar utris tumidus erat, et expletis horis vespertinis accendens candelas demisit se ante sepulchrum Divæ resupinum, quia aliter jacere, nec dormire poterat. Et nunc Ecclesia ita populo erat referta, ut quemvis jam capere non posset. Dormientibus vero omnibus, tumidus ipse mulierem vidit candida veste indutam, quæ dixit turgido homini: Dormis, homo? Tum ille, Quomodo, inquit, dormiam tanto dolore afflictus? Cui mulier: In latus dexterum vertere, et statim sanus factus eris: Et ipsa sibi fasciam dare visa est, quam ipse cum tetigit, tanta ex ejus ventre vociferatio intonuit, ut omnes á somno excitarentur, quibus ille rei eventum exposuit, et se esse morbo prorsus relevatum, intercedente *Senorina*, profitetur. Tunc omnes in cœlum manus tollentes gratias Deo et Sanctæ egerunt. Quo tempore idem clericus (ut ab ipso accepimus) Ecclesiæ ipsi esset præpositus, venit quidam ex *Zamora* auditis miraculis Divæ ad hanc Ecclesiam, atque filium nativitate claudum in jumento attulit, ita ut ipsius genua ad pectus essent reducta, cui medici remedia afferre non poterant: cum esset in Ecclesia Divæ circiter sexdecim dies, paterque ipsius cum aliis agricolis se in vineas Divæ operaturus conferret, filium in area reliquit ut servaret frumentum: idque effecit pater, ut ipse et filius alimentum sibi ab Ecclesia Divæ ministrandum mererentur. Claudo igitur sic relicto aparuit mulier dicens: Da mihi, inquit, puer, virgam, quam gestas; ipse autem porrigere volens se incolumem erexit, et tunc mulier evanuit. Puer autem exclamavit, et qui operabantur in vinea accurrerunt, et quid esset interrogarunt: tunc puer omnia, quæ sibi contigerant, exposuit: et in Deum et ejus Sanctam gratiarum actione usi sunt. Tunc pater, et filius incolumis in patriam discedunt, et qui claudus in jumento venerat, expeditis pedibus, iter facit pedestre. Prædictus clericus affirmavit duos adolescentes ab ortu cæcos ex locis disjunctissimis huc accessisse, quia fama, et auditione hujus Divæ miracula perceperunt, et Olyssiponem ingressi quæsiverunt, ubinam corpus Sanctæ *Senorinæ* esset sepultum? quibus dictum est, ut ad Archiepiscopatum Bracharensem ad flumen, quod appellatur *Bastum*, se conferrent, juxta quod corpus Sanctæ *Senorinæ* humatum esset. Qui etiam cum uxoribus venientes ad ipsam Ecclesiam accesserunt, et clerico nomine *Paio* omnia, quæ sibi acciderant, nuntiarunt. Cumque sol ad occasum verteretur, cæteris domum redeuntibus, manserunt cæci cum uxoribus ante sepulchrum Virginis; cumque uterque oraret, alter tamen, ut infra videbitur, maiori animi studio orabat; nam peracta prima noctis vigilia, et accensis adhuc ad tumulum Virginis candelis, cæcus, qui amicior Dei erat, audivit tonitruum ita vehemens, ut tota ædes sibi corruere videretur, excitavitque socium, qui excitatus, Quid est, inquit, hoc? Tum devotus: Totam domum hanc candelis accensis plenam video: ac jam ipse illuminatus præ nimio gaudio, et lætitia gestiens cymbala pulsavit. Tunc omnes clerici, et Ecclesiæ mercenarii excitati viderunt cæcum illuminatum, et pro tanto beneficio Deum et Divam admirantur. At cæcus tanti beneficii memor per multum tempus ex eleemosynis sibi erogatis candelas, et oblationes emens, omnia ante sepulturam Divæ offerebat. Tandem salvus et incolumis domum evasit. Accepimus præterea ab eodem clerico, et ab aliis mulierem quandam, cujus venter per duos annos tumidus erat, ad sepulchrum Divæ se gravidam existimantem accessisse, et in admirationem rapta, quod tandiu partus differretur, Virginis opem implorat. Cum ipsa simul cum marito, et fœminis ejus vicinis ad sepulchrum orationi vacarent, eique multas oblationes offerret, ut partui subveniret, peracta supplicatione, sensit in ventre tumultum magnum fieri (nemo sane sciebat, quid in utero gestaret) idque vicinis dixit, quæ partum instare putantes, eam domum redire cogunt, quo cum pervenisset, emisit ex alvo ingentem anguem, quo viso omnes vehementer obstupuerunt, qui cum fugere conaretur, interficitur, et qui aderant Deo et Sanctæ gratias retulerunt. Ex opido *Vimaranensi* mater et filia in sacellum Divæ se contulerunt: mater multiplici partu confecta, ne deinceps pariat, obsecrat; filia vero sterilis fœtum implorat: intercedente Diva, voti compotes evadunt. Nobilis ac præpotens vir ex intimis Regis familiaribus, eique á consilio, cum juxta templum Divæ transiret cum exercitu ad hostes, qui ejus castellum obsiderant, propulsandos, Divæ Ecclesiam non ingressus est: cumque ab Ecclesia non longius abesset, stetit equus ibi immobilis, ita ut nullis flagellis moveretur. Ipse nobilis rei causam cognovit, et ad templum Divæ se contulit, et suæ temeritatis (quod scilicet templum Divæ non sit ingressus) veniam et auxilium contra hostes implorat, et meritis ipsius Divæ, superatis hostibus, victoriam reportavit. Regnanti *Alfonso* Hispaniarum Regi nuntiatum est prædictæ *Senorinæ* fratrem una cum aliis sociis opes alienas spoliare paupertate coactum. Quam ob causam Rex illum in vincula conjiciendum sancivit. Verum cum hominis pedibus vincula et catenæ admoverentur, tanquam luteæ frangebantur. Id custodibus ad Regem deferentibus, quæsivit, an ipsi hujus rei causam scirent? Tum custodes: Domine, audivimus huic viro esse sororem eximia virtute præditam, cuius orationibus id fieri, ne frater in carcere detineatur, suspicamur. Tunc Rex talem fœminam videre exoptans, illam ex Archiepiscopatu Bracharensi, *Toletum* honeste et honorifice venire jussit, quam ad Regem ingressam, sic ipse aloquitur: Cum te nonnisi ex fama ac virtute tua cognoscam, quicquid volueris pete, et omnia præstabo. Tum *Senorina* humilime petiit, ut Ecclesia sibi a patre relicta concedatur. Rex vero admiratus quod plura non petiisset, Ecclesiam concessit, et fratrem ipsius liberavit, et asylum Divæ donavit cum diplomate ad Ecclesiam perutile. Et *Senorina* ad eamdem Ecclesiam honorificentissime reversa est. Hæc et alia multa fecit miracula, et facit Deus per intercessionem Sanctæ *Senorinæ*, quibus brevitatis causa supersedendum putavi, ad laudem omnipotentis Dei, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

ALIA SANCTAE SENORINAE VITA

EX ACTIS SANCTORUM.

1. Senorina ex nobilissimis Sousarum orta natalibus, Hufum Hufes [1] Belfajal seu Belfajer, Comitem et Dominum territorii da Vieira et do Basto, inter Minii et Durii flumina Braccarensis diœcesis, patrem habuit et Soerium Belfajal avum; matrem vero Tharasiam, sororem Comitis Gunsalui Soarii strenui militis, qui regibus Legionis opem detulit sæpe sæpius. E vita vero Tharasia discessit, relinquens filiam Senorinam puerulam fere lactentem: hinc Hufi patris dolorem et coniugis obitus et filiæ orbitas gravissime perangebant. At ut tantis Hufus occurreret infortuniis, Godinam Abbatissam in cœnobio S. Joannis de Vieira, ordinis Benedictini, puerulæ materteram, feminam et prudentiæ dono illustrem, generisque notabilitate conspicuam, et quod sortius est, vitæ sanctitate sublimem, elegit, ut de Senorinæ educatione tractaret, concurrentibus utriusque sanguinis coniunctionis vinculis, et sanctissimæ Abbatissæ ad huiusmodi educationis pensum suffragantibus officiis, etiam in externis virginibus. Nec electio Comitis animum decepit, quia B. Godina, accepta puerula cum eius nutrice, sic assistentiæ necessaria ministravit utrique, ut post tempus infantiæ sacra Virguncula sanctissimæ Abbatissæ solertiam omnibus intuentibus propalaret. Cum ergo iam ad ætatem discretionis pervenit, ita virginem Godina validis virtutum fulcris, verbo et opere informare constituit, ut sancti Spiritus templum mereretur haberi, ideoque ad summum, timore et amore Dei præviis, perfectionis apicem deuenire curavit. Hinc fere totam hebdomadis partem ieiuniis explebat, cilicio induta teneræ carnis fomitem, nec non disciplinis macerabat, et reliquum temporis aut in oratione aut in verborum cælestium auscultatione excursum feliciter transigebat.

2. His sic Senorinæ virtutum odoribus per illius regionis terminos diffusis, in aures ingenui et nobilis adolescentis eius fama pervenit; qua procaciter inescatus juvenis, omnem ponere operam curavit, ut ad speciosissimæ virginis auditum, eius flagrantis amoris scintilla perveniret, ita ut illam sibi in matrimonium coniungeret. Quod ut beata Virgo cognovit, constanti animo, ut a proposito resileret, iuveni notificari mandavit. Sed cum sit immedicabilis amor, eo ipso quod Virginis contemptus significationem audivit, vi furoris multiplicata prolixius, in pervicacem desperationis affectum, blandum voluntatis desiderium tenaci apprehensione convertit. Sed quia frustra æstuantis adolescentuli solicitudo continuum temporis lapsum perdebat, sibi consulens, Comitem Hufum, Virginis parentem, adire compellitur: cui obortis lacrymis, ardentibus affectibus, meteoricis precibus et amantis suspiriis, omnia sui amoris accidentia patefecit; ab eo flagitans ut filiam summe dilectam sibi in conjugium permittere dignaretur. Comes nobilissimi iuvenis angustiam demirans, et illius dotes ab origine illustres et a natura præclaras contuens, illum, ut tempori pausam daret, benigne dimisit; promittens se filiam, ut ad coniugii vinculum properaret, bono auspice allocuturum. Abstersit strenuus Comes solamine prudenti lacrymas iuvenis perturbati, qui eius salutem Comiti commendans, de eius præsentia valde solatus discessit. Tum Comes in cœnobium [2] conscendens, Senorinam accersiri iubens, humanis et suavibus verbis, Proceris coniugium prudenti brevitate proposuit; addens quanta amoris æstuatione, quanta sanguinis illustratione, eorum prosequeretur affectum. Audivit sacra Virgo patris propositum, cui tali supra ætatem constantia respondit: Ego D. N. Jesum Christum Sponsum accepi, quem despicere fœdum, cuius amplexus perturbare nefandum: ideo, in animæ sponsi disturbium, alium admittere, iniquum; ita ut nec patris instantia, nec iuvenis appetitus, nec mundi opes, nec vana nobilitas poterit me a Christi Sponsi, amantis, nobilis, et divitis separare coniugio. Tacuit pater, auditis beatæ Virginis verbis, vehementi fervoris spiritu prolatis: et ut sanctum propositum ad perfectionem perduceret invitavit; Virgini promittens, ulterius de illo aut alio matrimonio exquirendo, se nusquam tractaturum.

3. Hanc Hufi Comitis obsequelam, qua se cum filiæ placito conformavit, sic Virginis Sponsus gratam accepit, quod nocte sequenti resignationem Comitis plaudere satageret: ideoque illi in somnis Angelum dimisit, qui Numinis assensum referret, et quod protinus Senorina monasticam religionem acciperet, imperaret. Tantæ inspirationis decreto parens, adveniente die Comes monasterium adivit: et Godinæ Abatissæ necnon filiæ Senorinæ Dei placitum recensens, et oraculum Anglica voce prolatum propalans, illico sacram virginem Benedictini Ordinis habitum induere destinavit. Quo facto nimia omnia lætitia, ad aratrum Senorina manum imponens, sic in perfectione concrevit, ut non solum exemplo sed et admirationi omnibus aliis extiterit sanctimonialibus. Exacte Martyrum acta legebat, in quorum studio et in æternorum pensitatione cruciatuum diu noctuque percurrebat; tanto lacrymarum imbre, quod et in martyrii desiderio exardesceret, et in pœnarum æternarum diffugio totis viribus laboraret. Hæc ergo voluntatis ad martyrium anxietas sic corporis attenuavit compaginem, eo maxime quia clausuræ status propositum prohibebat, ut in melancholicam incideret ægritudinem. Cuius causam, ut agnovit B. Godina, illa qua erat prædita sanctitudine prudentiali et solertia monachali, infirmam Virginem visitavit, et hæc inter alia solaminis vice verba profatur: Soror carissima, nostra hæc vita monastica, si in sua accipiatur severitate, quid aliud nisi verum martyrium est? Nam si Martyrum res gestas perpendis, in nobis prolixius, quam in illis martyrium inspectabis. Illi temporalem, nos continuum agonem suscipimus; illorum affectus attracti, nostrorum proculdubio voluntaria resignatione oblati feliciter. Ergo si martyrium, filia carissima, explere desideras; in palestra es, in pulvere præsens agonista subiaces, age dum et ad satellitum, trium animæ inimicorum conflictum, strenua pugil arma defensionis exerce. Hic cruces et stipites invenies, quos superes; hic rotas, trochleas et torcularia, quæ vincas; hic equuleos, fidiculas, catastas, quas deprimas; hic denique alia instrumentorum genera cruciatuum, quæ comprimas, dubio procul reperies. Ergo ut quid aliud martyrium ambire præsumis? Dei voluntatem adimple, et omni benedictione frueris. His sacra Virgo suffulta consiliis, læta solamine et vallata præsidio, illud novum agonis piaculum variis pœnitentiæ exercitiis sedula quæritabat; in quorum continuatione sic vitæ terminum explevit, ut aliquando Martyr reputaretur ubique.

4. His temporibus sanctissima Godina, cœnobii Abbatissa, Senorinæ matertera, et eius bonæ indolis magistra, temporalem exuit vitam, et æternam virtutum sarcina onusta feliciter adinvenit. In eius locum et merito Senorina, convenientibus sanctimonialium suffragiis, successit. In huius officii onore, sic sacra Mater se gessit, ut nec in minimo apice ab antiquæ severitatis pondere deviaret. Fuit in illa mirabilis gratia miraculorum: nam sæpius aquam in vinum vertebat, tempestates ex areis depellebat, et alia prodigia suis orationibus perficiebat. Cœnobium ex loco Vieira, ad Bastum transtulit, ubi cum panis Virgines laborarent inopia, interveniente sanctæ Abbatissæ oratione, brevi Deus saturavit famelicas. Quid magis? Cum aliquando iter perageret Abbatissa iuxta Carrazedum, sociis aliquibus sacræ Congregationis Virginibus, et in loco divinum recitare officium statuisset amœno, sic a rauco ranarum strepitu eius fuit impedita deuotio, quod in oratione nec minimum persistere potuerit. Tunc Senorina garrulas animalium molestorum voces consopire disponens, ne in ceterum perstreperent imperavit: quod evenit, nam

[1] *Yepez et Ludovicus ab Angelis* Comitem Adulfum *appellant: Lectiones Breviarii Benedictini* Avulsum. *Sousarum familia an nominetur in Ms. Legendario vehementer ambigimus.* Act. Sanct.

[2] *Hinc liqueret non fuisse in domo paterna a Godina instructam, uti apud Menardum legitur, si de fide Tamaji hæc ita velut ex antiquo Ms. tradentis, non dubitaremus.* Act. Sanct.

ulterius nullum huius generis in termino illo conspectatur entoma [1].

5. Erat ergo sacræ Virgini carissimus B. Rodesindus, et propter cognationis vinculum, et ob sanctitudinis piaculum, quæ in causa fuere, ut aliquando beatus vir Senorinæ frueretur alloquiis. Evenit autem, ut statuto tempore Rodesindus monasterium adiret, quatenus sacram Abbatissam visitando consuleret, et ab ea aliquid consulendo edisceret: ad quorum colloquium cum ambo accederent lætabundi, et de rebus spiritualibus loquerentur adinvicem; duo opifices, qui cœnobii tegumenta verrebant, Sanctorum colloquia in pessimam partem traduxere fallaces. Vix in eorum corde fuit exorta temeritas, quando in ipsorum corpore dæmonum est ingressa caterva, quæ miseros opifices pertorquens, e tecto in peristylium præcipites propulsavit, ita ut in parte homines contusi, miserabiliter protinus animas eructarent. Quod infortunium Rodesindus et Abbatissa intuentes, utriusque orationibus, et sancti Abbatis manuum impositione, alter et alter opifex, cum spectantium admiratione, vitam Deo miserante recepit.

6. Demum transactis aliquot annis, cum Senorina quadam die cum suis sacris Virginibus in choro Completorii officium integra devotione persolveret, concentus dulcissimi in aeris regione ab omnibus auditi magna cum animorum fuere lætitia: quos cum non caperet Virginum cœtus, ad Matrem post absolutum Officium convenit, ut de psallentium melodia causam exquireret ab Abbatissa. Quæ illis de obitu Rodesindi, in cœlum ab Angelorum agminibus translati, rationem felicissimam aperuit. Tunc sacræ Virgines horam et diem signantes, postmodum veritatis apicem invenerunt. His et aliis Sanctorum operum illustrationibus ad ultimum vitæ limitem sanctissima Virgo pervenit. Nam quadam die dum in oratione persisteret, dulcissimam hanc vocem audivit: Veni electa mea, quia concupivit Rex speciem tuam. Qua audita protinus se ad viam munivit, et acceptis devote Sacramentis, filiabusque in Dei amore et timore eruditis ille purus spiritus ad gaudia æterna placida dormitione transcendit, xxii Aprilis, an. Christi dccccLxxxii, cum lviii esset annorum. Corpus iuxta SS. Gervasii et Godinæ exuvias in cœnobii ecclesia sepultum, innumera quotidie patrare miracula novimus: ita ut ægri salutem, obsessi libertatem, debiles manus, claudi pedes, surdi aures, et cæci oculos reportarent. Quæ cum Pelagius Bracarensis Ecclesiæ Pontifex auscultasset, curiositate permotus, ad tumulum accedere, eiusque sacra pignora intueri proponens, cœnobium adivit: in cuius præsentia cum iam iam sarcophagum aperire destinasset, cæcus a nativitate visivæ lucis radios Virginis intercessione recepit. Tunc Præsul a proposito desistens, et miracula credens, sanctam Virginem in sublimiorem loculum elevavit, hoc illi gravans in marmore Epitaphium:

Hic Senorina iacet Christi sponsa et fide plena,
Quæ innumeros vivens tunc respiravit odores:
Et moriens plurimos quoque nunc per sæcula spirat.
Hæc fuit illustris (ut memorant) de sanguine creta:
Sed magis illustris dicta pro stamine vitæ.
Illius agnoscens Pelagius agmina Præsul
Virtutum, posuit vovens in Tabulis Almam:
Qui inscripsit quoque lapidis hoc in tegmine metrum.

ERA MCLXVIII.

Inter cetera memorabilium miraculorum a beata Virgine patratorum, illud ab omnibus celebre reputatur, quod Sanctius, primus huius nominis Lusitaniæ Rex, pro salute Alfonsi Primogeniti filii obtinuit. Nam cum is in ultimo vitæ termino computaretur ægrotus, Sanctius pater ad cœnobium convenit pro salute Principis consequenda. Qui cum novendiale devotus exequeretur votum, salutem Alfonso feliciter impetravit: cuius opis gratificatione innodatus plurima cœnobio munera obtulit; præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat, per infinita sæcula sæculorum, Amen.

[1] ἔντομα, insectum *Physicus Latinus diceret.* Act. Sanct.

VITA SANCTI GERALDI.

Ex vetusto Colbertinae Bibliothecae codice Sancti Geraldi vitam a Baluzio descriptam, in III. Miscellaneorum *libro Parisiis anno* 1680 *iam editam, postea in urbe Lucca anno* 1761 *Mansius in maxima eorum* Miscellaneorum *editione vulgavit. Bracharensis quamquam Ecclesiae de perillustri praesule in hoc ageretur opere; et ipsum a viro eidem praesuli amicitia et comitate coniuncto, eiusdemque Ecclesiae canonico scriptum fuerit; non datum tamen nobis fuit, sollicite per tabularia, archiva, et scrinia, tum illius Ecclesiae, quondam Galleciae metropolis, tum per caetera huius regni perquirentibus, aliquod reperire apographum antiquum huius Archidiaconi Bernardi operis, quod domestici scriptoris authoritate, aut suaemet vetustatis veneratione prae Baluzii et Mansii editionibus pluris nobis faciendum esset. Ab illa ergo anno* 1680 *vulgata editione textum in hanc hausimus nostram.*

VITA BEATI GERALDI
ARCHIEPISCOPI BRACARENSIS,
AUCTORE EIUS DISCIPULO BERNALDO ARCHIDIACONO BRACARENSI.

Cupientes minus eruditos ad fidei incrementa provehere, beati Geraldi Bracarensis Archiepiscopi vitam et miracula quæ Deus omnipotens in ejus honore mundo hominibus exhibuit discribere dignum duximus, quatinus ipsi tanti viri virtutibus auditis, ad eum imitandum zelo vitæ similis accendantur. Ad hoc autem explendum sancti spiritus opitulationem flagitamus, ut in hoc opere auctor sermonis dignetur adesse.

1. Beatus igitur Geraldus nobili prosapia ortus, Cadurcensis regionis oriundus fuit. Parentes vero ejus et nobilitate et seculari potestate non mediocriter pollebant; a quibus nimirum parentibus in cœnobio quod dicitur Moysiaeum Deo et sancto Petro puer parvulus oblatus est, ubi et regularem disciplinam didicit, et ordinem monasti-

cum perfecte observavit. Beatus itaque Geraldus in ordine monastico constitutus, tanta virtute cœpit pollere quod majores natu præclaræ sanctitatis ejus exemplum imitari cupiebant. Castitas enim, quæ Angelis est socia, in eo præcipue viguit. In gradu etiam humilitatis persistens, superbiæ fastus et cetera vitia quæ homines infestare solent, a se omnino extirpavit. Quia vero divinæ scripturæ pabulo refici magnopere exoptabat, armarii in quo libri divini reponebantur custos factus est, in cujus officii obedientia annis multis perduravit. Tali quippe refectione imbutus, fratribus in Capitulo fluenta prædicationum effundebat, et eos spiritali cibo jugiter reficiebat. Musicæ quoque, nec non etiam artis grammaticæ scientia eruditus, in monasterio quorum, utpote bonus primicerius, doctissime regebat; et monachos minus eruditos tam in musica quam etiam litterali disciplina diligenter edocebat. Et quia scientiæ donum et docendi gratiam omnipotens illi concesserat, Abbati et fratribus utile visum est ut beatus Geraldus monasterii cellas visitaret, et fratres ibi commorantes in sancta doctrina et in ordine sancto reformaret. Hac de causa in urbe Tolosa ad quandam cœnobii Moysiaci obedientiam quæ sancta Maria deaurata nuncupatur, quæ est sita in ripa Garonæ, delegatus est: ubi religiose vivendo, et monachis exemplum sanctitatis ostendendo, prolixi temporis moras contraxit.

2. Illo autem temporis discursu, dum tantus vir ibidem moraretur, Archiepiscopus venerabilis memoriæ Toletanus domnus scilicet Bernardus, curiam Domini Papæ Urbani adivit, et in reditu, cognita sanctitatis ejus opinione, et quia ipse Archiepiscopus ejusdem ordinis erat, ut tantum virum in consortio suo habere posset, Abbatem Moysiacensem et totum conventum precibus et supplicationibus multis attentius obsecravit. Postquam vero Archiepiscopus petitionis suæ compos extitit, cum gaudio non mediocri thesaurum pretiosum secum ducens, Toletum remeavit, et beato Geraldo chorum Ecclesiæ Toletanæ regendum et Clericos edocendos commendavit. Qui nimirum in Ecclesia illa quasi lucerna lucens extitit, filios sibi commendatos edocendo enutrivit, scientia et religione eos instruxit, de virtute in virtutem eos instruendo ad altiora provexit. Licet ipse sub alia constellatione maneret, et aliorum hominum conversatione uteretur, in religionis tamen reverentia jugiter perseveravit, et a proposito regulari nullo modo potuit dimoveri.

3. Eo itaque tempore, dum beatus Geraldus Toletani Archiepiscopi et sanctæ Romanæ Ecclesiæ Legati consortio fungeretur, Bracara metropolis quasi desolata absque Metropolitano existebat, et clerus Bracarensis omni consilio destitutus pastorem habere modis omnibus cupiebat; sed persona quæ tali cathedra digna existeret, in Episcopatu Bracarensi reperiri non poterat. Coacti vero Pontificis necessitate Bracarenses, plures personas Domino Legato præsentarunt. Sed quia idoneæ minime videbantur, repulsam passi sunt. Hoc autem divina dispensatione factum est ut ad electionem beati Geraldi hoc modo perveniretur. At vero beatus Geraldus hujus rei inscius, circa ordinis religionem operam dabat, Missarum solemnia frequentabat, orationi vacabat, obedientiam sibi injunctam pro viribus adimplere satagebat, de tali honore adipiscendo nullatenus cogitabat.

4. Postquam igitur beati Geraldi sanctitas ad aures Bracarensium pervenit, tam clerus quam populus uno consensu, una intentione, uno eodemque animo, eum in Pontificem elegerunt. Sed antequam voti sui compotes extitissent, in conspectu Domini Legati infinitas preces proculdubio effunderunt. Indissolubili namque vinculo dilectionis Dominus Legatus eum amplectebatur, et tantum lumen a se nolebat removeri. Tandem vero Archiepiscopus Toletanus et sanctæ Romanæ Ecclesiæ Legatus, tot et tantis precibus convictus, petitioni eorum adquievit, et beatum Geraldum in Episcopum apud sanctum Facundum consecravit, et eum cum Clericis et Abbatibus, qui ejus ordinationi interfuerunt, ad sedem Bracarensem cum gaudio remisit. Cumque urbem Bracarensem ingrederetur, et situm loci barbarum et depopulatum ruinæque subjacentem videret, ingenti stupore attonitus, Deo gratias egit, qui ei locum in quo desudaret concesserat.

5. Bracarensis namque Ecclesia absque pastoris procuratione diutino tempore permanserat, et ideo per manus vicarii non bene pertractata, de amissis nihil acquisierat, de possessis vero multa per incuriam amiserat. Populus etiam totius pontificatus, qui a procuratore sedis Bracarensis fuerat corrigendus et docendus, in crimina multa sine aliquo cultu correctionis lapsus fuerat, in incestum scilicet, in rapinam, in fornicationem, in furtum, in homicidia, in odium, et cetera criminum genera quæ homines ducunt ad mortem. Sicut enim agricola deserta loca fructifera reddere gestiens, primum extirpat quæ infructuosa sunt, deinde terram excolit, postea seminat, tandem fructum metit, eodem modo beatus Geraldus facere sollicitus facinora hominum arguendo resecare non cessavit, vomere correctionis corda eorum attentius excoluit, verba prædicationis in populo jugiter seminavit, ut de grege sibi commisso Deo fructum reddere posset. Circa Ecclesiæ quoque ordinationem sollicitus, Clericos quos ibi reperit de ordine ecclesiastico perfecte edocuit, bonis ditavit, alios, quos dignos et idoneos cognovit, illis aggregavit, et ita pulchrum et optimum conventum in Ecclesia instituit. Insignia pontificalia multa ibi composuit, ornamenta alia plurima, scilicet calices argenteos, capas sericas, libros divinos, thuribula argentea, et cetera quæ minus erant ibidem adquisivit.

6. Postquam autem sanctificationis doctrinam in clero et in populo sibi commisso aliquantulum propagavit, ad Ecclesiæ suæ dignitatem recuperandam operam dedit. Bracara enim per multa temporum curricula in ruina et destructione jacuerat, a tempore scilicet beati Fructuosi usque ad tempus venerabilis Petri Episcopi: qui quidem quia palleum et privilegium a Papa Clemente accepit, ab Archiepiscopo Toletano et sanctæ Romanæ Ecclesiæ Legato depositus est: cui post annos multos beatus Geraldus successit. Qua de re Bracara, quæ antiquitus fuerat metropolis, modernis temporibus propria fuit dignitate privata. Ut autem beatus Geraldus sedi Bracarensi propriam dignitatem restitueret, Romam petiit; et a Domino Papa Paschali honorifice susceptus, palleum et privilegium et auctoritatem Ecclesiæ suæ inde apportavit. In Concilio enim Palentino, quod venerabilis Ricardus Cardinalis Romæ celebravit, Episcopis et Abbatibus et optimis Clericis Hispaniæ circumsedentibus, Romanum privilegium in auribus omnium recitatum est, et justa tenorem ipsius privilegii Bracare metropolis suffraganei Pontifices venerabili Geraldo Bracarensi Metropolitano justitia dictante et Cardinali præcipiente obedientiam et reverentiam promiserunt, et eum per Bracarensem provinciam incedentem tamquam proprium Metropolitanum in propriis sedibus honorifice susceperunt, et ei deinceps reverentiam exhibuerunt.

7. Beatus enim Geraldus, Ecclesia Bracarensi in pristina dignitate reformata, ad tempus Bracarensem provinciam visitabat, Episcopos de sanctitate admonebat, conventus monachorum in sancto ordine monastico attentius informabat, Presbyteros per parochias constitutos de doctrina canonica diligenter instruebat, principes regionum ad pacem tenendam, ad justitiam exercendam vigilantius incitabat, verbum prædicationis plebibus effundere non cessabat. At vero in episcopatu proprio synodos frequentius celebrabat, plebis sibi commissæ vitia, Clericorum offensas, precibus humilitatis obsecrando, et zelo disciplinæ arguendo, viriliter rescindebat. Humiles deligebat, superbis resistebat, egenos et epulis et indumentis assidue confovebat; hominibus in scelere perseverantibus et ad Deum converti nolentibus nunquam consentaneus, immo acerrimus existebat. Totus quippe divino servitio deditus, a bono opere numquam otiosus esse voluit. Dedicationes enim Ecclesiarum, ordinationes Clericorum, multiplices confirmationes populorum jugiter frequentabat, boni pastoris officium adimplere proculdubio satagebat. Media vero nocte ad matutinos semper surgere consueverat. Quibus nimirum recitatis, solus in Ecclesia remanebat, ubi non mediocres lacrymarum fluctus ante sanctum altare prostratus offundebat, incomprehensibiles quoque gemitus de sacratissimo suo pectore profundius anhelando emit-

tebat, nec non etiam supernæ pacis [1] visionem toto mentis effectu desiderans attingere, alta cordis suspiria trahebat; et ita sacris orationibus vacans, flexis genibus et cubitis usque ad solis ortum in oratorio perdurabat. Sane circa curam accipitrum, aut circa venationem canum, sive circa ludos alearum nunquam operam dedit. In die enim divinæ lectioni, nocte vero orationi insistebat. In celebrationibus Missarum frequens semper studium adhibuit. Nam mundus corpore et spiritu ad corpus dominicum consecrandum cum ingenti devotione et cum magna lacrymarum effusione semper accedere consuevit, et tantum sacramentum, negligentia omni remota, spatiose et religiose semper curabat consummare. Certe et turpiloquium et scurrilitas et cetera stultiloquia, quæ ad vanitatem pertinent, ab ejus ore procul extiterunt. Institutionis autem sanctæ et bonitatis, non exemplum nequitiæ, sibi subditis ubique demonstravit. Operum namque merita a prædicatione minime discrepabant. Virtutum autem sanctarum clypeo munitus, recto tramite semper incedere nitebatur, et per devia vitiorum digressionem facere modis omnibus devitabat. Erat quippe ei præcipua humilitas, amplifica misericordia, mansuetudo pacifica, moderata abstinencia, splendida pudicitia, longanimis patientia, caritas in Deum et proximum flagrantissima, et ceteræ virtutes quæ ex his oriuntur semper ei assistebant.

8. Crimina vero quæ in clero aut in populo pullulare videbat, statim resecare festinabat. Verum crimen illud quod incestus nuncupatur, qui in gente sibi commissa jam radices affixerat, summo nisu divellere anhelabat. Unde beatus Geraldus inter ceteros quendam Militem, qui Egeas Pelagii vocabatur, qui quidem in incestu per multos annos permanserat, semel et bis ac tertio, utpote filium, diligenter admonuit, obsecravit, ut tantum scelus demitteret, et pœnitentiam duceret. Miles vero incorrigibilis et duræ cervicis diabolo instigante existens, verba sancti viri attendere noluit; sed sanctæ correctionis contemptor, in proposito nefando persistere præsumpsit. Quocirca sicut putre membrum, quod aliquo medicamento sanari non potest, de corpore amputatur, ita Miles præfixus pœnitentiæ medicamentum suscipere nolens, gladio anathematis de corpore Ecclesiæ abscisus est. Accidit autem eo tempore ut ex præcepto Comitis Henrici, qui tunc Portugalensi terræ dominabatur, omnes proceres Portugalenses, et ille cum eis qui pro incestu excommunicatus fuerat, Vimaranas convenirent. Ad quod nimirum conventiculum, causa necessaria exigente, vir vitæ venerabilis accessit. Dum autem in Ecclesia Vimaranensi vir Dei Missam celebraret, Comite Henrico et uxore ejus venusta Regina scilicet Tharasia præsentibus, et cum eo maxima procerum multitudine assistente, prætaxatum excommunicatum in Ecclesia adesse cum ceteris recognovit, statim se ab officio divino suspendens, in conspectu astantium proclamavit virum incestuosum, divinæ admonitionis contemptorem, a consortio fidelium jam sequestratum, Ecclesiæ uniri vel incorporari non debere. At vero ille diabolico instinctu afflatus, præsumptuose agens, obstinatius cœpit insistere, et de Ecclesia egredi recusavit. Tandem tamen Comite præcipiente, et aliis eum impellentibus, extra Ecclesiam egressus est; ubi continuo a spiritu maligno, populo aspiciente, arreptus est. Deus autem, qui superbis resistit et humiles perfecte diligit, istius superbiam voluit conterere, et ob reverentiam sancti viri hujusmodi miraculum in oculis astantium dignatus est exhibere, ut criminosus ille non periret, et alii tali ultione perterriti tantum scelus committere non auderent. Completo itaque missæ officio dæmoniacus Miles supra memoratus misericordiam et pœnitentiam expostulans ad pedes beati Geraldi prostratus cecidit, se a via veritatis errasse et diabolum magistrum habuisse recognoscens. Quem nimirum sanctæ matri Ecclesiæ homo Dei reconciliavit, et ei pœnitentiam de commissis discrete et sapienter injunxit, et erga eum valde misericorditer egit.

9. Beatus igitur Geraldus, providus et prudens pastor, in agri sui cultura proficere gestiens, imbrem prædicationis plebibus irrigabat, zizaniam de cordibus hominum eradicare satagebat. Dum vero in tali ministerio studium exhiberet, et homines in criminibus detentos ad emendationem revocaret, duos regionum magnates contagio incestus similiter inhærentes, Pelagium scilicet Petri et Adefonsum Petri nominibus nuncupatos, in episcopatu reperit, quos quidem diligenti admonitione de conversione sæpissime hortatus est. Cui cum obedientes et obnoxii pro correctionis beneficio esse deberent, convitia plurima nonnullasque inhonestationes e contrario rependerunt. Venerabilis tamen Geraldus contumelias et opprobria sibi illata sub silentio præteriens, quatinus ipsi resipiscerent, et in facinore non persisterent, eos sæpius flagitavit. At vero illi magis magisque in dies obdurati, non solum sancti viri monita contempserunt, verum etiam aditum terræ suæ beato viro temerarie interdicendo clauserunt, et Clericos vel Abbates sub jure suo commorantes venerabili viro obtemperare vel obsequium impendere prohibuerunt. Ad cumulum etiam iniquitatis suæ alter eorum, Pelagius videlicet Petri, in virum Dei impudenter exarsit, multiplices blasphemias ei irreverenter objecit, falsum monachum, hypocritam, simoniacum eum appellans, et sanctitatem ejus unum gallum affirmans non valere. Vir equidem sanctus patientiæ innixus, in bono malum vincere volens, eos ad emendationem sine intermissione invitabat. Sed quia pertinaces in pravitate disciplinam recipere respuerunt, ab Ecclesia sequestrati, quasi ethnici et publicani reputati sunt. Omnipotens itaque, cujus judicia abyssus multa, qui iniquitates hominum in virga et in verberibus peccata visitat, horum contumaciæ arrogantiam ob beati viri reverentiam penitus voluit confundere. Divina enim dispensatione factum est quia isti iram domini sui, Comitis scilicet Henrici, et uxoris ejus venustæ Reginæ Tharasiæ incurrerunt, et universa quæ possederunt oppida, munitiones, hereditates, cunctasque gazas omnino amiserunt, atque ad tantam inopiam devenerunt quod Pelagius Petri solus pedes cum filio suo parvulo et cum cane suo gallico Maurorum terram laboriose appetierit. Alter vero, scilicet Adefonsus frater ejus, idem refugium denique requisivit. Iste nimirum in Christianos ulcisci cupiens, ingentem Sarracenorum exercitum super eos adduxit; et bellum cum Christianis Sarraceni inierunt. in quo bello interfectus est. cujus corpus vultures et corvi in eremo comederunt. Pelagius autem Maurorum conversatione utens, exul et quasi captivus apud eos obiit. Certe hujusmodi ultiones a Deo fuisse factas pro sancti viri reverentia procul-dubio reputamus.

10. Reverendissimus igitur Geraldus de virtute in virtutem ascendens, animabus hominum alimenta doctrinæ incessanter ministrabat, et quanto eum omnipotens apud homines per miraculorum ostensionem exaltabat, tanto magis se in conspectu divinæ majestatis humiliabat, et nec sibi nec viribus suis sed Deo omnipotenti magnalia quæ fiebant attribuebat. Dum itaque quodam in tempore pro consuetudine ad sedem Bracarensem veniret, et ad flumen quod Cadauum nuncupatur accederet, vadum in flumine non comparuit. Ergo exiguus lembus ad fluvium transeundem quæsitus, repertus est. Clientes vero prius cum supellectile sua lembum ingressi sunt. Flumine autem vento et fluctibus insurgentibus tumescente, lembus cœpit vehementer titubare; et quia uno solo digito ab aqua distabat, infra se non modicos fluctus cœpit admittere. Rector autem lembi periculum sibi imminere cognoscens, in flumen prosiliit, et natando exivit. Pueris siquidem sine remige remanentibus et jam periclitari incipientibus, nec non etiam virum Dei orationis adminiculum una voce deposcentibus, ipse vir Dei in ripa fluminis residens, rivulos lacrymarum fundendo, obnixe Deum deprecatus est ut misericordiam exiberet et clientulos a periculo liberaret. Completa autem aratione, lembus quiete et suaviter usque ad tutum locum pervenit; et ita precibus sancti viri naufragium imminens pueri evaserunt.

11. Sane virtutum insignia, non solum in præsentia sancti viri, Christo pro eo operante clarescebant, sed etiam eo absente multis in orationibus ejus fiduciam habentibus plurimæ virtutes ad eorum petitionem succurrebant. Con-

[1] Patriæ

tigit autem eo tempore ut Archidiaconus quidam nomine Mido cum quodam monacho de introitu cujusdam Ecclesiæ, quam a laica manu acceperat, altercationem haberet. Unde monachus ille valde indignatus, more seculari in eum ulcisci cupiens, insidias ei molitus est. At vero Archidiaconus hujusmodi insidiarum inscius, dum quadam die juxta affinitatem ipsius monachi equitando super mulam parvulam pigre incedentem transiret, duo ex parte monachi insidiatores in equis cursoribus equitantes post Archidiaconum armati veloci cursu tendere cœperunt. Archidiaconus nimirum illos post se cursitare prospiciens, incertus quid agere deberet, beato viro et orationibus ejus se commendavit, et mulam calcaribus urgere cœpit; cui nimirum tanta cursus valitudo continuo Deo volente adfuit quod ipsa currendo veloces hostium equos superavit, quæ quidem nec ante nec deinceps in tanto cursu, quamvis stimulata, unquam potuit comprobari. Absentis igitur venerabilis viri confisus reverentia Archidiaconus ab insidiis hoc modo liberatus est.

12. In eadem etiam regione quædam fuisse matrona nomine Tota perhibetur, quæ generoso sanguine orta, hereditatum copia et infinito censu affluenter abundabat; cujus nempe opulentiæ quidam magnatum Portugalensium valde invidentes, dedecus et detrimentum ejus moliebantur, ut facultates ejus aliquo modo adipisci valerent. Cum quodam igitur egregii Comitis Henrici villico de servili genere orto, Ordonio vocitato, æmuli illi consilium inierunt ut ipse eam raperet et cum ea matrimonium contraheret, quatinus ipsa tali connubio defœdata honoris dignitatem amitteret. Prædictus itaque villicus pro consilio æmulorum matronam rapuit, magnum convivium celebravit, thalamum adaptavit, paratus nefas committere. At vero mulier nobilissima magis mori quam degere cupiens, nimia anxietate oppressa, quid faceret incerta, Deo et beato Geraldo integritatem corporis et animæ commendavit. In crepusculo autem noctis cubicularis suæ indumenta assumpsit, et ipsam pedisequam suis propriis ornamentis indutam in thoro maritali vice sui recubare præcepit. Ipsa vero vili habitu pedisequæ sumpto, in humero suo urnam deferens, et quasi ad fontem haurire aquam tendens, extra palatium egressa est. Deinde Christi et beati Geraldi subsidium obnixe deposcens, communem callem fugiendo devitavit, et in frutice cujusdam silvæ diutius latitavit. Ille quippe qui illicitas nuptias celebrare affectaverat, ad Thalamum accedens, domina non reperta, spe gaudii sui frustratus est. Unde villicus valde ad bilem commotus, circa exitus viarum, per devia montium, per frutices silvarum, plures cum canibus vigiles ad nobilem feminam investigandam undique adhibuit. Sed Deo miserante, et fiducia viri Dei ei succurrente, nulla potuit indagatione matrona reperiri. Tertia siquidem die hujusmodi quæstionis causa sedata, proba femina de silva pedetentim egrediens, per quendam Clericum propter silvam in quadam Ecclesia commorantem venerabili viro et captionem et evasionem suam significavit, supplicans vehementer ut de ea ducenda deinceps sollicitus esset. At vero vir Dei humanitatis et misericordiæ non oblitus, optimis Archidiaconibus ad latibulum delegatis, eam ad sedem Bracarensem salvam et incolumen ducere prudenter molitus est. In præsentia igitur viri Dei matrona persistens, ei immensas gratias egit, et quia in sanctitate ejus confisa periculum evaserat, in auribus omnium enarravit. Deinde beato viro et sedi Bracarensi optimam hereditatem, quæ Nogariola vocitatur, contulit. Insuper etiam alia donaria, quæ altari beatæ Mariæ deserviunt, ei concessit, caritati et orationibus ejus se in perpetuum commendans.

13. Iste etiam villicus, villicationis suæ potentiam supra modum excedens, Ecclesias violare, Clericorum et Ecclesiarum res per violentiam auferre præsumebat. Unde vir Dei valde molestus, eum ad emendationem sæpius advocavit. Ille vero tyrannidem et rapinam ubique exercere non desistens, cum viro Dei colloquium habere contempsit. Beatus autem Geraldus plenus humilitate et mansuetudine, sacrilegum illum a nequitia sua volens revocare, ad castellum quod Lagenosa dicitur, ubi ipse erat, accessit, et per ardua loca incedens, pene usque ad supremam munitionem ascendit, cupiens nequissimum illum Deo reconciliare. At vero ille veteris serpentis veneno imbutus, in arce castelli arroganter residens, non solum ad virum Dei descendere neglexit, sed etiam contumeliosa in sanctum Dei verba proferens, quod male egerat emendare recusavit. Deus autem, qui unicuique secundum opera sua retribuit, patentem in istum ultionem voluit exhibere. Nam inimici ejus in proximo tempore eum aggredientes in loco illo quo sanctus Dei ad locutionem ejus constiterat, et ad quem ille sacrilegus descendere neglexerat, ipsum turpiter interfecerunt.

14. Non solum itaque venerabili viro absente virtutum insignia in ejus invocationem declarabantur, verum etiam eo præsente plura signorum magnalia in conspectu hominum ad ejus petitionem effulgebant. Illo etenim tempore dum vir Dei a sede Auriensi rediret et Bracaram tenderet, in rure quod Rivus calidus nuncupatur hospitatus est. Illi nimirum luce secutura per locum difficilem qui Portella hominis vocitatur transituro, hyemalis tempestas et infinitæ pluviæ inundatio exorta est: quæ quidem toto noctis spatio pluere non cessavit, et die sequenti integra magis augmentata perduravit. De capella vero sua, ne tanta imbrium inundatione madefieret, homo Dei sollicitus, Domino suo profundos gemitus pro hac causa effudit, et Clericis eum comitantibus septem psalmos in orationem pro eodem negotio recitare præcepit. Cumque autem ad hospitium altera die pervenirent, Clerici qui duplici aut triplici indumento tegebantur, nimborum impetu omnia transfundente, usque ad interulas et usque ad femoralia penitus madefacti reperti sunt. Capella vero sola juxta votum viri Dei ab omni prorsus humefactione immunis proculdubio inventa est.

15. Inter cetera vero vir Dei circa Ecclesiarum libertatem præcipue invigilans, quorundam relatu didicit unum regionis magnatem, Suarium scilicet Menendi nuncupatum, quendam in quadam Ecclesia Clericum absque Bracarensis vicarii licentia intrusisse. Quo audito vir Dei principem illum ad satisfactionem invitavit, eumque diligenter edocuit ecclesiastica jura nec laica manu pertractari nec sanctuarium Dei a laicis hereditario jure debere possideri. At vero ille cum reatum suum recognoscere et Prælato suo satisfacere debuisset, ad rixam devenit, et verba veritatis non attendens, cum justo viro causari et secularibus argumentis ratiocinari diutius præsumpsit. Denique ipse tyrannus nimia bile commotus, quasi causæ finem imponere cupiens, sententiam protulit in hunc modum dicens. Uterque ego et vos Domino nostro Jesu Christo et gloriosæ virgini Mariæ preces fundamus quod alter nostrum qui alii in hac causa injuriosus existit, ad finem præsentis anni vivus non pertingat. Quia vero frater, beatus vir inquit, evangelicæ doctrinæ disciplinam non attendis, et canonica sequi jussa contemnis, in providentia et in dispositione illius cujus in oratione tua mentionem fecisti, istud negotium pertractandum et judicandum committimus. His dictis, princeps supra memoratus recessit, et usque ad dimidium annum non pertingens, non in proprio, sed in alieno solo quasi vilis occubuit.

16. Sane præter ista miraculorum dona beatum virum spiritum prophetiæ in quibusdam habuisse cognovimus. Dum enim in cathedra pontificali vir Dei quadam die resideret, et causa necessaria exigente Colimbriensis Episcopus, ejusdem metropolis suffraganeus, venerabilis scilicet Mauricius, Bracaram adveniret, Bracarensis Ecclesiæ Præcentor, domnus videlicet Mido, viri Dei conspectui se præsentans, qualiter prædictum Pontificem suscipi juberet, ab eo requisivit. Cui pater venerandus, Istum, inquit, Episcopum Colimbriensem honorifice et cum venerabili processione suscipere debetis, quia eum in Dominum et Metropolitanum in Ecclesia Bracarensi post decessum meum proculdubio habebitis. Hoc autem quemadmodum a sancto viro prædictum est, in effectu rei constitit evenisse.

17. Omnia igitur virtutum insignia quæ Dominus noster Jesus Christus in vita beati Geraldi pro ejus reverentia et honore manifeste exhibuit, enarrare per singula non valemus, tædium auditoribus generare verentes. Per eum

enim infinita populi multitudo ad Deum conversa est. Nonnulli in sanctitate et orationibus ejus confidentes, a periculis imminentibus liberati sunt. Insuper plurimi prædicationem et doctrinam ejus deridentes, et in eum contumeliose agentes, divina ultione percussi sunt. Clerici quoque castimoniæ et ejus munditiæ vestigia sequentes, virginem castam se Christo exhibuerunt.

18. Beatus itaque Geraldus terminum depositionis suæ jam appropinquare in spiritu prævidens, gentem incultam in montanis demorantem dignum duxit visitare, ut populus ille rudis, qui Pontificis prædicationem nequaquam audire consueverat, sanctificationis doctrinam et sacræ confirmationis inunctionem ab eo susciperet. Cupiebat enim omnes tam nobiles quam ignobiles salvos fieri, et neminem per negligentiam sui volebat perire. Et ideo, licet ægritudinem in suo corpore jam esse sentiret, devoto tamen animo, remota omni desidia, rudes illos edocebat, ad cognitionem veritatis eos convertebat, Ecclesias inter abrupta montium constitutas dedicabat, confirmationes incultæ gentis tota die jejunus celebrabat, circa hujusmodi officium incessanter desudabat, in populo Dei ante obitum suum concupiscens fructificare. Viro autem Dei in grege sibi commisso hoc modo fructificante ægritudo vehementer convalescens corpus ejus cœpit non mediocriter aggravare. Et licet ingenti onere infirmitatis beati viri caro premeretur, supra vires tamen enitens, Ecclesiam in loco qui Bornos dicitur constitutam, ad quam consecrandam ipse et infinitus populus convenerat, celebriter dedicavit, et congregatæ gentis inopinatam multitudinem, quamvis nimium fatigatus, expergiscens, sancti chrismatis inunctione confirmavit.

19. Peracto autem utriusque sanctificationis officio, ægritudinis valetudo cœpit supra modum augmentari; et jam exitus sui diem prope imminere cognoscens, thorum in quo ipse jacebat ad Ecclesiæ ostium præcepit collocari, unde Missam et horas quæ in Ecclesia dicebantur libere posset audire. Videns denique quia jam hora sui transitus instaret, Missam cum reverentia et humili devotione audivit, eucharistiam accepit, crucem argenteam cum crucifixo argenteo sibi jussit præsentari, et illi quem illa effigies representabat cum ingenti cordis compunctione, cum magno gemitu, cum nimio fletu, se de multis accusando, transgressiones ordinis sui, si aliquando contigerint, coram astantibus confessus est. Deinde in cinere et cilicio corpus suum mandavit reponi, et Clericos jussit esse paratos, ut quando exhalaret, cum psalmis et hymnis animam ejus Deo commendarent.

20. Dum vero ista agerentur, quidam Diaconus ejus febre acuta arreptus, gravissime in illa ubi sanctus Dei jacebat mansione ægrotaverat: cujus spiritus quasi in extasi raptus, angelos Dei intuitus est diadema pretiosum inæstimabili gemmarum ornatu decoratum manibus suis deferentes, et in hæc verba eidem Diacono colloquentes. Ista corona quam, frater, intueris, manibus summi artificis est fabricata, et a Domino Jesu Christo ad beati Geraldi animam coronandam nobis ministrantibus huc est destinata. Cujus equidem animam tali diademate coronatam sequenti die cum summo tripudio portantes divinæ majestati præsentabimus, et cum illo cui in vita sua fideliter ministravit per infinita seculorum secula regnabit. Anima vero tua corpori suo ad vitam ducendam relinquetur. Sed ideo hujusmodi visio tibi revelatur ut tanti gaudii testimonium illis quibus patronus extitit sine dubio patefacias.

21. Diacono nempe visionem hujusmodi intuente, Clerici qui ei assistebant transitum ejus præstolantes, eum inconsiderate spiritum exhalare putaverunt, et statim corpus ejus terræ nudæ posuerunt. At vero ipse in cinere positus, quasi expergefactus, oculos aperuit, et eis in hæc verba locutus est. Quod putatis, nondum est factum. His dictis, in stratu suo iterum positus a Clericis circumstantibus, oculos suos avertit, et conversus ad parietem, vidit malignum angelum in conspectu suo astare. Cui, cunctis qui circumstabant audientibus, sic inquit. Insidiator pessime, et seductor maligne, ut quid huc advenisti? Vade, et procul hinc recede, quia in me partem non habebis. Statim ad hæc verba Sathan maledictus evanuit.

22. Postremo vero Diacono revelationem angelorum Dei quam viderat Clericis enarrante, ipsi de tanta visione plurimum gavisi, secundum dicta ipsius Diaconi transmigrationem viri Dei expectabant. Beatus autem Geraldus die ab angelis prædicta discipulos suos in unum convocavit, eis benedictionem adtribuit, Missam audivit, rursus communicavit, et sic migravit ad Christum. cujus spiritus cum beatis confessoribus in cœlestibus regnat.

23. Tanto igitur patrono orbati Clerici, monachi, sanctimoniales, necnon laici senes, juvenes, virgines, pueri, et matronæ omnes æquanimiter ad exequias ejus confluentes, planctum magnum super eum fecerunt, orbitatis suæ desolationem lacrymando deplangentes. Discipuli vero ejus ad sedem Bracarensem corpus sanctum efferre cupientes, feretrum quo digne et convenienter posset deferri composuerunt. Et quia maxima tam montium quam vallium inæqualitas difficultatem itineris ad corpus deferendum faciebat, quædam nobilis matrona Osenda nuncupata magnum suffragium hominum eis ministrans, usque ad flumen quod dicitur Tamica cum sanctissimo corpore pervenit. Flumine quippe extra alveum decurrente, magna in eis orta est sollicitudo quomodo feretrum cum glorioso corpore ultra flumen transducere possent. Erat ibi quidam molendinus cujus de causa sepes quædam de sudibus et lapidibus composita per medium fluminis extendebatur, per quam scilicet unus homo solus et pedes vix secure poterat transmeare. Qua videlicet reperta, matrona præfixa in auribus omnium proclamavit hoc modo dicens. Carissimi fratres, omnes communi orationis consensu Dominum nostrum Jesum Christum deprecemur quod si patronus noster, venerabilis scilicet Geraldus, sanctus Dei est, ut credimus, per istud sepis articulum meatus hodie sine læsione pervius nobis et feretro pateat. Oratione peracta, homines qui sanctum corpus deferebant, sine aliqua offensione illud artum iter transierunt. Aliud etiam mirabile quod eis in ripa fluminis persistentibus accidit non silentio præterire judicavimus. In exiguo namque liburno duo pueri fluvium illum transmeabant, sed gurgite ipsius fluvii tumescente et liburnum subvertente, pueri in flumen ceciderunt, qui cum impetu fluvii euntes procul inde profluxerunt. Hoc audito, omnes quicunque adfuerunt beati Geraldi pietatem deprecantes, incolumitatem puerorum summa devotione deposcebant. At vero sancti confessoris misericordia statim suffragante adoluscentuli sani et incolumes periculum evaserunt. Inde vero procedentes, ad sedem metropolitanam cum thesauro pretiosissimo pervenerunt, ubi planctus non minimus a clero et a confluente populo iterum renovatus est. Sepulcrum autem idoneum ad corpus sanctum sepeliendum in urbe Bracarensi reperiri non potuit. Unde Bracarensibus opportunum visum est ut ipsi sepulcrum marmoreum, quod alio in tempore de colina Tibianis translatum fuerat, requirere deberent. Tempore enim præterito mortuo quodam magnate Portugalensi, Tibianenses monumentum in quo sepeliretur præ manibus non habentes, in colina ubi cemiterium Regum antiquitus fuerat fodientes, illud ad monasterium attulerunt; in quo videlicet magnas prædictus sepultus est. Sed quia in somnis in illo sepulcro ardere videbatur, de eodem ejectus, in alio humatus est, et ita usque ad obitum beati Geraldi sepulchrum illud vacuum permanserat. ad quod nimirum tunc temporis transferendum plurima juga boum plurimum desudarunt, et plura plaustra fracta fuerunt. Ad illud vero modo reducendum unum solum jugum et plaustrum minus validum proculdubio suffecerunt. Certe translatio sepulcri de Bracara ad Tibianas tunc difficilis et laboriosa fuisse perhibetur, quia ad virum criminosum et peccatorem sepeliendum deferebatur. Reportatio vero ipsius de Tibianis ad Bracaram sine aliqua vexatione levis et suavis profecto extitit, quia ad virum sanctum et justum inhumandum reducebatur. In quo scilicet monumento insignibus pontificalibus egregie indutus, positus est in Ecclesia beati Nicolai, quam ipse construxit, et quam festive et celebriter dedicavit, requiescit.

24. Ad cujus equidem sepulturam quidam Clericus, cujus nomen Sesgudus, dinoscitur venisse, qui quendam

morbum quem medici fistulam vocant in crure suo multo tempore passus fuerat, et diversis herbarum medicaminibus adhibitis sanari non valebat. Morbus enim in crure jam plura fecerat foramina, et humores superflui ex eis jugiter emanabant, et homo assidua morbi comestione afflictus dolorem intolerabilem patiebatur. Ui de suffragium beati Geraldi obnixe deposcens, medelam salutis ab eo devotius requirebat. Æger denique misericordia a sancto viro impetrata post temporis exiguum sanus factus est.

25. In territorio Bracarensi erat quædam nobilis matrona quæ habebat filium qui a dæmonio vexabatur, quæ quidem ad sepulcrum ejus cum humili devotione accedens, beati viri misericordiam pro filio suo attentius exoravit, ibi diutius lacrymata est, filium glorioso confessori repræsentans. Beatissimus vero confessor pro consuetudine sinum pietate apperiens, puerum sanitati restituit.

26. In Pannoniis autem quidam Clericus demorabatur, qui difficillimam ægritudinem, quam medici cephaleam vocant, in capite suo patiebatur. Qua nimirum ægritudine anno integro molestatus, nullo medicamine remedium inde habere valebat. Tandem ad beati confessoris sepulcrum confugium faciens, ibi tota nocte psalmos cum lacrymis et cum precibus recitavit. Media vero nocte, dum ipse orationi insisteret, medelam salutis ei sanctus Geraldus attribuit. Deinde Clericus Dei nostri et beati Geraldi laudem ubique glorificans, ad locum suum sanus et incolumis reversus est.

27. In urbe etiam Bracarensi quædam dicitur mulier habitasse cujus filius parvulus dum pisces quadam die comederet, arista piscis gutturi ejus adhæsit, et ita puerulus intolerabili dolore fatigatus nullo potuit medicinæ remedio mitigari. Mater vero ejus causam doloris ignorans, tempora fletus agebat. Quapropter ad sepulturam sancti Geraldi miserabilis et gemebunda parvulum in ulnis deferens cucurrit; et plorans ibi tota nocte, tanto dolori remedium fieri postulabat. Ad lacrymas miserabilis genitricis sanctus Geraldus respiciens, quod puerulo in gutture adhæserat dimovit, et dolorem penitus mitigavit. Nocte vero sequenti genitrici pueruli in visione vir sanctus et gloriosus apparuit hoc modo dicens. Passio quæ filium tuum molestabat, te ignorante intolerabilis erat. Spina enim piscis guttur illius inhærendo occupaverat, quam quidem carnibus infixam virtute Domini nostri Jesu Christi opitulante divulsi. Mulier expergefacta, gloriam omnipotentis magnificans, sancti Geraldi magnalia ubique celebravit.

28. In eadem quoque civitate erat quædam muliercula domum hospitalem inhabitans, quæ inopinata ægritudine superveniente omnibus membris contracta facta est. cujus etiam corpus tanta lepræ valitudo occupavit quod carnes de corpore ejus frustatim cadebant. Ipsa vero ad beati Geraldi sepulcrum quodam vehiculo translata, vigilias et obsecrationes infinitas ibi diutius est executa. Ad ultimum sanctus Geraldus mulierculæ suspiria et compunctiones attendens, membrorum contractione distenta, ei gressum restituit, et eam lepra penitus emundavit. Quæ vero ad beatum confessorem pedibus alienis misericordiam requirere venerat, virtutis miraculum repræsentans, propriis vestigiis ad domicilium suum proculdubio est reversa.

29. In villa autem quæ Concieria nominatur, quidam perhibetur homo fuisse cui in oculo apostema validum inolevit. Cum tanto enim tumore impetus apostematis jam ei insurrexerat quod oculus de capite pene egredi videbatur. Valde in arta dolore positus, sancti Geraldi adminiculum sine intermissione deposcebat. Cui beatus confessor solita pietate sanitatis medelam exhibuit. In pristina demum salute restitutus, ad locum gloriosi confessoris cum magna devotione accedens, quæ facultas suppeditavit sepulcro ejus obtulit, et immensas gratias agens, Dominum nostrum Jesum Christum et sanctum Geraldum, qui misericordiam ei exhibuerat, propensius glorificavit.

30. Inter duo vero flumina, scilicet inter Hominem et Cadavum, quædam mulier morabatur quæ per quatuor annos infirmitatem quam medici asma vocitant sustinuerat; quam nimirum asmatis effocatio jam ad tantum malum perduxerat quod anhelandi officium vix implere valebat. Nullo igitur medicaminis suffragio remedium adipiscens, ad beatum confessorem accessit, tantæ passioni mitigationem fieri nocte dieque expostulans. cujus quippe virtus eam in oratione assidua constitutam dignata est visitare. Namque ipsa prorsus ab ægritudine liberata et sanitati reddita beato Geraldo et se et virum suum et filios suos deinceps obsecuturos contradidit.

31. In Episcopatu quoque Bracarensi quædam dicitur femina fuisse quæ per unius anni spatium languerat, ab officio membrorum suorum destituta: quæ quidem in præsentia corporis sancti constituta, lacrymas innumeras effundendo, clementiam sancti Geraldi assidue deprecata est. cujus lacrymæ non frustra sunt proculdubio effusæ. Nam incolumitate corporis sui consecuta, hilaris et gaudens ad proprium locum est reversa.

32. Quædam etiam puella maniaca ad sepulcrum ejusdem confessoris perducta fuisse memoratur, quæ anno integro per devia montium furibunda vagando incesserat. cui beatus Geraldus visibile exhibuit miraculum. Namque furore prætermisso, ipsa sancti Geraldi suffragio ad sanam redire mentem concessa est.

33. Clericus autem quidam Bracarensis, cujus nomen Honoricus, dum Hierosolyma navigio rediret, tempestas valida in mari exorta est. unde navigantes naufragium incurrere ilico metuerunt. Quapropter ipse Clericus valde pavefactus patronum suum, beatum scilicet Geraldum, attentius deposcere cœpit. cujus quidem sanctitatem circumsedentibus enarravit, eos ad eum in tanto periculo invocandum sic inflammando exhortans. Omnes itaque, jam maris naufragio incumbente, beati Geraldi opitulationem unanimiter petierunt. quorum quidem petitio a Deo exaudita est. Nam pro beati Geraldi reverentia magna repente tranquillitas eis a Christo facta est. Ad portum namque salutis sine detrimento pervenerunt.

34. Sane quidam monachus, Pelagius nuncupatus, qui beato Geraldo viventi sedulus comes extitit, dum quadam die de actione obedientiali rediret, ad flumen Cadavum accessit, sed transmeare nequivit. In altera nimirum partæ ripæ, nullo homine existente, lembus exiguus consistebat. Pelagius vero monachus undique circumspiciens, et quærens qui sibi ministraret et lembum adduceret, nullum transeundi consilium potuit reperire. Quia vero festivæ diei, qui in sede metropolitana erat celebrandus, interesse satagebat, animum ejus angustia transeundi vehementius momordit. Ad ultimum valde gemens, et suspirans, domini sui, beati videlicet Geraldi, consuetæ misericordiæ consolationem, ne solemnitatis officio careret, medullitus postulavit. Ad hæc verba, quod est mirabile dictu, lembus per se solus sine aliquo ductore a ripa dilapsus medium fluminis alveum sulcando usque ad Pelagium monachum in altera ripa existentem proculdubio pervenit. Nec mirum; quia qui dæmoniacos curabat et ægros sanabat, ad lignum per aquam transducendum profecto compos potuit esse. Pelagius itaque monachus cum tanto virtutis miraculo flumen transmeavit, et quid et qualiter sibi contigerat sodalibus Bracarensibus enarravit.

35. Quidam autem homo morabatur in villa quæ Siccaria nuncupatur, qui habebat filium ab aurium, oculorum, manuum, et pedum officio distitutum. Hic nimirum ad pedes beati confessoris præsentatus, immobilis quasi truncus ibi permansit, assuetæ clementiæ præstolans auxilium. Nec mora, libertas membris reddita est; et membrorum usus officio, virtutis manifestæ testimonium ostendens, ad propria absque vehiculo reversus est.

36. Ego vero Bernaldus natione Gallicus ad partes Bracarensium a Beato Geraldo ductus, et ab eodem ad archidiaconatus apicem in Ecclesia Bracarensi promotus, quod mihi mire accidit in commune volo deducere. Artificio namque medicaminis humorum superfluitates opportunitate temporis exigente detrahere consueveram; sed obsequio egregiæ Reginæ Tharasiæ, cui ad tempus serviebam, occupatus usum medicinæ pro consuetudine implere nequivi. Unde humores extra cursum naturæ defluentes, in gutture modo apostematis collectionem adunarunt. Quod nimirum apostema usque adeo crevit quod mihi anhelitus pene interclusus est. Esca enim et potus præ nimia angustia per hisophagum transglutiri nequibant. Tanta suf-

focatione coartatus loquelam amiseram. Multis et diversis medicaminibus adhibitis tantum apostematis malum dimovere tentavi. Duritia tandem tantæ collectionis invalescente, me colla neci dare penitus existimavi. Pecuniarum facultates Clericis, monachis, pauperibus distribui, jam de vita corporali desperatus. Ad ultimum vero patrocinii quod sanctus Geraldus oppressis et infirmis facere consueverat reminiscens, ad sepulcrum ejus, quamvis corpore debilitatus, cucurri, et diutius ibi lacrymatus sum. Inter quas lacrymas verba in hunc modum protuli dicens. O beate et sanctissime confessor Geralde, ad memoriam quæso reducas quia ad hujus regionis climata me quondam perduxisti, et me in Clericum sublimasti, atque Ecclesiæ Bracarensi me mancipare præcepisti. Pro tua igitur jussione Ecclesiæ Bracarensis qualiscunque coadjutor procurationem ejus pro scire et pro viribus meis utcumque sustentavi. Locum tuæ sepulturæ relinquere non præsumpsi, opitulationis tuæ confidentiæ vehementer innixus. Nunc autem gravissima ægritudine molestatus, quasi exul et advena in alieno cespite mori compellor. Tuam igitur clementiam suppliciter deposco quatinus apud Dominum tuum Jesum Christum, cui fidele et legitimum exhibuisti seruitium, medelam salutis mihi impetres, ut restituta sanitate deinceps dignam sine labe vitam valeam ducere, ipso eodem juvante sine cujus gratia nemo veram salutem adipiscitur. Sæpe hanc orationem replicando, in Ecclesia beati Nicolai ante sepulcrum ejus vigilias tota nocte perduxi. Mane autem facto domum repetens, ad stratum meum reversus sum, beati confessoris virtute me comitantes. Nam tussicula me repente invasit, et ex inspe-rato gutturis apostema crepuit, et ita Dei omnipotentis, et beati Geraldi gratia imminens mortis periculum evasi.

37. Copia ergo signorum quæ a beato confessore facta sunt me minus sufficientem ad proferendum per singula reddidit, cum etiam præ multitudine scire, necdum illa scribere, nequiverim. Cuicunque enim in Bracarensi episcopio demoranti ægritudinis molestia in corpore imminet, si ad sepulcrum ejus properat, statim doloris remedium proculdubio sentit. Alii vero longe distantes, et pro magno objectu terrarum gloriosi corpori præsentiam adire non valentes, si aliqua corporis passione fuerint molestati, pro sola sancti Geraldi invocatione sanitatis medelam consequuntur. Plures etiam in mari navigantes, si quando eis tempestas oriatur, sanctitatis ejus nomen unanimiter invocantes, tranquillitatem securi sine mora suscipiunt. In Ecclesia autem beati Nicolai, in qua sanctissimum corpus ejus requiescit, plurimæ cereæ effigies ante sepulcrum ejus dependentes, quas scilicet qui infirmantur illuc transmittant, argumentum tanti patroni sanctitatis visibile profecto ostendunt. Quicunque enim capitis aut ceterorum membrorum molestiam patitur, ad instar membri dolentis imaginem de cera compositam illud dirigit, et statim sanitatem sine dilatione consequitur. Omnes itaque qui diversorum criminum vulneribus sauciati jacemus, huius beati confessoris propitiationem medullitus deposcamus, quatinus ipso mediante et intercedente perfectam nancisci salutem valeamus a Domino nostro Jesu Christo, qui cum patre et spiritu sancto vivit et regnat per omnia secula seculorum.

VITA S. MARTINI SAURIENSIS.

Antiquorum regestorum in Sanctae Crucis monasterii Conimbricensis tabulario servatorum celeberrimum est illud, cui nomen Liber Sanctus *inditum fuit; vel simul:* Magister Petrus Alfardus, *ex monachis in hoc coenobio primitus congregatis unius a nomine, qui S. Theotonii, praesulis sui, iussu hoc traditur compilasse polyptycum seu* chartularium, *de quo alio loco ampliorem notitiam lector inveniet. Ibi, a folii* 46 *altera pagina, eiusdem aetatis litteris descripta, S. Martini Sauriensis legitur vita. Antiqui verum alius codicis ex S. Crucis tabulario, qui eandem vitam referret nullum vestigium aut memoria restat. Hoc* agiologium *Resendius laudans, in illo MS. se illud invenisse admonet *; nec aliunde, nisi ex hoc ipso, Brandanus hanc descripsit vitam **. Nullum revera, praeter hoc, quod nobis prae manibus est, exemplar* Libri Sancti *in Chronicis manuscriptis Sanctae Crucis D. Josephus a Christo recenset ***.*

*Hanc S. Martini vitam Bollandiani **** ex apographo in ipso Sanctae Crucis tabulario descripto, et a Tamaio de Vargas ex urbe Matritensi ad ipsos misso, descripserunt, et ediderunt. Hoc apographum aut ex* Libro Sancto, *aut ex aliquo recentiori apographo fuisse descriptum, satis constat: lectiones itaque varias ibi inventas, quae proculdubio vel ex incuria in describendo, vel ex temeritate in corrigendo irrepserunt, nihili facere decet, dum codicis huius* Libri Sancti, *primitivum, intactumque textum haurire, et vulgare nobis in animo est.*

* De Antiquitatibus L. 1. f. 50.
** Monarch. Lusit. T. 3. Append. Script. 19.
*** Codex 99 Biblioth. Publ. Port. Catalog. Auctor.
**** Acta Sanct. XXXI. Januarii.

Domino suo menendo gratia dei sauriensium presbitero, saluatus de suis unus sed in eis paruus.

1. Exigitis a me pie pater, ut karissimi fratris uestri, domini mei Martini sauriensium innocentis presbiteri uitam moresque uobis aliquibus litterulis edisseram. Cuius petitionis affectui teste conscientia obsequia non negarem, ut et status uestre mentis, id quenque relegendo, tanti doloris remedium consolabiliter susciperet, et in posterum quoque ipsius bene gesta in obs oblivio non deleret; ni tanti uiri materia mee paruitatis ingenio comprobaretur indebita. Preterea dum sub disciplina illius olim tenerer, ego ipse utpote rudis, et magis lasciuie quam doctrine deditus, de eius actibus probitatisque moribus, ut puerulus paucorum reminiscor. Ac ne forsan excusationis causa mihi uidear conferre arrogantiam, licet agresti calamo, diuiné pietatis tamen opitulante clementia, iniuncti operis negotium temptando paulatim aggrediar. igitur nostre narrationis assertio ab opido sauriensium ubi dominus meus martinus religiose uixerit summat exordium. Et ubi situm sit quibusue finibus coartetur, uel quid inde nostrorum maiorum cana sentiat senectus, cuius etiam uel quo tempore hispanorum regis aminiculo cum ceteris portugalensium municipiis libertate sit potitum, iterumque ob infidelium hismaelitarum incursum ab incolis igne perustum, et post rehedificationis dono concretum, prout possumus euoluamus: vt istis sicuti gesta sunt enucleatis ad prefati uiri materiam prout dominus dederit calamum conuertamus.

2. Est ergo circa decursum anci cuiusdam aluei amene porrectum, frondosis undique adumbratum nemoribus, fertilibus piscium circumseptum gurgitibus, Gramineis pulcre ditatum conuallibus. Longis equidem perfunctum noualibus, vineis consitum circumquaque feracibus. Quid moror? Partibus cunctis obtatum cultoribus. Ab urbe uero colinbrianorum XVIII°, austrum uersus, distat milario. Ad orientem sunt tapiei montis saxosa cacumina. A septemtrionali regione vetustissime ciuitatis condisie, nec non et ariei portus latissima panduntur confinia. Ab africa uero parte columbarii castri patescunt campestria. In hac quoque parte planicies eius profusius extenduntur, sed ob ismahelitarum excubias inculte ab incolis relincuntur. Versus occidentem subest oceanus. Hic itaque ab antiqua rerum congerie arcis uetustissime panditur hedificium, in qua priscorum monimenta ferunt claustralium fuisse cenobium. Ad hanc igitur arcem et locum amenissimum, complurimis hominum turbis ad iure uiuendum concurrentibus, preurgente labore construxerunt opidum quod nomine suo nuncupati sunt saurium. Cum autem diuina gratia aminiculante longo tempore post urbis colimbrien. restauratio ab infidelissimis ismaelitarum gentibus per fernandum strenuissimum hispanorum regem mirabiliter enituit, prefatum quoque saurii castrum cum aliis municipiis sibi confinio telluris sociatis, libertatem accepit. Verum enimuero post longa annorum curricula, sub adefonsi regis imperio, per prefectum suum aluazil sesnandum abenaamir, qui tunc temporis Colimbriensem urbem montismaiorensiumque municipium suo sollerti pectore procurabat, rehedificationem habere cepit. Mortuo uero eodem rege supra memorato adefonso, nefandissima maurorum rabies aduersus christicolarum fidem iterum cepit aspirare. Iben fatima namque rex maurorum nefandissimus, ingenti agarenorum multitudine circunfusus, colimbrianorum fines crudeliter diripuit. Factaque belli congressione apud municipium quod dicitur miranda, complures portugalenses nobiles sceleratissimus ipse necando deuicit. Nichilominus quoque plaustri, municipio sancte eulalie natura munitissimo, ab eodem rege ad solum usque interfectis hominibus redacto ad propria rediens in opidum sauriensium frustra uenisse cognouimus. Nam saurienses ferocem eius aduentum pauentes, de pretaxati opidi hedifitio sibi diffidentes, ingenti preculsi timore, eidem inposito igne castello, in urbem colimbriam profugose redierunt. Per septem igitur annorum curricula ferarum cubilia depopulatum existens, per nobilissime denuo regine tarasie consensum, a prefate urbis restauratione anno C.°LX.°I.° in habitationem hominum renouari conualuit. Regina namque ibidem causa morandi confluentibus bonum, et ut ita dicam, largissimum populandi forum spontanea uoluntate concessit, atque cartam inde firmitudinis manu propria roborauit. Quam sauriensis ecclesia pro maximo munere usque in perpetuum hereditario iure reseruat.

3. Murorum igitur destructionem resarcire incipientes, eiusdem opidi cultores, ad reuerentissimum gundisaluum colimbrie uenerabilis uite episcopum uenerunt, paternitatem ipsius precibus exorantes ut in eis consilii et pietatis habundare. Atque eis presbiterum qui eis diuini uerbi pabulo foueret, et in sacrosancti fontis una liniret, dare non differret. Reuerentissimus igitur Gundisaluus, prout tante religionis presul paterno affetu saurienses benignissime alloquens, eorumque petitionibus nichilominus consulens, in regenda sauriensium ecclesia quendam boni testimonii presbiterum nomine martinum ordinauit. De quo nobis amodo sermo tractandus occurrit.

4. Fvit itaque progenitus in uico qui dicitur auranca qui ut fertur ab urbe colimbriensium XX.VI.° distat miliario. Pater eius arias manuelis, mater uero argio uocabatur. Qui quamuis de humili germine, erant tamen simplices et recti. Et quod rerum exitus probauit deum precipue timentes. Nam post felicem matris ab hac luce discessum, pater usque ad sue uite terminum heremiticam uitam peregit. Qui superstites, id est, dum in hoc mundo uixerunt, hunc pre ceteris filium martinum uidelicet nimio affectu nutrientes a primeuo infancie sue tempore, eum litterarum rudimenta docuerunt. Atque diebus omnibus eum domino seruiendum promiserunt.

5. Accidit autem quodam tempore ut prefate urbis uenerabilis uite antistes, mauricius nomine, de finibus braccare metropolitane urbis adueniens, per supra memoratum uicum contigit habere transitum. Quem parentes ipsius, de quo nobis est sermo, martini, hospitio ouanter suscipientes, et ut eis possibilitas affuit, ilare absequium affectuosissime ministrarunt. Dicentes sese in litteralibus studiis clericulum filium habere, quem tanti presulis arbitrio obtemperare desiderabant. Quorum episcopus deuotionem agnoscens in sui episcopatus sedem puerum defferri precepit. Deinde prosequente diuine spiritu pietatis, canonicorum consensu, atque bone memorie doctissimi martini eiusdem sedis prioris assensu, in numero canonico puerulum martinum prefatus mauricius canonicauit. Qui in iuuenilibus adhuc positus annis mire simplicitatis existens, gramatice professioni operam sollicitius impendit. Neque enim erat obstrepens doctrine. Hinc cum per sacri ordinis gradus christo duce ad presbiterium uenit, bona opera atque uirtutes exercendo, ueterem hominem cum actibus suis a se omnino remouit. Sic quippe per omnia omnibus hominibus in bono placere studebat, quatinus omnes de societate illius plurimum gaudebant atque deum patrem, qui in celis est, glorificabant. Non enim erat inuidus aut elatus, non murmurans, non uerbosus, aut uana uerba uel fabulas diligens. Non seruus gule. Tanta enim in eo ciborum uigebat parsimonia, ut semper proprie porcionis panem pupillis distribueret atque egenis. Non erat negligens, aut piger, non oculis uagus aut in incessu leuis; sed per omnia grauis maturus et bonus. Qui presbiter, ut diximus, ordinatus uisitationis assidue medicamine egrotantium curas lenire solebat. In diuinis quoque officiis plurimum erat assiduus. Et quod non parui muneris creditur, in omnibus suis motibus signum humilitatis habebat. Sed qualiter ad sauriensium regendam accesserit ecclesiam ueniamus.

6. Talibus ut diximus ornatus moribus telonis archidiaconi omniumque canonicorum rogatu, domno gundisaluo fauente episcopo, sauriensis ecclesie curam suscepit. At cum propter agarenorum insidias, qui tunc uiarum comeatus

clam nec non et puplice incursabant, graue captiuitatis pondus cum acerbe mortis casibus hominibus inferentes, uir dei domnus Martinus per abruta collium deuius ire cogeretur, propriis humeris sui sumptus necessaria defferens, asperitatem loci propter insolentiam admirans, tanti laboris honus fastidiens, in urbem colimbriam unde illuc aduenerat, regressus est; Timens ne propter aliquorum baccantium stultitiam, nisi de pretaxata ecclesia, aliquo munitus esset priuilegio, inde postea elusus ipse uel sua progenies eiceretur. Quocirca domnus gundisaluus prefate diocesis episcopus, et domnus prior eiusdem sedis martinus, telo quoque archidiaconus, omniumque canonicorum conuentus, per supra memorate regine tarasie regis adefonsi filie consensum, que tunc portugalensi preerat imperio, sibi, uidelicet Martino presbitero, et sue progeniei, de sauriensi ecclesia cartam firmitudinis hereditario iure in hunc modum fecerunt.

7. In nomine domini. Cum illud castrum, quod appellatur saurium, ob frequentem guerram sarracenorum raro incoleretur habitatore, placuit diuine uoluntati, per eximiam reginam tarasiam preficientem eidem castello gunsaluo gunsaluiz, pro principe manu teneri cum dei adiutorio ac defensari. Quod ubi ego gunsaluus episcopus colimbriensis compertum habui, utilitati nostre sedis prouidens, sollicitus fui canonicos nostros martinum presbiterum arias, fratremque suum menendum ad ecclesiam, que ibi iacebat destructa, rehedificandam atque obtinendam dirigire. Sed quamuis multum resisterent propter pauorem maurorum illo ire, tamen gratia nostri permoti flexerunt animum suum, que imperabantur facere, si ex testamento scripturam firmitudinis de illa supradicta ecclesia factam a nobis sibi reciperent. Quibus nos propter utilitatem sedis sancte Marie acquiescentes, placuit mihi gunsaluo episcopo, et Martino eiusdem sedis priori, una cum assensu canonicorum, per auctoritatem domine nostre regine tarasie cartam donationis et firmitudinis facere, tibi uidelicet predicto martino, fratrique tuo menendo de supra nominata ecclesia, tali uidelicet pacto, ut firmiter illam obtineatis et secundum uires uestras reficiatis, et in unoquoque anno ius, quod inde ad sedem pertinet, fideliter reddatis. Et ab hac die in tempore, tam uos quam quisquis ex propinquitate uestra professione clericus fuerit, per successiones tempororum firma stabilitate obtineatis: et nunquam eam sine uestra culpa, secundum decreta canonum, pro alio aliquo homine perdatis. Supraponimus etiam quod si peccatis exigentibus iterum ab incursione maurorum destructa fuerit, et postea uos potueritis illam recuperare, licentiam habeatis semper possidendi eam quocumque tempore ualueritis. Siqua igitur persona hoc nostrum factum temerario ausu disturbare temptauerit, non sit ei licitum per ullam assertionem, sed quisquis fuerit, qui illam ecclesiam uobis auferre presupserit sit a deo omnipotente excommunicatus, et sacratissimo corpore domini jesu christi alienatus, et cum iuda in inferno, nisi resipuerit, collocatus. Et hec carta plenam stabilitatem semper obtineat, Que facta est VI.° idus octobris Era M.ªC.ªLX.ªI.ª Ego Gunsaluus episcopus confirmo. Martinus prior confirmo. Tellus archidiaconus confirmo. Laurentius archidiaconus confirmo. Ego Tarasia regina confirmo. Gundisaluus gundisaluiz testis. Anaia uestrariz testis. Domnus artaldus testis. Menendus nuniz testis. Martinus presbiter confirmo. Johannes presbiter michael confirmo. Johannes de anaia confirmo. Nicholaus subdiaconus confirmo. Petrus presbiter Notuit.

8. Post stipulati itaque testamenti confirmationem uir uenerabilis martinus sauriensium docturus uenit ecclesiam, Nec eo terreni emolumenti lucro uenit deductus, quam ut animarum mederet langoribus, ubi preter necessariorum inopiam nonnullos corporis labores perpessus est. Erat namque ipsa suffocata ecclesia, sicuti manibus paganorum pridem fuerat obruta. Hanc igitur interius exteriusque purgauit, et ad diuinum officium, ut res poscebat, primitus resarciuit: Sed postquam rei familiaris copia domi concreuit, cum menendo ariei fratre eius, qui post discessum ipsius, uidelicet martini, ibidem est presbiter subrogatus, prefatam ecclesiam post tempore et loco conuenientius fabricauit, Altaria inferius ordinauit, Libris quoque et sacerdotalibus indumentis eam pulcrius adornauit, Fabricam totius domus nichilominus consumauit. Praeterea, uineta, olioueta, pomaria, et alia plurima arborum genera suis manibus complantauit, Terras quoque et nouales excolendo prerupit. Sed iam ad eius laudabiliora uite contemplatiue negotia stilum, licet parumper, eleuare delectat, et qualiter sui gregis et aliarum plebium curam habuerit, de multis pauca libare.

9. Plebem igitur sibi comissam catholice fidei regula sepissime instruebat: Quippe omnes de pio religionis opere commonens, nunc alios de confessione sancte trinitatis conformans, nunc reliquos de promissione regni celestis inuitans, ceteris futuri examen iudicii minando proponens, non cessabat uerba ueritatis fructu fidei redundancia in plebe seminare. O uirum nimie curiositatis circa omnes, ne in uicium laberentur, ac si eos omnes parturiret. Si aliquando ab his, quos pro zelo rectitudinis arguens, in contumelias uerborum deducebatur, quanto amplius ipsi efferebantur, tanto magis eorum ipse miserebatur insaniam; ita uidelicet ut ad eorum furorem sepissime lenitatis fomenta preberet, donec sua mansuetudine iras mitigantium demulceret. Si uero aliquis affinium ciuitatum uel locorum, feminam aliquam, filiamue alicuius, ui eam opprimens ad id loci quo ipse morabatur deducebat, ut in huiusmodi assolet extrematuris, uir dei ilico eis obuiabat, cognitoque examinationis negotio, uel eos fedcre legitimo, si ius poscebat coniungebat, uel nisi iuxta canonum decreta suo obtemperarent imperio, eos inde proculdubio expellebat. Et si aliquis de numero clericorum talia illicitis modis sacrilegus facere presumpsisset, hunc uelut hostem catholice fidei procul inde reiciebat. Nec petulantium iuuenum lasciuiam, seu baccantium hominum stultitiam sustinebat: quos omnes ad eterni regis solium uenire cupiebat. Et quia, ut ait beatus gregorius, ecclesiasticus doctor non tam doctrina debet clarere, quam uita, ipse non solo sermone ad etherei regni amenitatem populum conuocabat, uerum omnibus bene operandi sese preferebat exemplum: Omnia namque, que de operibus misericordie cunctos edocebat, hec et plura prestantissime peragebat, Non immemor apostoli pauli sic dicentis: Castigo corpus meum, et in seruitute redigo, ne forte cum aliis predicauero ipse reprobus efficiar. Qui dum in arce uirtutis celsius existeret, hospitalitatem precipue alacri mente omnibus hominibus exibebat, quibus ea, que diuina sibi dispensatio largiretur, cum gratiarum actione et uultu ilari ministrabat. Sic enim apostolus precipit: Hilarem datorem diligit deus. Et tanto caritatis flagrabat ardore, ut non solum aduenticios hospites et peregrinos dictis quibuslibet inuitaret, immo quandoque etiam resistentes trahens, eos secum in domum ire compellebat. Hos frequentius quam diuites et potentes ad mensam conuocabat: nec tamen aulicos mensa eius minus capiebat, que multotiens regium agmen cum suo principe acuratissime suscipiebat. Hec et plura misericordie opera peragens, incredibile est memoratu, quantum laudis humane fauorem uelut pestem fugiebat; Nec laude extollebatur, nec uituperatione frangebatur, Non diuitiis tumebat nec paupertate contrahebatur: et sic miles christi gradiendo, leta contemnebat et tristia. Cum totius domus paterfamilias existeret, de suis substanciis nichil repositum in aliquo habere cupiebat, Verbi gratia, nec aurum nec argentum in archa uel in marsupio reconditum possidebat, et omnino quid de talibus fieret in propria domo ignorabat; Quibus taliter uti maximum crimen putabat. Mira res: cum dominus domus, ut dictum est, diceretur, quociens sub sue clamidis tegumento panem egenis atque pauperibus defferebat, quibus descendendo ueram exibebat humanitatem, et eorum miserias compacienter tolerabat. Sic omnia sua bona in commune habebat, quatinus uniuersis utilius quam sibi proficerent. Quis unquam in conciliis eum ociose sedere conspexit? Si tamen eo quandoque ueniebat, aut tumorem baccantis populi lenire satagebat, aut de exemplis sanctorum patrum sedatis iurgiorum tumultuationibus eos plenius edocebat. Nunquam ociositas, que inimica est anime, eum domi torpentem inuenit, quin potius in assiduis agrorum laboribus sua sponte urgeretur, si quando mens ab oratione, et a diuinorum officiorum celebratione cessa-

bat; De quibus laboribus uberes fructus colligens, omnipotenti deo bonorum omnium largitori gratias referebat, Et cum summa animi diligentia hunc dauiticum commemorabat uersum: Labores manuum tuarum manducabis: beatus es et bene tibi erit. Cum uero ab operatione manuum cessando domum rediret, licet medius esset dies, prius tamen solito more sacre sollemnia misse celebraret: Nec prius corpus alimento reficiebat quam forum et castelli plateas, si aduenticius esset, circuiret, quem secum ad cibum capiendum aduocaret. Cuius corpus non pulcris uestibus ornabatur, sed moribus; et precipue pudicitie habitu polebat: Talesque socios semper desiderabat, quorum contubernio sancta ecclesia non infamaretur. Rexit autem eandem ecclesiam bis undecim I.° dempto annis. Complures paganorum ab illa profana mahometis superstitione sua predicatione ad christi fidem conuertit.

10. Ne huius ergo pagine series, tum stili rusticitate, tum etiam loquendi nimietate prolixius extensa uilescat, huic operi scribendi metas imponere iam uolo; Hoc unum tamen reducere ad memoriam cupiens quomodo ab huius mundi profluuio extinctus migrauerit.

11. Anno igitur ab incarnatione domini millesimo C.°XL.°IIII.° tempore preclari ildefonsi portugalensium regis, XVI.° regni sui anno, cum adhuc paganorum procella ferocius insaniret, sauriensium fines inuasit, Et multos mortales, homines uidelicet cum peccore, aliaque preda captiuauit. Et erant tunc in eodem opido uenerande religionis milites in templo salomonis iherosolimis professi; Nam ob defensionem sancti sepulcri sustentandam, pretaxata regina totius castelli monarchiam cum suis reditibus, preter ecclesiastica iura, eis deuotissime contulerat, Quam postea filius eius rex portugalensium ildefonsus eis manu propria confirmauit. Qui hostibus obuiare satagentes, eundem presbiterum, de quo sermo transcurritur, sibi collegam asciuerunt, Qui christianorum interitum, et detrimentum sancte ecclesie condolens, tanque reverentissimis uiris satisfaciens, cum eis predictis hostibus obuiauit, Cum quibus fere omnibus accidente infortunio captus in congressibus belli, in scalabi castri menia, que tunc spurcissimis paganorum turbes pollebat. perductus est. Ingressus est itaque sua sponte, nullo cogente in horribile et fetidum carceris ergastulum, ubi christiani copedibus tenebantur astricti. Tanta animi diligentia erga christicolas et fidei consortes in eo erat, Quos ne aspurcissimis maurorum ritibus commacularentur et sic deformes fidei periclitarentur, predicatione euangelii pro tempore et loco congruenter instruxit, Et eis in proximo libertatem futuram, et christianis eandem ciuitatem habituram dono chrísti, exclusa multitudine agarenorum, fiducialiter agens predixit. Que omnia non longo tempore post, ut predixerat, claruerunt; Nam in sequenti anno a predicti regis industria eadem ciuitas est capta. Nec hoc aliquis ex desperatione grauiter accipiat, quod religiosus uir tam acerbe captiuitati addictus sit. Postquam enim uipereo haustu uersuti serpentis, a patria cecidimus captiui et exules in huius mundi exilio uiuimus; Nec unquam mundus diuersas tormentorum clades, precipue bonis hominibus cessat inferre, Testante apostolo qui ait: Sancti ludibria et uerbera experti sunt, insuper et uincula et carceres. Et quicquid eis in hoc mundo aduersatur, ut sacra refert scriptura, pro merito uirtutis habetur. Deinde a scalabi castro in elborensium deductus ciuitatem. tandem hispalensium ciuitas eum cordobam misit, Ibique pridie kal. februarii spiritum exalauit. Cuius corpus honorifice a christianis sepulture traditum est in basilica beate Marie; Cui sit perhennis uita, iuuante domino nostro iesu christo.

VITA TELLONIS ARCHIDIACONI

NOTITIAQUE FUNDATIONIS COENOBII S. CRUCIS CONIMBRICENSIS.

Tellonis, Cathedralis Conimbricensis Ecclesiae Archidiaconi, vita, et monasterii Sanctae Crucis fundationis notitia, omnia circa illam fundationem acta negotia secuta, recensens, codicis, cui Liber Sanctus *nomen est, velut quoddam prooemium constituunt. Codex iste, non tantum* Libri Sancti, *sed etiam* Magistri Petri Alfardi *nomine cognitus fuit, ut nos, quum de S. Martini Sauriensis vita loquuti sumus, iam observavimus. Chartula haec, vel ut vocant, chartularius, regestum potius percelebre ordinatum, et conscriptum fuit fundos, bonaque omnia, a monasterii primordiis acquisita, numerandi recensendique gratia. Prologus, qui regestum hoc, post monasterii fundationis narrationem, praecedit, codicis verum nomen* Inventarium *esse docet; quod documentorum regestum in duos libros, in varias item divisos partes, dividitur: horum primus,* Liber Testamentorum *appellatus, donationes monasterio factas continet: secundus,* Liber Venditionum *dictus, contractus, quos onerosos iurisconsulti vocant, velut emptiones, venditiones, permutationesque, colligit. Aliquot in primo duorum illorum librorum sine scriptura per medium relictae paginae spatii satis praebuerunt ad S. Martini Sauriensis vitam scribendam; quae revera ibi litteris eiusdem fere aetatis, ac ipse* Testamentorum *liber, alia tamen manu, scripta reperitur.*

Praedictus prologus, cur codex hic compaginatus, et qua aetate conscriptus fuerit, memorat.

Folium in hoc extabat codice, ante ibi scriptam Archidiaconi Tellonis vitam, litteris omnino carens, post quod recentiori aevo index generalis Inventarii *adiectus fuit; in altera istius folii pagina sequens legitur memoria, litteris scripturae codicis similibus scripta:*

„ In era M.ªC.ªLX.ªVIIII.ª VI.to kal. marcii ingressi sunt primum fratres monasterium Sancte Crucis. Anno ab incarnatione domini M.°C.°XXX.°I.° Indicione VIII.ª „

Quod prologus in duos simul, Testamentorum, *et* Venditionum, *libros diffusior aequo non fit; hìc absolvendum eum putamus.*

INCIPIT PROLOGUS IN LIBRO QUI DICITUR INVENTARIUM.

Magnum quidem et nimis utile bonum fore uidetur ut, sicut in precedenti opere ostendimus qualiter monasterium sancte crucis in suburbio colimbrie a tellone, eiusdem civitatis prudentissimo et uenerabili archidiacono, sit fundatum, et in sancte romane eclesie protectione susceptum, ita et in hoc opere quoddam facere memoriale omnium hereditatum, quas idem monasterium in presentiarum possidet, quod inuentarius nominetur: Invenientur enim ibi auctores a quibus eidem monasterio ipse hereditates date sunt, et quo iure eas retinere uidentur, seu uidelicet testamento, seu uenditione, aut comutatione, et hoc utillimum fore uidetur. Si enim propterea usus repertus est cartularum ut ea que homines faciunt, et que animus multis exagitatus negotiis firmiter retinere non ualet, in ipsis post multas generationes fideliter inueniantur expressa, et hoc erga multa aduersa, que in plurimis causis adueniunt, utile esse prospicitur, multo utilius fore creditur si et ea, que in minutissimis membranis continentur, in libro quasi in quodam armario reponantur; fieri namque potest, ut siue extractione, siue comutatione de loco ad locum, seu incuria, seu aliqua ocasione res minima facilius periclitetur et perdatur. Itaque cum perdictione paruissime rei, hoc est alicuius cartule, poterat et omnis hereditas per ipsam confirmata perditum iri, velut amisso auctore et confirmatore, Ad huius igitur incomodi non minimum detrimentum utiliter precauendum, statuerunt canonici prefati monasterii hoc opus summo diligentique studio perficere. Coegit etiam eos eque similis aut dignior excogitatio, omnium uidelicet benefactorum non abolenda rememoratio, ut quotienscumque et a quibuscumque rerum datarum quesita, inuenta, et lecta fuerit memoria, quasi in presenciarum datorum semper habeatur rememoratio, et pro omnibus digna dicatur oratio. Factum est igitur hoc opus tempore domni teotonii uenerabilis et religiosi uiri primi eiusdem monasterii prioris, cum iam predictum monasterium a constitutione sua uicesimum et quartum haberet annum. Anno ab incarnatione domini M.°C.°L.°V.° Inditione III.ª, Regnante tunc nobili adefonso portugalensis patrie rege, comitis henrici et regine tharasie filio, magni quoque catholici alfonsi regis toleti nepote, in uicesimo et octauo regni sui anno. Ipsum uero opus in duos libros diuisimus: in librum testamentorum, et in librum uenditionum simul et commutationum, et unumquemque librum pro diuersitate locorum per partes comode distribuimus. Titulos etiam ac titulorum numeros singulis superposuimus cartulis, quos in exordio cuiusque libri licet seriatim descripsimus, tamen ut et cartulas in partes diuisimus, quo facilius quisque quod quesierit reperire possit.

FINIT PROLOGUS.

Anno 1155 Inventarium *scriptum constat; et equidem omnia fere documenta ibi collecta huiusce anni limites non transgrediuntur: animadverti tamen oportet, aliquot inviniri sub finem capitum, vel partium, in quas tum* Testamentorum, *tum* Venditionum *liber dividitur, diplomata, exiguo quamquam numero, quae illo recentiora anno, ad saeculum etiam XIII. nonnulla attinent; sed alia haec sunt descripta manu, et ab eodem scriptore, qui S. Martini Sauriensis vitam in codice interscripsit. Sunt itaque, tam Archidiaconi Tellonis vita, quam Sanctae Crucis monasterii notitia saeculi XII. dimidiati monumenta: quorum satis magnum fragmentum Brandanus in appendicibus ad III. Partem* Monarchiae Lusitanae *vul-*

gavit, sed sordidatum mendis, quibus non istius modo scriptoris, sed omnium scatent libri, typis saeculis XVI. et XVII. mandati, dum historica monumenta describunt.

In codice 79 Publicae Bibliothecae Portucalensis urbis vernacula monumenti huius interpretatio, quam hîc sequentem edimus, reperitur. Annotatio, quae interpretationem hanc praecedit, suum et auctorem, et aetatem prodit. Paraphrasis potius, aut commentarium, quam interpretatio appellanda videtur; varias quippe formas, et longe aliud, nimiumque liberum dicendi genus exhibet; et quamvis rerum fidelitatem servet; documenta tamen, quae proprius operis scriptor addenda putaverat, sua interpres sponte praetermissa reliquit.

1. Cuiusque operis seu efigiei simulacrum habetur laude dignum, cum eius narrationis exitus bene tenuerit inicium. Quia ex hoc maxime ad laudem subsequentis proficit elocutionis, si ultima haud discrepauerint a primis, ut que cepti constat causa inicii, sit ad boni conplendum et perfecti operis extremum. Unde subnixius orandus est dominus, ut quod nobis loquendi in laudem nominis sui prebuit inicium, consumato opere, nullum penitus habeat dicidium. Quoniam ille foris resonat in lingua, qui auctor intus manet in conscientia. Non enim sum nescius quod singula que proposui digestura explicare non possim. Magna nimirum et precelsa magnorum uirorum sunt testimonia, que attenuat pocius quam explicat noster sermo; Est enim perangusta michi mediocritas ingenii, et impericior sermo. Sed que sunt uera non desiderant ponpam, neque uerborum ubertatem, sed sincere fidei nitorem purissimum. Itaque coactus opus suscepi mihi indebitum, ne ea que adhuc uiua recordatione retinentur ut sunt gesta, euanescente per tempus uel tradentium uel accipientium fide, fabulosa credantur.

2. Ab incarnatione igitur domini anno millesimo centesimo tricesimo primo, octaua inditione, secundo anno rebellionis petri apostate filii leonis aduersum piissimum sanctumque papam innocentium secundum, dum adhuc laodoicus francorum rex uiueret, et yspanie christianorum pars in tribus diuisa monarchiis trino amministraretur imperio, superiores siquidem illius partes aragon. et nauara usque ad montem quem incole auca uocitant sub alfonso aragonensium rege castissimo, atque in congressibus bellorum strenuissimo regebantur deuote, His exceptis quas bellicis studiis forti manu bellando ceperat a sarracenis. Ultima uero quasi pars minima, portugal cum colimbria, ab alfonso comitis henrici et regine tarasie magnorum auorum dignissima prole. Partibus mediis utpote maioribus castella cum suis extrematuris et gallecia imperatori magno, comitis raimundi et urrace regine filio, alfonso subditis: archiepiscopo bracare pelagio, et colimbrie episcopo bernardo, Archidiaconus tello, sibi adiuncta procerum iuxta apostolorum numerum duodenarium manu, monasterii sancte crvcis in suburbio colimbrie iacere adorsus est fundamentum. De cuius quasi de nichilo exortu et maximo in prosperis profectu silere, ignauiam maximam scelusque coram deo et rectis hominibus esse perpendo. Videtur siquidem res memorie digna, tum quia in his partibus prima quasi fidei apostolice sancta et ammiranda renouatio actuum morumque perutilis exornatio; tum quia ceteris, qui canonicorum profitentur esse professionis, proponitur exemplo ut a propriis ad comunia, de profundo uiciorum ad excelsa uirtutum, de morte ad uitam resurgere conentur. Apostolus namque jacobus in epistula, que quia talibus scribitur canonica dicitur, ait inter cetera: Nolite diligere mundum, neque ea que in mundo sunt; et cetera. Huius igitur tanti ac tam preclari facinoris tello archidiaconus auctor ab primeuo aetatis sue tempore super omnes sue urbis, animi prudentia, morum honestate, superemicuit coetaneos. Odario patre et eugenia matre natus, etsi mediocribus ciuibus, erat tamen corpore magnus, facie uenustus, pulcher aspectu, sed mente pulcrior, uultu alacrior, honestatem magis quam lasciuiam ostentans, maioribus asurgens, inferioribus condescendens, indigentibus conpaciens, dominis fidelis, affabilis cunctis, iustus; sed misericordia pius, mente et corpore castus; sed eximia humilitate securus, sapientia plenus, prudentia perspicuus, morum honestate decorus, in omni perturbatione securus. Unde familiaritate principum habebatur carus, et maxime illius qui tunc temporis erat colimbrie episcopus Domnus Mauricius. Rogatus namque cum eo iherosolimam peciit, per triennium tocius curie et episcopi curam apud se gerens, et cuncta pro suo nutu conponens. Ibi cum sanctorum loca prout tante discrecionis uir circumspiciendo uisu et gressu pererraret, et diuersorum loco habitu ordinum calles diuersissimos, sed tenaci karitatis uinculo confederatos, ad summum et unicum ascendentes triuium, quod est summum bonum, quod nichil in uita restat melius, animi sagacitate ammiraret, et ammirando obstupesceret, intra semetipsum quantum ualens conprimens doloris gemitus, ait: Heu michi quia incolatus meus prolongatus est, habitaui cum habitantibus cedar. Sed amoris ardorem minime in silentio ualens ferre, cepit institutores horum primarios diligenter perquirere, Ipsumque dominum nostrum iesum christum reperit caput, et apostolos membra, petrum dico et paulum, et ceteros duodecim numero. Tunc nimio exilaratus gaudio addit et ipsas scrutari institutiones: Prepositorum uidelicet officia, ut subditorum mentes secretarum scripturarum lectionibus et exemplis assidue muniant, ne lupus inuisibilis aditum inueniat, quo ouile ingredi, et aliquam ouium subripere ualeat; Subditorum eximiam, ac in omnibus deuotam humilemque obedientiam; Puerorum arctissimam, ne lasciua eorum pronaque ad malum periclitetur etas, custodiam, et ecclesiasticis disciplinis assiduam perfectamque doctrinam; Senum piissimam misericordemque in omnibus sufferentiam; Minorum deuotam subiectionem; Maiorum amabilem karitatem. Sed ubi satis est exhausti post triennium nauigantes apulerunt bizancium, vbi ferme per medium commorantes annum, siquid deerat supradictis archidiaconus addebat institutis. Cumque sani indeque incolumes repedarent ad propria, defuncto sanctissimo bracare archiepiscopo giraldo, domnus Mauricius illius subrogatur loco, colimbrie uero sublimatur bone memorie Gundisaluus, proepiscopo, et efficitur cor episcopi Tello, Qui licet opibus potentiaque opitulantibus desideratum nequit uel incipere uotum, consociis locoque ubi statueretur deficientibus. Plurimis uero latentibus annis, posteaquam archiepiscopus mauricius rome papa ab imperatore

* instituitur, et pelagius eius archidiaconus loco illius sublimaretur archiepiscopus, pontifexque colimbrie non tam senio quam infirmitate confectus celo redderet spiritum, Tello archidiaconus honestior uita omni clero et moribus querebatur precibus a clero et populo episcopus. Quod et tunc fieret, regina tharasia et comite fernando in hoc nitentibus, nisi diuino nutu regina una cum suo comite a regno expulsis, eius filius, auorum seu atauorum propago dignissima, uno die bellando, quod forte uidebitur mirum, susciperet principatum. Qui iuuenis etsi regendi imperium iam bene sciolus, tamen amore laudis ardenter plenus ad quoscumque aure flatus, ut arundo fragilis ferebatur procliuis. Unde a quibusdam sanctitatis

* *Interest vacuum spatium.*

religionisque inimicis facile sibi persuadetur in episcopum ordinare domnum bernardum, deo ad tantum tanteque sanctitatis opus reseruante ac stimulante archidiaconum. Quare uir religione plenus de cenoso quasi de profunditatis lacu liberatus, in dies et noctes cepit urgere propositum, sed deficiebat adhuc locus. Venerat siquidem iuuenis quidam, iohannes nomine, peculiaris agnomine, quod euidenti ostendit iudicio se dominicum esse peculium, Siquidem in suo de gallie partibus aduentu, quoddam suo ducatu et doctrina statuit monasterium apud sanctum christoforum. Huc archidiaconus sibi accitum laboris et premii socium suum aperiendo edocuit propositum, et locum in suburbio colimbrie repertum his usibus satis superque congruum. Sed qua ratione, quibusue machinis, uel quo consilio, his usibus haberetur ab ipsis prorsus ignorabatur. Petiuerat nempe quondam ipse presbiter a regina, et promissum non dederat, quia tunc omnia perturbata nec sui ipsius potestatem habuerat. Venit ergo tempus ut desideratum presbiteri uellet deus adimplere uotum sanctumque propositum. Emerat forte non sine deo apud montem pesulanum quandam, quam uulgo sellam appellare solent, nimis pulcram, et equitandi usibus superque decentem, Que dum die quadam sedens super mulam per colimbrie portam archidiaconus solito uiam incedens regiam ab aulicis uisa cerneretur pulcra, quidam de auriculariis illius uenustatem animo contemplans, rogabat infantem ut ab archidiacono sibi postularetur in dono. Nec mora rogatus dat subiciens subtus iudeos balneas regias munusculum pro precio. Sed quia regia censura aliter quam nostra agitatur causa, piissimus princeps animi ilaritatem, frontis extensione, et faciei iocunditate ostendans, dixit archidiacono se prius rem uisurum, illud recogitans salomonis sapientissimi regis: Omnia fac cum consilio ne peneteaaris. Deus autem ex alta prouidentie specula sanctis presbiteri sui fauens desideriis, regis nostri eiusque dapiferi, qui omnibus sequenti gradu preerat ermigii, cuius anima requiescat in pace, maximi et prudentis uiri et nostri domini regis supra omnes consiliarii, auriculam reuelauit ut fauerent totis archidiaconi consiliis. Quod et factum est, Nam et cartam regiis signis adnotatam sibi dei consilio inde scribitur. Pro cuius refectione, que apud nos mensa dicitur, pectorale faleris plenum ipsi infanti archidiaconus dedit. Emit etiam pro triginta aureis morabitinis ortum ab episcopo bernardo et eius canonicis, iuxta se positum fontem aquarum habentem largissimum, iuxta quem ordinauit fieri claustrum ut in ipsum fons decurreret lauatorium. Quod post maxime animos perterruit canonicorum; Experti sunt enim postea cum amicis et ipso archiepiscopo, in hoc frustra laborante pelagio, si destrui posset sancte crucis monasterium. Voluerunt namque uel operis impensas archidiaconus saltem incommodo presbitero auferendo imminuere, quod maxime infanti nostro regi displicuit, eis meretrices et cetera obicienti execranda. Vnde dei sacerdos nata fabricandi libertate, socios sibi tantique adiutores operis adsciuit, non iam duodecim numero, sed ferme septuaginta duo: Johannem peculiarem, de quo supra memorauimus, qui portus gaye episcopus post mortem pelagii bracare preficitur archiepiscopus; Teotonium eiusdem monasterii priorem; Odorium sancti iacobi presbiterum; Sisnandum montis maioris sancte marie prepositum; et alios quorum nomina uidentur superuacaneum in hac ascribi pagina, cum in diuina pre eorum meritis coram deo cotidie recitentur tabule. Posuerunt ergo iuxta hanc auctoritatem primum fundamenti lapidem, quarto Kalendarum iulii, petri et pauli apostolorum principum uigilia: tu es petrus, et super hanc petram edificabo ecclesiam meam. Et mirum in modum balnee comutantur ut quia hic ablueruntur hominum corpora, quodam dominice crucis, aque babtismi secreto redemptionisque cruoris oraculo, efficerentur sancte crucis ecclesia, et quoniam carnis sordes balnearum detergerentur misterio, animarum lepra sancte crucis curentur sacramento. Sancta est ergo comutatio, sanctaque dantis et operancium deuocio, sanctissimaque summi auctoris protectorisque dei perfectio. Dicantur ergo de te gloriosa dei ciuitas et esto memor raab et babilonis scientium deum: Ecce enim tempus acceptabile, ecce dies salutis. Ne ergo qui cum eo conglutinati erant subito preocupati die mortis quererent penitentie spacium, et inuenire non possent, anno nondum reuoluto, sexto Kalendarum marcii, festiuitate mathie apostoli, feria quarta capite ieiunii armati sunt apostolorum proposito sub habitu degentes et regula beati augustini, hanc deo antiphonam digne cantando: Immutemur habitu in cinere et cilicio; ieiunemus et ploremus ante dominum, quia multum misericors est, dimittere peccata deus noster. His rite et iuxta dei uoluntatem ut uidebatur compositis, orta est intolerabilis supra quam dici possit sedicio canonicis sedis sancte marie archidiaconum cogentibus sibi loci monasteriique fieri debere testamentum. Unde uir tante sapientie preditus, animi uirtute prosternatus, et inhabitantibus superemines illorum sedis canonicorum periculum, et loci libertatem esse utilem quam cui uis force peruium recogitans alcius, cepit iam cum adiunctis sibi sociis casibus et fortunis prouidere futuris, et de loci libertate tractare propensius. Ocasione itaque satis comoda sedis pro libertate accepta, proficiscitur romam, sancte crucis monasterii, totiusque proprietatis faciens sociis ipsum inhabitantibus, tam futuris quam presentibus, testamenti deuota mente et firmitudinis seriem. Deinde ualedicens fratribus, lacrimans ceptum pergit iter, et sedis multo labore libertate ab innocentio secundo apostolico et uix conquisita, etiam sancte crucis monasterii quod sit sub tutela sancti petri ab eodem uiro sancto promeruit, priuilegium ei faciens propria manu roboratum, huiusmodi apicibus digestum.

Priuilegium innocentii pape.

3. Innocentius episcopus seruus seruorum dei dilectis filiis *Odorio* * priori, fratribus ecclesie sancte crucis in colimbriensis ciuitatis suburbio site, eorumque successoribus canonicam uitam professis im perpetuum. Desiderium quod ad religionis propositum et animarum salutem pertinere monstratur, auctore deo sine aliqua est dilatione complendum, ut fidelis deuocio celerem sortiatur effectum. Proinde, dilecti in domino filii, per interuentum filii nostri telonis colimbriensis archidiaconi, uestris postulationibus affectione paterna gratum prebemus assensum, et ecclesiam beate crucis, in qua diuinis estis obsequiis mancipati, in beati petri tutelam protectionemque suscipimus, et presenti scripti pagina communimus. Statuentes ut ordo canonicus, qui secundum beati augustini regulam ibidem cooperante domino noscitur institutus, perpetuis temporibus inuiolabiliter obseruetur. Sane possessiones et bona, que eadem ecclesia in presentiarum iuste et canonice possidet aut in futurum concessione pontificum, largitione regum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis prestante domino poterit adipisci, uobis uestrisque successoribus, et per uos predicte ecclesie sancte crucis, presenti priuilegio confirmamus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat prenominatam ecclesiam perturbare aut eius possessiones auferre, uel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus uexationibus fatigare. Sed omnia integra conseruentur eorum pro quorum gubernatione, et sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, Salua nimirum diocesani episcopi reuerentia. Ad indicium autem percepte huius a romana ecclesia libertatis, duos bizancios annis singulis nobis nostrisque successoribus persoluetis. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisue persona hanc nostre constitutionis paginam sciens contra eam temere uenire temptauerit, secundo tercioue commonita, si non satisfactione congrua reatum suum correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sanguine dei et domini nostri iesu christi aliena sit, atque in extremo examine districte ulcioni subiaceat. Cunctis autem eidem ecclesie sua iura seruantibus sit pax domini nostri iesu christi. Quatenus et hic fru-

* *Nomen istud, loco raso, alia valde posteriori manu scriptum fuit.*

ctum bone actionis percipiant, et apud districtum iudicem premia eterne pacis inueniant. Amen. Amen. Amen.

Ego innocentius catholice ecclesie episcopus subscripsi.

Ego lucas presbiter cardinalis tituli sanctorum iohannis et pauli subscripsi.

Ego guido diaconus cardinalis sanctorum cosme et damiani subscripsi.

Ego grisogonus diaconus cardinalis sancte marie in portu subscripsi.

Datum pisis per manus almerici sancte Romane ecclesie diaconi cardinalis et cancell. vii kalendas Junii, Indictione xii.ª, Incarnatione dominice anno m.c.xxx.v. Pontificatus Domni Innocentii pape II. anno vi.

4. Nec satis beato uidebatur innocentio, innocentie襟ciusque pie sanctitatis magistro, a pontificali consurgere solio et manu sancta priuilegium ipsum nomine confirmare proprio, nisi infanti destinaret per tellonem et episcopo litteras simul cum populo pro commendatione domus, et archidiaconi dilectione, maximeque guidonis diaconi cardinalis sanctorum cosme et damiani diligenti ergo nos laborioso ardore. Unde memoriam eorum cotidie morationibus nostris facientes, domini pape specialiter, guidonis nobiscum, et cum ceteris benefactoribus nostris facimus. Sed qualiter tocius pietatis uir perfectus ipsum adloquatur infantem audite.

Littere innocentii pape ad infantem alphonsum.

5. Innocencius seruus seruorum dei dilecto in christo filio illustri uiro alfonso portugalensium Duci Salutem et apostolicam benedictionem. Quod personam et honorem tuum paternis affectibus diligamus, sepe cognoscere potuisti. De tua itaque nobilitate plurimum confidentes rogando mandamus quatenus sicut nos pro colimbriensi ecclesia tuis precibus adquieuimus, ita nichilominus pro ecclesia sancte crucis colimbriensis postulationes nostras exaudias ut uidelicet pro beati petri et nostra reuerentia fratres eiusdem loci attentius diligas et honores, et a nullo infestari permittas. Per hoc enim tam in presenti quam in futuro seculo maiorem laudem et gloriam consequeris. Datum Pisis xiii. K. Junii.

Ab hinc quoque episcopi simul cum ciuibus cauteriatam ammonitionem auertite.

Ad col. episcopum.

6. Innocentius episcopus seruus seruorum dei venerabili fratri Bernardo episcopo et dilectis filiis clero et populo colimbriensi salutem et apostolicam benedictionem. In beati petri cathedra disponente domino constituti colimbriensem ecclesiam et uos ipsos paterno affectu diligimus, et uestris postulationibus secundum deum assensum prebemus. Ceterum gratum nobis est quod in ecclesia sancte crucis, que ciuitatis suburbio sita dinoscitur, cooperante domino religionem accepimus institutam. Eapropter dilectioni uestre rogando mandamus ut locum ipsum et fratres inibi domino famulantes pro omnipotentis dei reuerentia diligatis, et propensius honoretis, nec eis iniuriam aut molestiam inferatis nec inferri ab aliis paciamini, Quatenus et ipsi liberius et quietius diuinis ualeant uacare obsequiis, et uos pro inpensa eis beniuolentia tam temporaliter quam spiritualiter ab omnipotente deo retributionem percipere mereamini. Datum Pisis xiii. Kal. Junii.

7. His itaque omnibus pro uoto archidiaconi conpositis, cum iam osculata prius apostolici manu regrederetur cum consorte iohanne qui in omnibus preerat, rei uoti a raptoribus in medio retinentur itinere. Vouerant siquidem se sepulcrum beati augustini uisitaturos et aliquid pignoris si possent ad monasterium sancte crucis usque allaturos, Quod quia non fecerant, a raptoribus, ut diximus, expoliati uix multo elapsi labore multaque itineris fatigatione pedites totum fere usque ad sanctum rufum peregerunt iter, Ubi diuinum euidenti inditio archidiaconus cognouit sibi et in omnibus et tunc maxime adesse patrocinium, custodiens ipsum ab antidoto quod in malis iohannis michaelis repertum, ut ferebatur, ad archidiaconum necandum compositum. Pro quibus omnibus gratias agens summo et incomparabili patrono piissimo deo, conglutinata prius cum senioribus Sancti rufi amicitia, resumpto cum moribus socio, qui pro ipsis ierat dominico, cum ceteris et iohanne, qui in omnibus extiterat coadiutor, ad propria reuertitur, dimisso apud sanctum rufum priuilegii exemplo. Ille uero qui laqueum tetenderat innoxio desinteria deficit peregrinus dei iudicio, in defectu ipso monacali habitu gratias deo resumpto. Dicatur ergo : laqueum aperuerunt et effoderunt, sed tamen incidunt in foueam quam fecerunt. Mensibus quinque post reuersionem nec dum completis, et ipse tocius congregationis pater piissimus letali morbo corripitur quod arabice aluara malfalzamuni, id est apostema. Donec ergo potuit surgere, et aliquantisper procedere longiuscule, uelut martha satagebat circa frequens ministerium, murum in circuitu cenobii construendo, turres in excelso erigendo, domos intro claustrum et extra edificando, uillas et hereditates cum consorte odorio qui in omnibus ferebat auxilium propriis facultatibus emendo, in quibus ad quingentos expenderat morabitinos, His exceptis que a fidelibus oblata, cum aliis quingentis suo sudore adquisitis in operis sunt in pensione consumpta. Quia uero totum prout erat futurum uel fundare minime poterat edificium, radium affectans manu, ut thomas apud regem gondaforum, peritus architector interius compositionem, et exterius tocius dispositionem structure describit edificiorum. Ubi autem illius corpus nimie infirmitatis angore, et diutini laboris magnitudine fractum, presbitero gratum recusat ferre laboris pondus, claustro includitur, memorans hoc dauiticum : In me sunt Deus uota tua que reddam laudationes tibi, et in dies et noctes se ipsum deo uiuo et uero uiuum et uerum offerebat sacrificium in se beatissime et quondam peccatricis marie magdalene speciem exprimens, que quia lacrimis pedes domini lauerat, capillis capitis sui terserat, consors genitricis christi effecta, cum aromatibus ueniens ad sepulcrum, meruit ipsum gloriose dominum uidere prima. Quis enim alta ualeat explicare suspiria, quis lacrimarum imbres uberrimos, quis singultus creberrimos ? Et existimo non pro se, sed tocius congregationis pie et ardentis sollicitudine caritatis, hoc a se fieri exigebat. Quia etsi sanctum uirum ab omni delicto pronunciare non audeo absolutum, uel fouerunt iuuentutis delicta, uel fuerunt ab ignorantia uel fragilitate profusa. Fuit enim fuit a pueritia usque ad senectam purissime castitatis amator, humilitatis humile exemplar, ueritatis assertor uerax, obedientie custos obediens, in aduersitatibus gaudens, in tribulationibus patiens, fidei conseruator fidelis, in ipse longanimis, de promissione certus ut abraham, hospitalitatem sectans ut loth, justicia pollens ut ysaac, Karitate exuberans ut iacob. Quis illius sermones moralitatis dulcedini refertos in senes, quos ac si patres uenerabatur ; in uiros, quos ut fratres exortabatur ; in iuuenes, quos ut filios excolebat ; in pueros, quos ut diligens pedagogus et pater amandus parcendo arguebat, aliquo ualeat explicare sermone ? Mira fuerunt et pene hominibus nostre etatis incredibilia, in hoc sancto Tellone diuina reuelata misteria. Equidem quandiu potuit manibus canonicorum ad altare domini deportari, sacrum corpus et sanguinem domini nostri iesu christi participari, ante ipsam crucem ut ante domini tribunal iudicandus, riuis suarum lacrimarum se iterum atque iterum lauans, quasi ipsos domini pedes lauando atque capillis capiti sui tergendo deoscularetur in excessu mentis rapiebatur. Inde in claustri medio inter oliuarum consita centone recubans, nos euntes seu redeuntes ac si filios unicos parturiret ut iacob manu erecta benedicebat, utque nobis propiciaretur, nosque ut oues a pastore patentibus campis desertas custodiret, qui non dormitat, longis suspiriis precabatur. Nimirum inter spem celestium constitutus et

amorem fratrum, non audeo, ut dicebat apostolus, cupio disolui et esse cum christo, multo melius necesse autem existimo esse in carne propter uos, sed uelut martinus beatus, nec sic tamen. Grauis quidem est domine corporee pugna milicie, nec deficientem causabor etatem, munia tua deuotus implebo, potius castris quod ipse iusseris militabo. At si parcis etati bonum est mihi hos quibus timeo ipse custodias. Tu enim es uerus pastor et animam tuam pro his ouibus dedisti. Quod minus est supple, qui quod maximum est consumasti. Et his dictis iterum lacrimabatur uir sanctus. Cumque deus finem uellet sanctis imponere laboribus, et confessorem suum in eterna pace suscipere, circum astante omnium fratrum amabili conuentu lacrimis manante et pio eiulatu, quia pium uidebatur flere tellonem, et maxime pium gaudere telloni, feria IIII.ª, quarto idus septembris, illuscescente die post natiuitatem beate marie, agens etatis quasi annum sexagesimum, dimittens in edificiorum expensas ad quingentos morabitinos, et manus omnium deosculans fratrum, ut illius essent memores in obsequiis suarum orationum, hoc ultimum habuit uerbum: In manus tuas domine commendo spiritum meum: et hoc ordine dignum sanctorum ordinibus emisit spiritum. Deinde corpore abluto, et uestibus pro consuetudine canonica induto, deducitur ad ecclesiam in medio coro, diuinis preeuntibus obsequiis. Quantus tunc luctus merentium fratrum, quanta precipue suspiria decantantium canonicorum, longum est et inexplicabile sororum uirginum et uiduarum, quarum numerus ternario per se multiplicato ut angelorum complebatur, explicare eiulatus, et hyberias lamentantium matronarum uenias, non dico licitum sed quantum pius amor coniuncto dolore susurrando fecerat proprium. Erat pium ac religione plenum pueros conspicere in circutu feretri residere, et mentis singultus lacrimis usque ad maxillam uellut ex fonte largissimo pudibunde tamen manantibus prodere, iuuenes adulescentiores circa altaria et cetera officia discursantes, senes canicie uenerandos in missarum sollempnia quandiu permissum fuit sese peruenire, laicos fratres ad sepulture obsequia alterutro obsequentes. Quis inuidorum gaudia, quia nemo rationabilis irrationabilis placere potest, quis dolentium amicorum tristes dolores, quorum longe antecedebat numerus, possit digne personare uocibus? Tota ciuitas ruit. Partim canonicorum conuentus, Partim iuuenes, Partim mediocres, Partim nobilium persone, ad uidendum sanctissimum tellonis corpus, omnes uno ore dicentes: benedictus deus qui talem sibi elegit famulum. Matrone uero et femine paupercule, quia non erat eis licitum astare prope, uel ipsum sacratissimum contingere corpus, pro foribus astantes, uel per rimulas quantum fas erat inspicientes, pio eiulatu protestabantur ipsum spiritum ut pro eis deprecaretur dominum, pro quibus sepe sancta monita, sepe casta consilia, sepe perutiles correctiones, sepe elemosinarum largissimas expensiones sancte, deuote, pieque profuderat. Cumque corpus deuote, honeste, ac religiose, a latere ecclesie dextro, iuxta altare in honore sancti spiritus consecrato conderetur, fit maximus omnium clamor ad sidera mentium affectus tendentium, unoque suspirio precantium, requiescat in pace, et sic omnium oratio consumata est. Quibus rite et iuxta nostrum ordinem digne et laudabiliter completis, ad consolandos nos alterutrum, consedente conuentu, communi diffinitione decreuimus inter nos, quod nunquam postmodum ab ullo poterit infringi, secundum edictum patris nostri Augustini.

8. In nomine Domini nostri iesu christi. omnibus placuit unum sentire communiter possidere sicut scriptum est: Unum sentite in domino, et nemo proprium sibi quicquam uendicet, sed fiat sicut scriptum est in actibus apostolorum. Habentes omnia communia, nemo quicquam suum esse dicebat, et erat uox omnium nostrum. In domino iure obseruationis nos teneamus, et in eo usque in finem permaneamus, quia in euangelium scriptum est: Qui perseuerauerit usque in finem hic saluus erit. Si enim patre pio sanctoque caremus tellone, multo magis piissimum sanctissimumque patrem habemus in celo, qui dicit in euangelio: Et patrem nolite uocare super terram.

9. Pari igitur diffinitione parique consensu morem sancti Rufi decreuimus tenendum, et a nullo nostrum uel sequentium in posterum notandum. Itaque mandauimus petrum presbiterum salomonis filium ad sanctum rufum, in hec simplicia uerba:

Dominis et patribus S. R. abbati W. sancto religiosoque conuentui, T. sancte crucis prior etsi indignus, atque humilis congregatio, morum discipline, et uestrarum medele animarum qualemcumque partitionem. Quantas deo uestreque sanctitati pie persoluemus grates pro beneuolentia et caritate deuota in dominicum diaconem, et iohannem tunc magistrum nunc autem archiepiscopum, et tellonem archidiaconum, cuius anima requiescat in pace? Et nunc quia uestri cepimus esse discipuli, quod nondum habuimus per dominicum, per fratrem eius petrum pro amore fraternitatis mandari nobis subnixe obsecramus. Valete.

10. Misimus etiam donaria uti uiris tante religionis tanteque auctoritatis, obsecrantes ut suis interuentionibus deo dignis nostrorum ueniam delictorum promereamur et ordinis incepti consummationem. Quia ergo in nullo frustrati sumus, mansit apud eos ipse et eius famulus a festo beati martini usque ad pasca, in omnibus eos largissime procurantes, et quicquid necesse fuit seu in moribus, seu in aliis libris conscribendis ministrantes, et in coro, in capitulo, in refectorio, et dormitorio secum ac si illorum esset canonicus excolentes. Venit itaque ad nos ferme quindecim ante festum sancti iohanni diebus ferens secum tocius anni morem plenissimum, tempore quo ordinatus est iohannes peculiaris portugalensis episcopus. Contigit labente tempore archiepiscopum bracare mori pelagium, et multis dicidiis, multaque procella ecclesie ingruentibus, tandem ipsum peculiarem domnum iohannem eligi in archiepiscopum. Tunc recolentes archidiaconi laborem pro priuilegio astutum, decreuimus mittere secum eundem presbiterum petrum, et eiusdem ordinis consortem menendum, ad osculandos innocentissimos innocentis pape pedes sanctissimos pro nobis et nostram coram eis ponere benedictionem, subicientes pristine misericordie recordari, et episcopo regique nostro ac ciuibus pro nostri commendatione aliquid mandare. Quod innocentie conseruator scriptis in hunc modum se habentibus studuit complere:

Epistola innocentii pape ad bernardum col. episcopum.

11. Innocentius episcopus seruus seruorum dei uenerabili fratri B. colimbriensi episcopo salutem et apostolicam benedictionem. Ex diuine legis preceptis quod nobis fieri nolumus proximis nostris facere prohibemur. Hoc nimirum intuitu fraternitati tue mandamus atque precipimus ut fugitiuos fratres de ecclesia sancte crucis, que utique censualis est beati petri, nec ipse suscipias, nec ab aliquibus infra tuum episcopatum suscipi paciaris, quin pocius si qui fratres ipsos absque prelati sui licentia suscipere ausi fuerint, si quod absit eos prelatis suis reddere recusauerint, usque ad satisfactionem tam ipsum tranfugam quam eius temerarios defensores excommunicationi subicias. Eos etiam qui fratres prefate ecclesie iniuste opprimunt et eorum bona diripiunt, nisi presumptionem suam congrua satisfactione correxerint, simili sententia punias. Studii quoque tui sit, ut iura ecclesiarum prefate ecclesie sancte crucis pertinentium, que per te ac tuos auferri accepimus, eidem in pace dimittas, et eos qui circa prefatam ecclesiam commorantur eam uisitare et pro sua deuotione adire nullatenus prohiberi permittas. Cum enim uniuersa que habes tibi ab apostolo sint collata, indignum tibi uideri non debet si specialia loca sancte romane ecclesie in tuis partibus augeantur, et tuo studio a quibuslibet turbatoribus defensentur. Datum lat. v kal. Maii.

Et regem nostrum taliter allocutus est:

Epistola innocentii pape ad regem domnum al.

12. Innocentius episcopus seruus seruorum Dei Dilecto filio A. illustri portugalensium duci salutem et apostolicam benedictionem. Donorum principum est ecclesias dei filiali affectatione diligere, easque procollata sibi a deo potentia defensare. Huius rei gratia nobilitati tue per presentia scripta rogando mandamus quatenus ecclesiam sancte crucis, que utique censualis est beati petri, et specialiter sub eius tutela consistit, pro reuerentia beatorum apostolorum et nostra, manu teneas ac defendas, et nullis iniuriis uel molestiis fatigari permittas. Datum Lat. v Kal. Maii.

13. Ne ergo uideretur dispendium, pretermisimus discribere que et quanta pro nostra ecclesia, et earum que sub beati petri sunt tutela, erga abbates, episcopos, et archiepiscopos egerit uir apostolicus. Redeunte ergo archiepiscopo iohanne cum ceteris prospere, remansit item idem presbiter petrus apud sanctum rufum, fere annum integrum, scrutans si aliquid deesset nobis uel in more seu aliqua ecclesiastica doctrina. Itaque ipse omni ecclesiastico ordine perfectus adduxit nobis capitularium integrum, antifonarii morem, augustinum super iohannem, item super quasdam questiones mathei et luce, examerон ambrosii, item de penitentia, item pastoralem, et bedam super lucam.

14. Ad hec non premittendum uidetur episcopi domni bernardi controuersiam et nostram, valde est enim utilis proposita, uel ad cauendum posteris ne accidat, uel si forte acciderit quomodo rationetur exempli gratia. Quia episcopus infamabatur puplice ecclesiastica uendere beneficia, subter fugiebamus proposse consecrari ab eodem. Unde semel et bis uocato archiepiscopo bracare domno iohanne, eo in sede sua presente et ordines faciente, in ecclesia nostra ordinationes presbiterorum, diaconorum, et subdiaconorum fecimus ut sibi uidebatur quasi presumptuose. Qua de causa repletus insano furore contra apostolica prohibita prohibebat fideles, quos poterat, ne nobis inpenderent sua beneficia, uel in ecclesiasticis si forte possiderent, uel in seculari iure. Unde et quasdam nostras sibi diu retinuit ecclesias, donec res catholicus comitis enrici filius eum ah hac insania precibus ratione suffultis uix compescere potuit. Sed inuidia etsi parum quieuit, ex toto extingui non potuit; Nam et elemosinas fidelium disturbando, et sepulturas prohibendo, et nomen religionis blasfemando, aliquando a parte si facultas dabatur uel latenter in dies inpedire moliebatur. Quod nos facere non posse cernentes, apostolice dignitati nostro patrono litteris notificare curauimus et nostram querimoniam, et tocius ecclesie dispendium. Quod et fecissemus nisi guido cardinalis romanus in prouincia futurus denuntiaretur. Itaque ab incepto cessauimus uolentes ei ore nostro iniurias nostras, et ea que de episcopo protestabantur, pro certo exponere. Sed episcopus, ut rerum exitus probauit, a rege obtinuit accusationem hanc reticere, nos promittentes per manus eius omnia emendare, et de proprio etiam multa superaddere. Tamen cardinali in ecclesia sancti iohannis cum episcopo commanente, prior sedis iohannis anaia, qui postea eiusdem sedis episcopus extitit, cum martino archidiacono, et menendo magistro, et aliis quattuor uel tribus, nescio si episcopo iubente, hoc machinabantur, quia dum presentes affuimus et interrogaremur ab ipso tacebatur, ausi sunt quattuor nos pulsare questionibus iniuriosis, uidelicet quia decimas eorum recipiebamus, et de capella nostra terciam partem eis persoluere deberemus, et quod corpora parrochianorum eorum non solum susciperemus, uerum uiolenter de manibus eorum raperemus, et quod ordinationes contra ius et fas, episcopo in sede residente, conuocato extraneo in ecclesia nostra faceremus. Ad que etsi imperiti sermone, tamen ueritate suffulti benigne respondimus: Decimas aliarum ecclesiarum nec nos debere suscipere, nec suscipimus quia regulares canonici sumus, et omnia nostra secundum ordinem disponere debemus sicut et disponimus. Si forte pro eis que sunt de eiras accusamur, non eas pro decimis sed pro tributo regis suscipimus. Ideo ipse rex de suo proprio iure, que uulgo dicitur eiradiga, et ofrecion, et octauam partem uini demisit, contentus sola quarta parte fructus tocius illius hereditatis, quod ore ipsius regis postea comprobatum est. Frustra uero romanam libertatem promeruimus si nunc terciam nostre capelle diocesiano episcopo persoluimus. In his duabus ita auctoritate cardinalis rationabiliter solutis, cogebamur a cardinali et a predictis questionariis fateri uerum super ordinationibus iniuste peractis. Ad quod etsi diu pro ueritate rei hesitantes, compulsi sumus fateri a rege prohibitos fore super hac questione respondere, nec illius preceptum nos preterire posse. Ad quod ipse: Etsi aliquid est, quia aliquid est quod inconueniens est, quatenus quandiu a romana sede uidetur sustentari, a uobis non debet reprobari. In quarta uero sepulture questione, superaddiderunt dicentes, quia iustum est, nec omnino potest refelli, ut unusquisque quo disposuerit sepulture locum obtineat, quintam uel terciam nobis primum exoluat, et sic libere quo uoluerit eat. Tunc cardinalis uir prudens, et omnibus doctus, est ne, inquit, tercia uel quinta nomen alicuius oblationis? Responderunt: Non. Sed terciam uel quintam partem tocius possibilitatis exigimus, quam nisi reddidemus excomunicamus tandiu sepultura carebit, donec quod postulamus parentes eius exoluant etiam inuiti. Ad quod ipse turbido uultu et quasi ammirans ait: Et ego clericus sum et uellem medietatem tocius possibilitatis mortui, sed non est catholicum, nec sancti patres in sacris canonibus sanxerunt, ut mortuus tunc ligetur, tunc excomunicetur cum omnimodis debeat absolui et reconciliari, cum pro anima mortui aliquid dare ecclesie, non coactum debitum, sed uoluntarium uotum. Cesset ab ecclesia dei ammodo hec profana consuetudo, cum omnino his uerbis proibeatur a beatissimo papa gregorio: Peti aut aliquid exigi omnino proibemus ne quod ualde irreligiosum est, aut uenalis quod absit dicatur ecclesia, aut uos de humanis uideamini mortibus gratulari, sed ex eorum cadaueribus studeatis querere quolibet modo conpendium. Ideoque et ego nunc iudico ut mortuus quo uoluerit sepeliri sepeliatur, nec proibeatur ab aliquo, et nec ab eo aliud exigatur, quam quod ilari promiserit uoto. Sed tamen amoneatur a proprio magistro sue anime, ut aliquod beneficium sue mandet ecclesie, quia iustum est ut sicut socia fuit passionis, sit et particeps consolationis iuxta apostolum. His ita digestis considerauimus fore congruum renouare privilegium et addere quod uidebatur necessarium. Itaque consilio eiusdem cardinalis misimus cum archiepiscopo iohanne, qui tunc tendebat romam, iam dictum petrum salomonidem cum litteris nostris et regis, et hoc a beatissimo lucio papa secundo promeruimus priuilegium.

Item priuilegium lucii pape.

15. Lucius episcopus seruus seruorum dei dilectis filiis teotonio priori et fratribus ecclesie sancte crucis in colimbriensis ciuitatis suburbio site, tam presentibus quam futuris, regularem uitam professis in perpetuum. Ad hoc uniuersalis ecclesie cura nobis a prouisore omnium bonorum deo comissa est, ut religiosas diligamus personas, et bene placentem deo religionem studeamus modis omnibus propagare. Nec enim deo gratus aliquando famulatus impenditur, nisi ex caritatis radice procedens, a puritate religionis fuerit conseruatus. Ea propter, dilecti in domino filii, uestris iustis postulationibus affectione paterna gratum prebemus assensum, et ecclesiam beate crucis, in qua diuinis estis obsequiis mancipati, in beati petri tutelam protectionemque suscipimus, et presentis scripti pagina comunimus, Statuentes ut ordo canonicus, qui secundum beati augustini regulam ibidem cooperante domino noscitur institutus, perpetuis temporibus inuiolabiliter conseruetur. Sane possessiones et bona, que eadem ecclesia in presentia-

rum iuste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largicione regum uel principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis prestante domino poterit adipisci, uobis, uestris successoribus, et per uos predicte ecclesie sancte crucis presenti priuilegio confirmamus. In quibus hec propriis duximus exprimenda uocabulis: Ecclesiam sancti romani; Ecclesiam sancti iohannis; Ecclesiam de mira cum sua libertate quam hactenus habuisse noscuntur; Ecclesiam de quiaios; Ecclesiam de trauanca; Ecclesiam de alcarouuim; Ecclesiam de auriol; Ecclesiam de figairedo, saluo iure diocesani episcopi: Quicquid etiam alfonsus illustris dux portugalensis de iure suo uobis concessit in eadem ciuitate, uidelicet, almuniam cum suis redditibus; Redditus de eiras, et duas uineas ibidem liberas ab omni reddilu; Partem omnium reddituum molendinorum suorum que sunt in eadem ciuitate; Unam aceniam in matelas cum IIII.^or canariis integris; Villam de quiaios; Villam de sancto romano; Villam de sancto iohanne; Omnes hereditates quas dedit uobis in aluorge et in germanelo, sicut continetur in carta eiusdem ducis; Partem omnium piscium qui dicuntur sauales; Vineam quam dedit uobis fernandus petriz cum assensu eiusdem principis. Sane laborum uestrorum quos propriis manibus aut sumptibus colitis, siue de nutrimentis uestrorum animalium, nullus omnino clericus uel laycus decimas a uobis exigere presumat. Prohibemus quoque ut nulli fratrum post factam professionem absque prioris tociusque congregationis premissione liceat ex eodem claustro discedere. Discedentem uero absque communium litterarum cautione nullus audeat retinere. Chrisma uero, oleum sanctum, consecratione altarium, seu baselicarum, ordinationes clericorum, qui ad sacros ordines fuerint promouendi, a diocesano suscipiatis episcopo siquidem catholicus fuerit, et gratiam atque communionem sedis apostolice habuerit, et ea gratis et absque aliqua prauitate uobis uoluerit exibere. Alioquin liceat uobis catholicum quemcumque malueritis adire antistitem, Qui nimirum nostra fultus auctoritate, quod postulatur indulgeat. Decernimus ergo ut nulli omnino homini liceat prenominatam ecclesiam temere perturbare aut eius possessiones aufferre, uel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus uexationibus fatigare. Sed omnia integra conseruentur eorum pro quorum gubernatione et sustentacione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salua apostolice sedis auctoritate. Ad indicium autem huius a romana ecclesia percepte libertatis, duos bizancios annis singulis nobis nostrisque successoribus persoluetis. Siqua igitur in futurum ecclesiastica secularisue persona, hanc nostre constitutionis paginam sciens, contra eam temere uenire temptauerit, secundo tercioue commonita, si non satisfactione congrua reatum suum correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se diuino iuditio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sanguine dei et domini nostri iesu christi aliena fiat, atque in extremo examine districte ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem ecclesie sua iura seruantibus sit pax domini nostri iesu christi quatinus et hic fructum bone actionis percipiant, et apud districtum iudicem premia eterne pacis inueniant. Amen. Amen. Amen.

Ego lucius catholice ecclesie episcopus subscripsi.
Ego conradus sabinensis episcopus subscripsi.
Ego theodeuuinus sancte rufine episcopus subscripsi.
Ego albericus hostiensis episcopus subscripsi.
Ego thomas presbiter cardinalis tituli uestine subscripsi.
Ego istubaldus presbiter cardinalis tituli sancte praxedis subscripsi.
Ego gregorius diaconus cardinalis sanctorum sergii et bacchi subscripsi.
Ego octo diaconus cardinalis sancti georgii ad uelum aureum subscripsi.
Ego guido diaconus cardinalis sanctorum cosme et damiani subscripsi.
Ego petrus diaconus cardinalis sancte marie in porticu subscripsi.
Ego astaldus diaconus cardinalis sancti eustachii iuxta templum agripe subscripsi.
Ego iohannes diaconus cardinalis sancte marie nove subscripsi.

Datum lat. per manum baronis capellani et scriptoris II. k. Maii. Indictione VII. Incarnationis dominice Anno M.°C.°XL.°IIII.° Pontificatus uero domni Lucii II. pape Anno Primo. Bene valete.

Item priuilegium eugenii pape.

16. Eugenius episcopus seruus seruorum dei dilectis filiis teutonio priori ecclesie sancte crucis site iuxta ciuitatem colimbriam, eiusque fratribus, tam presentibus quam futuris, canonicam uitam professis in perpetuum. Apostolice sedis auctoritate debitoque compellimur pro uniuersarum ecclesiarum statu satagere, et earum quieti auxiliante domino prouidere. Ea propter, dilecti in domino filii, uestris iustis postulationibus clementer annuimus, et ecclesiam sancte crucis, in qua diuino estis mancipati obsequio, sub beati petri et nostra protectione suscipimus et presenti scripti priuilegio communimus, Statuentes ut ordo canonicus, qui secundum beati augustini regulam qui ibidem cooperante domino noscitur institutus, perpetuis temporibus inuiolabiliter conseruetur. Quascumque etiam possessiones, quecumque bona eadem ecclesia in presentiarum iuste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum uel principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis prestante domino poterit adipisci, uobis uestrisque successoribus, et per uos predicte ecclesie sancte crucis, presenti pagina confirmamus. In quibus hec propriis duximus exprimenda uocabulis: Ecclesiam sancti romani; Ecclesiam sancti iohannis; Ecclesiam de mira, cum sua libertate quam hactenus habuisse dinoscitur; Ecclesiam de quiaios; Ecclesiam de trauanca; Ecclesiam de alcarauuim; Ecclesiam de auriol; Ecclesiam de figairedo, saluo iure diocesani episcopi: Quicquid etiam alfonsus illustris dux portugalensis de iure suo uobis in eadem ciuitate concessit, uidelicet, almuniam cum suis redditibus; Quicquid iuris habetis in redditibus de eiras; Quicquid iuris habetis in redditibus molendinorum eiusdem ducis que sunt in eadem ciuitate; Duas uineas in predicto loco de eiras, liberas ab omni redditu; unam azeniam in matelas cum quatuor canariis integris; Villam de quiaios; villam de sancto romano; Villam de sancto iohanne; Omnes hereditates quas idem dux uobis concessit in aluorge et in germanelo, sicut continetur in carta ipsius ducis; Jus quod habetis in piscibus qui dicuntur sauales; Vineam quam dedit uobis fernandus petriz cum assensu eiusdem principis. Sane laborum uestrorum, quos propriis manibus aut sumptibus colitis, siue de nutrimentis uestrorum animalium nullus a uobis decimas presumat. Prohibemus quoque ut nulli fratrum uestrorum post factam professionem absque prioris tociusque congregationis permissione liceat ex eodem claustro discedere, discedentem uero absque communium litterarum cautione nullus audeat retinere. Crisma uero, oleum sanctum, consecrationes altarium seu baselicarum, ordinationes clericorum, qui ad sacros ordines fuerint promouendi, a diocesano suscipiatis episcopo, siquidem catholicus fuerit et gratiam atque communionem apostolice sedis habuerit, et ea gratis et absque aliqua prauitate uobis uoluerit exibere. Alioquin liceat uobis catholicum quemcumque malueritis adire antistitem, qui nimirum nostra fultus auctoritate quod postulatur indulgeat. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat prefatam ecclesiam temere perturbare, aut eius possessiones auferre, uel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus uexationibus fatigare, sed omnia integra conseruentur, eorum pro quorum gubernatione et sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, Salua apostolice sedis auctoritate. Ad indicium autem huius a romana ecclesia percepte libertatis, duos bizantios nobis nostrisque successoribus annis singulis persoluetis. Siqua igitur in futurum ecclesiastica secularisue persona hanc nostre constitutionis paginam sciens contra eam temere uenire temptauerit secundo tercioue commonita, si non satisfactione congrua emendauerit, potes-

tatis honorisque sui dignitate careat, reamque se diuino iuditio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sanguine dei et domini nostri iesu christi aliena fiat, atque in extremo examine districte ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco iusta seruantibus sit pax domini nostri iesu christi quatinus et hic fructum bone actionis percipiant, et apud districtum iudicem premia eterne pacis inueniat. Amen. Amen. Amen.

Ego Eugenius catholice ecclesie episcopus subscripsi.

Ego hubaldus presbiter cardinalis tituli sancte praxedis subscripsi.

Ego aribertus presbiter cardinalis tituli sanctae anastasie subscripsi.

Ego guido presbiter cardinalis tituli pastoris subscripsi.

Ego iordanus presbiter cardinalis tituli sancte susanne subscripsi.

Ego odo diaconus cardinalis sancti georgii ad uelum aureum subscripsi.

Ego gregorius diaconus cardinalis Sancti angeli subscripsi.

Ego iohannes diaconus cardinalis sancte marie noue subscripsi.

Datum apud lenense monasterium per manum guidonis sancte romane ecclesie diaconus cardinalis et cancellarius v. idus Septembris. Indictione xi. Incarnationis dominice Anno m.°c.°xl.°viii.° Pontificatus uero domini eugenii pape III. Anno iiii. Bene valete.

17. Adrianus episcopus seruus seruorum dei dilectis filiis teotonio priori ecclesie sancte crucis in colimbriensis ciuitatis suburbio site, eiusque fratribus, tam presentibus quam futuris, regularem uitam professis in perpetuum. Ad hoc uniuersalis ecclesie cura nobis a prouisore omnium bonorum deo commissa est ut religiosas diligamus personas, et beneplacentem deo religionem studeamus modis omnibus propagare: Nec enim deo gratus aliquando famulatus impenditur, nisi ex caritatis radice procedens a puritate religionis fuerit conseruatus. Ea propter, dilecti in domino filii, uestris iustis postulationibus affectione paterna gratum prebemus assensum, et ecclesiam beate crucis in qua diuinis estis obsequiis mancipati, in beati petri tutelam protectionemque suscipimus, et presentis scripti pagina communimus. Statuentes ut ordo canonicus, qui secundum deum et beati augustini regulam ibidem cooperante domino noscitur institutus, perpetuis temporibus inuiolabiliter conseruetur. Sane possessiones et bona, que eadem ecclesia in presenciarum iuste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum uel principium, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis prestante domino poterit adipiscis, uobis uestrisque successoribus, et per uos predicte ecclesie sancte crucis presenti priuilegio confirmamus. In quibus hec propriis duximus exprimenda uocabulis: Omnes uidelicet ecclesias tam in castro leirene quam in territorio ipsius castri sitas, cum omnibus ad eas pertinentibus, sicuti in carta iam dictis ducis, et in confirmatione uenerabilis fratris nostri Giliberti ulixbonensis episcopi continetur; Ecclesiam de talauero cum omnibus pertinentiis suis; Ecclesiam sancti romani; Ecclesiam sancti iohannis; Ecclesiam de Mira, cum sua libertate, quam hactenus habuisse noscuntur; Ecclesiam de quiaios; Ecclesiam de trauanca; Ecclesiam de alcarouuim; Ecclesiam de auriol; Ecclesiam de figairedo; Quicquid etiam alfonsus illustris dux portugalensis de iure suo uobis concessit in eadem ciuitate, uidelicet, almuniam cum suis redditibus; Redditus de eiras, et duas uineas ibidem liberas ab omni reddito; Partem omnium reddituum molendinorum suorum que sunt in eadem ciuitate; Unam aceniam in matelas, cum quatuor canariis integris; Villam de quiaios; Villam de sancto Romano; Villam de sancto iohanne; Omnes hereditates quas dedit uobis in aluorge et in germanelo, sicut continetur in carta eiusdem ducis; Partem omnium piscium qui dicuntur sauales; Vineam quam dedit uobis fernandus petriz, cum assensu eiusdem principis; Parrochiam quoque ad predictam ecclesiam sancte crucis pertinentem, sicuti a uenerabilibus fratribus nostris iohanne bracaren. archiepiscopo, et Bernardo colimbrien. episcopo, assentiente predicto filio nostro alfonso portugalen. duce, uobis dinoscitur esse concessum. Prohibemus etiam ut nulli fratrum post factam inibi professionem absque prioris totiusque congregationis permissione liceat ex eodem claustro discedere, discedentem uero absque communium litterarum cautione nullus audeat retinere. Siquis autem liber et absolutus ad ecclesiam uestram conuerti uoluerit, et ibidem habitum religionis assumere, siqua etiam ecclesiastica persona aliqua de bonis suis uobis pietatis intuitu conferre uoluerit, nullus audeat prohibere. Liceat insuper uobis decimas frugum uestrarum, que infra fines parrochie uestre continentur, hospitali uestro libere et absque alicuius contradictione conferre. Chrisma uero, oleum sanctum, consecrationes altarium seu baselicarum, ordinationes clericorum, qui ad sacros ordines fuerint promouendi, a diocesano suscipiatis episcopo, siquidem catholicus fuerit, et gratiam atque communionem sedis apostolice habuerit, et ea gratis et absque aliqua prauitate uobis uoluerit exhibere. Alioquin liceat uobis catholicum quemcumque malueritis adire antistitem, Qui nimirum nostra fultus auctoritate quod postulatur indulgeat. Obeunte uero te T. nunc eiusdem loci priore, uel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astucia uel uiolentia preponatur nisi quem fratres communi consensu, uel fratrum pars consilii sanioris, secundum dei timorem et beati agustini regulam prouiderint eligendum. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat prenominatam ecclesiam temere perturbare, aut eius possessiones auferre uel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus uexationibus fatigare; Sed omnia integra conseruentur eorum pro quorum gubernatione et sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, Salua sedis apostolice auctoritate et diocesanorum episcoporum canonica iusticia. Ad inditium autem huius a Romana ecclesia percepte libertatis duos bizantios annis singulis nobis nostrisque successoribus persoluetis. Siqua igitur in futurum ecclesiastica secularisue persona hanc nostre constitutionis paginam sciens contra eam temere uenire temptauerit, secundo tercioue commonita si non satisfactione congrua reatum suum correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se diuino iuditio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sanguine dei et domini nostri iesu christi aliena fiat, atque in extremo examine districte ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem ecclesie sua iura seruantibus sit pax domini nostri iesu christi quatinus et hic fructum bone actionis percipiant, et apud districtum iudicem premia eterne pacis inueniant. Amen. Amen. Amen.

Ego adrianus catholice ecclesie episcopus subscripsi.

Ego hubaldus presbiter cardinalis tituli Sancte praxedis subscripsi.

Ego iohannes presbiter cardinalis sanctorum iohannis et P. tituli Pamachii subscripsi.

Ego guido diaconus cardinalis sancte marie in porticu subscripsi.

Ego bonadies diaconus cardinalis sancti angeli subscripsi.

Ego Arditio diaconus cardinalis sancti theodori subscripsi.

Ego boso diaconus cardinalis sanctorum cosme et damiani subscripsi.

Datum Signie per manum Rolandi sancte romane ecclesie presbiteri cardinalis et cancell. vi. idus augusti Indictione v. Incarnationis dominice Anno m.°c.°l.°vii.° Pontificatus uero domini Adriani pape IIII. Anno Tertio.

Karta dimissionis giliberti ulixbonensis episcopi de ecclesiastico leirene et terminis eius.

18. In nomine patris et filii et spiritus sancti Amen. Ego gilibertus dei gratia ulixbonensis episcopus, cum consensu canonicorum meorum, pro amore dei et rogatu illus-

trissimi regis portugalensis domni alfonsi et uxoris illius nobilissime regine domne mahalde, et etiam amore religiosorum uirorum qui habitant in monasterio sancte crucis, quod est situm in suburbio colimbrie, concedo et concedendo confirmo predicto monasterio, et canonicis ibidem degentibus in perpetuum, illud testamentum de iure ecclesiastico leirene quod prefatus rex eidem monasterio contulit, sicut in serie testamenti ipsius regis continetur. Nulli ergo successorum meorum liceat hanc nostram firmam concessionem in aliquo perturbare seu minuere, uel super hoc monasterium illud aut personas illius aliquibus uexationibus fatigare, sed omnia supradicta firma et illibata in perpetuum permaneant usibus illorum quibus a nobis et a supradictis personis concessa sunt. Siqua uero ecclesiastica secularisue persona huius nostre scripture paginam sciens contra eam uenire temptauerit, secundo tercioue commonita, si non congrua satisfatione emendauerit, ream se diuino iuditio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore et sanguine domini nostri iesu christi aliena fiat amen. Facta firmissime concessionis scriptura Mense iulio. Era M.ªC.ªLXL.ªIIII.ª

Ego gilbertus ulixbonensis episcopus confirmo.
Ego bartolomeus archidiaconus confirmo.
Ego robertus decanus confirmo.
Ego benedictus cantor confirmo.

Epistola regis alfonsi ad domnum papam adrianum pro ecclesiastico leirene.

19. Domno adriano summo pontifici suo uenerabili patri Alfonsus portugalis rex quicquid patri filius et quicquid pater in utroque seculo obtari melius. Non ignoret sublimitas uestra, pater sancte, me militem uestrum et deuotum filium esse uelle, sicut fui apostolicorum qui fuerunt ante uos, et nimium uestra benedictione uelle perfrui. Ideoque attencius commendo me sanctitati simul et maiestati uestre per omnia. Nunc autem notifico sanctitati uestre monasterium sancte crucis, quod est in suburbio colimbrie, temporibus meis et a me ipso gratias deo esse fundatum, et secundum regulam beati augustini institutum, Quod quantum ego diligo uerbis exprimere nullo modo ualeo. Utpote ubi corpus meum sepeliri iubeo, et unde suffragium per beneficium orationum anime mee deo donante specialius euenire spero. Rogo itaque sanctitatem uestram, et attencius exoro, ut prefatum monasterium, quod iam olim antecessores uestri sub tutela et defensione sancte romane ecclesie suscepistis, uos quoque tamquam proprium manuteneatis, defendatis, et priuilegio quod ei utile cognoueritis contra impugnantium calumpnias pro amore dei et nostro bene et firmiter muniatis, Et quicquid ego uel alii fideles ibi deuote obtulimus scripto uestro confirmetis. Obtuli namque ego ei inter cetera totum ecclesiasticum cuiusdam castri quod uocatur leirena, Quod castrum credatis reuera me a fundamento in terra deserta construxisse et contra sarracenos qui prope erant armasse; Per illud enim mihi dedit deus sanctarem et totam terram eius per circuitum. Obtuli iccirco totum ecclesiasticum ipsius castri liberum prefato monasterio sancte crucis, per suos terminos antiquos cum omnibus que in presentiarum possidet, uel in futurum auxiliante deo possidere poterit, Quia ita prius uoueram et postea deo annuente uotum exolui; Ita scilicet ut nullus episcoporum seu aliquis hominum habeat ullam potestatem super illud ecclesiasticum, nisi tantum monasterium sancte crucis. Valeat amor uestre paternitatis, et petitionem meam rogo exaudire dignetur.

Privilegium Adriani pape.

20. Adrianus episcopus seruus seruorum dei dilectis filiis teotonio priori ecclesie sancte crucis in colimbriensis ciuitatis suburbio site, eiusque fratribus tam presentibus quam futuris regularem uitam professis in perpetuum. Ad hoc uniuersalis ecclesie cura nobis a prouisore omnium bonorum deo commissa est, ut religiosas diligamus personas, et beneplacentem deo religionem studeamus modis omnibus propagare. Nec enim deo gratus aliquando famulatus impenditur, nisi ex caritatis radice procedens a puritate religionis fuerit conseruatus. Ea propter, dilecti in domino filii, uestris iustis postulationibus affectione paterna gratum prebemus assensum, et ecclesiam beate crucis in qua diuinis estis obsequiis mancipati, in beati petri tutelam protectionemque suscipimus, et presentis scripti pagina communimus. Statuentes ut ordo canonicus, qui secundum deum et beati augustini regulam ibidem cooperante domino noscitur institutus, perpetuis temporibus inuiolabiliter conseruetur. Sane possessiones et bona que eadem ecclesia in presentiarum iuste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum uel principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis prestante domino poterit adipisci, uobis uestrisque successoribus, et per uos predicte ecclesie sancte crucis, presenti priuilegio confirmamus. In quibus hec propriis duximus exprimenda uocabulis: Omnes uidelicet ecclesias tam in castro leirene quam in territorio ipsius castri sitas, cum omnibus ad eas pertinentibus, sicuti in carta iam dicti ducis et in confirmatione uenerabilis fratris nostri Giliberti ulixbonensis episcopi continetur; Ecclesiam de talaueiro cum omnibus pertinenciis suis; Ecclesiam sancti romani; Ecclesiam sancti iohannis; Ecclesiam de mira cum sua libertate quam hactenus habuisse cognoscuntur; Ecclesiam de quiaios; Ecclesiam de trauanca; Ecclesiam de alcarouuim; Ecclesiam de auriol; Ecclesiam de figairedo: Quicquid etiam alfonsus illustris dux portugalensis de iure suo uobis concessit in eadem ciuitate, uidelicet, almuniam cum suis redditibus; redditus de eiras, et duas uineas ibidem liberas ab omni redditu; Partem omnium reddituum molendinorum suorum que sunt in eadem ciuitate; vnam aceniam in matelas cum quatuor canariis integris; villam de quiaios; villam de sancto romano; villam de sancto iohanne; Omnes hereditates quas dedit uobis in aluorge, et in germanelo, sicut continetur in carta eiusdem ducis; Partem omnium piscium qui dicuntur sauales; Vineam quam dedit uobis fernandus petriz cum assensu eiusdem principis; Parochiam quoque ad predictam ecclesiam sancte crucis pertinentem, sicuti a uenerabilibus fratribus nostris iohanne bracarensi archiepiscopo et bernardo colimbriensi episcopo, assentiente predicto filio nostro alfonso portugalensi duce, uobis dinoscitur esse concessum. Proibemus etiam ut nulli fratrum post factam in ibi professionem, absque prioris tociusque congregationis permissione, liceat ex eodem claustro discedere; Discedentem uero absque communium litterarum cautione nullus audeat retinere. Siquis autem liber et absolutus ad ecclesiam uestram conuerti uoluerit, et ibidem habitum religionis assumere, siqua etiam ecclesiastica persona aliqua de bonis suis uobis pietatis intuitu conferre uoluerit, nullus audiat prohibere. Liceat insuper uobis decimas frugum uestrarum, que infra fines parrochie uestre continentur, hospitali uestro libere et absque alicuius contradictione conferre. Chrisma uero, oleum sanctum, consecrationes altarium seu basilicarum, ordinationes clericorum, qui ad sacros ordines fuerint promouendi, a diocesano suscipiatis episcopo, siquidem catholicus fuerit et gratiam atque communionem sedis apostolice habuerit, et ea gratis et absque aliqua prauitate uobis uoluerit exhibere. Alioquin liceat uobis catholicum quemcumque malueritis adire antistitem, Qui nimirum nostra fultus auctoritate quod postulatur indulgeat. Obeunte uero te T. nunc eiusdem loci priore, uel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet subreptionis astutia uel uiolentia preponatur, nisi quem fratres communi consensu uel fratrum pars consilii sanioris secundum timorem et beati augustini regulam prouiderint eligendum. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat prenominatam ecclesiam temere perturbare, aut eius possessiones auferre, uel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus uexationibus fatigare, sed omnia integra conseruentur eorum pro quorum gubernatio-

ne et sustentatione concessa sunt usibus omnibus profutura, Salua sedis apostolice auctoritate et diocesanorum episcoporum canonica iustitia. Ad indicium autem huius a romana ecclesia percepte libertatis, duos bizantios annis singulis nobis nostrisque successoribus persoluetis. Siqua igitur in futurum ecclesiastica secularisue persona hanc nostre constitutionis paginam sciens contra eam temere uenire temptauerit, secundo tercioue commonita, si non satisfactione congrua reatum suum correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sanguine dei et domini nostri iesu christi aliena fiat, atque in extremo examine districte ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem ecclesie sua iura seruantibus sit pax domini nostri iesu christi, quatinus et hic fructum bone actionis percipiant, et apud districtum iudicem premia eterne pacis inueniant. Amen. Amen. Amen.

Ego adrianus catholice ecclesie episcopus subscripsi.

Ego hubaldus presbiter cardinalis tituli sancte praxedis subscripsi.

Ego iohannes presbiter cardinalis sanctorum iohannis et P. tituli Pamachii subscripsi.

Ego guido diaconus cardinalis sancte marie in porticu subscripsi.

Ego bonadies diaconus cardinalis sancti angeli subscripsi.

Ego ardicio diaconus cardinalis sancti theodori subscripsi.

Ego boso diaconus cardinalis sanctorum cosme et damiani subscripsi.

Data Signie per manum Rolandi sancte Romane ecclesie presbiteri cardinalis et cancell. VI. idus augusti Indictione V. Incarnationis dominice Anno M.°C.°L.°VII. Pontificatus uero dompni Adriani pape IIII. Anno Tertio. Bene valete.

Epistola domni adriani pape ad regem domnum alfonsum.

21. Adrianus episcopus seruus seruorum dei Dilecto filio nobili uiro A. portugalensium duci salutem et apostolicam benedictionem. Quia plurimum de animi tui deuotione et mentis sinceritate confidimus pro uiris religiosis et diuino cultui mancipatis preces magnitudini tue porrigere minime dubitamus. Inde est quod dilectos filios nostros, canonicos uidelicet ecclesie sancte crucis de colimbria, nobilitati tue propensius commendantes, rogamus, monemus, et exhortamur in domino atque in remissionem tibi peccatorum iniungimus quatinus pietatis intuitu, et pro reuerentia beati Petri ac nostra, predictis canonicis largitatis tue beneficia subministres, et eos qui in commissa tibi terra existunt, et domum ipsorum diligas, manuteneas, ac defendas, Eandem quoque domum helemosinis tuis sustentare studeas, et quibus modis cum deo poteris ampliare prouisurus attentius ut bonum quod ei facere incepisti, meliore fine concludas. Data Sutrii XVIII. kal Julii.

Karta libertatis Micahelis col. episcopi, et canonicorum sedis sancte marie de monasterio sancte crucis.

22. In nomine patris et filii et spiritus sancti amen. Ego michael dei gratia colimbriensis episcopus sciens, ut ait beatus gregorius, ualde necessarium et honestum esse deo seruientium quieti prospicere atque de eorum perpetua securitate tractare, et attendens nichilominus colimbriense monasterium sancte crucis a sacrosancta romana ecclesia, que caput et mater est omnium ecclesiarum, per dei gratiam integram libertatem habere, laudo et confirmo; Et cum consensu meorum canonicorum spontanea uoluntate confirmamus libertatem uobis, scilicet, domno iohanni eiusdem monasterii priori, et ceteris fratribus tam presentibus quam futuris in eodem monasterio regularem uitam professis in perpetuum. Quatinus et conseruantes in dei seruitio gratia ipsius suffragante mente libera perseuerent, et ordo canonicus, qui secundum deum et beati augustini regulam ibidem cooperante domino noscitur institutus, perpetuis temporibus inuiolabiliter conseruetur. Confirmamus igitur et firmiter statuimus ut idem monasterium cum suis parrochiis et parrochianis et confratribus ab omni episcopali iure et exactione omnino sit liberum. Quascumque etiam possessiones et quecumque bona eadem ecclesia in presentiarum possidet et possidebit, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum uel principum, oblatione fidelium, prestante domino poterit adipisci, uobis uestrisque successoribus, et per uos predicte ecclesie sancte crucis, presenti pagina confirmamus. In quibus hec duximus propriis exprimenda uocabulis: Omnes uidelicet ecclesias in castro leyrene et in terminis eius, sicut continetur in testamento regis; Ecclesias sancti romani et sancte marine de sena; ecclesiam sancti iohannis de alcoba; Ecclesiam de mira; Ecclesiam de talaueiro, et ecclesias illas quas in uestris nouis populationibus edificaueritis; Quicquid etiam alfonsus illustris rex portugalensis uobis dedit. Sane laborum uestrorum, quos propriis manibus aut sumptibus colitis, siue de reditibus uestrarum hereditatum seu uillarum nec ego nec aliquis episcoporum, qui in hac sede post me sessuri sunt a uobis decimas exigere presumat. Siquis ad ecclesiam uestram conuerti uoluerit et ibidem habitum religionis assumere, nullus audeat prohibere. Sepulturam quoque eiusdem loci liberam esse concedimus, ut uidelicet quicumque clericus siue laicus se illic sepeliri deliberauerit eius deuotioni et extreme uoluntati nullus obsistat, nisi forte antea pro aliqua rationabili causa fuerit excomunicatus, ita tamen ut de suis bonis ecclesie sue partem faciat. Crisma quoque, oleum sanctum, consecrationis altarium seu baselicarum, ordinationes clericorum gratis et absque ulla prauitate nos uobis semper exibeamus. Nec habeat ibi episcopus quamlibet potestatem imperandi uel prohibendi, uel aliquam ordinationem quamuis leuissimam faciendi, nisi fuerit rogatus, quatinus canonici semper maneant in maiorum suorum perfecta libertate. Et siqua forte causa inter hoc monasterium et nostram sedem euenerit, et pacifice inter se non potuerit terminari, apud religiosos uiros deum timentes sine uoluntaria dilatione finiatur. Hanc ergo scripture huius paginam omni in futurum tempore ab omnibus successoribus nostris firmam statuimus illibatamque seruari, ut remotis cunctis uexationibus diuinum opus cum summa animi deuotione perficiant, et ut in orationibus et beneficiis eiusdem monasterii partem semper habeamus, et ut episcopi et priores huius sedis specialiter in martirologio uestro conscribantur, et pro omnibus canonicis in unoquoque anno communis commemoratio fiat. Siqua amodo ecclesiastica secularisue persona sciens huius decreti paginam contra eam temere uenire, seu in aliquo disturbare uel minuere temptauerit, secundo tercioue commonita, si non satisfactione congrua emendauerit, ream se diuino iudicio de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore et sanguine domini nostri iesu christi aliena fiat, atque in extremo examine destricte ultioni subiaceat. Cunctis autem predicto monasterio sua iura seruantibus sit pax domini nostri iesu christi quatinus et hic fructum bone operationis percipiant, et apud districtum iudicem premia eterne pacis inueniant. Amen. Facta libertatis carta mense marcio Era M.°CC.° Regnante ildefonso portugalensi rege, comitis enrici et regine tarasie filio, magni quoque regis alfonsi nepote confirmante.

Ego predictus rex alfonsus confirmo.

Ego sanctius filius eius confirmo.

Ego orraca filia eius confirmo.

Comes uelascus.	Nuno uetulus.
fernandus uermudi.	Petrus pelagii.
Gundisaluus de sausa.	Pelagius zapata.
Sanctius nuniz.	Petrus fernandiz.

Mozo uenegas.	Petrus gutieriz.
Egeas fafiz.	Johannes midiz.
Gundisaluus de maranion.	Martinus nuniz.
Ermigius moii.	Petrus nuniz.
Suarius uenegas.	

Ego iohannes bracarensis archiepiscopus confirmo.
Ego michael indignus episcopus colimbriensis conf.
Ego petrus silua sedis sancte marie prior conf.
Ego dominicus presbiter archidiaconus conf.
Ego michael presbiter et cantor conf.
Ego petrus iohannis presbiter conf.
Ego martinus presbiter sacrista conf.
Ego ciprianus presbiter conf.
Ego tello presbiter conf.
Ego ciprianus presbiter conf.
Ego godinus presbiter conf.
Ego christoforus presbiter conf.
Ego martinus presbiter conf.
Ego suarius petri presbiter conf.
Ego dominicus presbiter conf.
Ego petrus martini presbiter conf.
Ego sisnandus presbiter conf.
Ego petrus presbiter archidiaconus conf.
Ego tello pelagii presbiter conf.
Ego iohannes presbiter capellanus conf.
Ego gundisaluus presbiter conf.
Ego magister laurencius presbiter conf.
Ego suarius presbiter conf.
Ego petrus saluatori presbiter conf.
Ego petrus iohannis diaconus conf.
Ego suarius diaconus conf.
Ego petrus diaconus conf.
Ego fernandus diaconus conf.
Ego petrus belidiz diaconus conf.
Ego petrus sancii diaconus conf.
Ego petrus subdiaconus conf.
Gualteiro abbas de moreirola affuit.
Vilelmus abbas de ualle bono affuit.
Giraldus abbas de tarauca affuit.
Petrus abbas sancti saluatoris de turre affuit.
Cresconius abbas de cabanas affuit.
Johannes electus laurbanensis affuit.
Didacus abbas de petroso affuit.
Michael abbas sancti christofori affuit.
Martinus abbas de seiza affuit.
Monachi de alcubacia.
Petrus alfonsus affuit.
Petrus miquilin affuit.
Petrus iohannis affuit.
Petrus uenegas ulixbone pretor.
Gundisaluus gundisalui.
Suarius pelaiz.
Guian pretor de sanctaren.
Petrus gallecus.
Ticion arkarius colimbrie testis.
Martinus anaie testis.
Martinus zouparel testis.
Fernandus gunzaluiz testis.
Saluatus gunzaluiz testis.
Menendus gunzaluiz testis.
Petrus randulfiz testis.
Fernandus fernandi testis.
Petrus pelagii et simeon pelagii testis.
Alfonsus roderici et gundisaluus roderici testis.
Fernandus roderici testis.
Saluatus uenegas testis.
Pelagius petri Et uermudus petri testis.
Menendus albus erat economus colimbrie.
Petrus uenegas iusticia.

Scripta per manus pelagii diaconi canonici sancte crucis, Roborata et confirmata in capitulo sancte crucis presente rege et omnibus suprascriptis et aliis multis hominibus.

Epistola michaelis col. episcopi domno alexandro pape.

21. Domno et in christo uenerabili alexandro, dei gratia tocius sancte ecclesie summo uniuersali pontifici, Michael licet indignus col. episcopus debitam in christo reuerentiam. Licet a uestre dulcissime paternitatis presentia longe remotus, et in finibus mundi positus, et expeditionum frequentia, aliisque compluribus regis et episcopii negociis exauctus et impeditus, uestre tante sublimitati prout decet obsequi non ualeo, nullus tamen uestro lateri adherentium me libentior uestre deseruiret sanctitati, si diuina fauente clementia mihi facultas subpeteret. Sic enim his undique coartor ut uix ad ea explenda sufficere queam; Sed quod possum me licet indignum pariter, et mea tanto patri sancteque romane ecclesie deuotissime subicio, et obedientiam ac reuerentiam tanquam specialis filius uotis omnibus exibeo, et quantum ualeo deum precibus postulare non cesso, quatinus contra aduersarios uestros clipeo sue protectionis uos muniat, et pro persecutionis procella oblata tranquillitate potiri faciat. Cum igitur constet me uestrum ita deuotum esse filium, monasterium sancte crucis, quod in seruitio dei fundatum, et sancte romane ecclesie in cameram est deo gratias constitutum, modis omnibus propter uos toto mentis affectu honoro, et quia dei munere sanctam ibi uigere religionem, et magis magisque cotidie lucere conspicio, locum eundem specialiter diligo. Unde et eiusdem loci quieti prouidens, gratia uestri seruorumque dei inibi commorantium precibus inclinatus spontanea uoluntate, cum consensu meorum canonicorum, libertatis litteras illis dignum facere duxi. Quapropter benignitatem uestram suppliciter exoro ut quecumque scripta pro utilitate eiusdem ecclesie predecessores uestri suis priuilegiis confirmauerunt, uos quoque confirmetis et uigorem illarum litterarum, quas illis feci, uestro priuilegio sanctiatis, et siquid beneficium superaddideritis gratum deo erit, et ego et canonici mei deo et uobis inde grates incessanter persoluemus.

Epistola domni al. regis domno alexandro pape.

22. Sanctissimo patri et domno, summe et apostolice sedis per dei gratiam pontifici, alexandro alfonsus, eadem gratia portugalensium rex, quod deuotissimus obtimo patri. Satis superque satis nouit uestre paternitatis sublimitas me uestre sanctitatis ita esse filium specialem ut aut nullum penitus, aut uix aliquem mihi per omnia habeatis consimilem. Alii enim imperatores, reges, duces, principes, ceterique potentes a parentibus propriis terras de iure beati Petri acceperunt, cum quibus celsitudini uestre et romane curie obsecuntur. Ceterum aut nulla superaditiunt, aut siqua a barbaris nationibus lucrantur, seu tanquam proprie potestati adiciunt. Ego autem cum his que de possessionibus parentum meorum per dei gratiam mea industria adquisiui, beato Petro fideliter seruiens plura quam haberem per eius auxilium sarracenis abstuli, unde et ea libens apostolico patrimonio adieci animo gerens strenuus beati Petri miles existere, et uestre paternitatis semper iussionibus obedire. Cum igitur constet me specialibus ceteris regibus uestre celsitudine adherere, tamen, ut in regno meo immo specialiter uestro aliquid uobis specialissimum offerrem, ecclesiam sancte crucis in cameram uobis fundaui, uestreque iamdudum singulariter protectioni obtuli. Et quia dei munere sanctam religionem ibi uigere conspicio, locum eundem specialiter diligo, et quantum in me est premunire et circumuallare uolo et studeo. Et dum mihi uita per dei gratiam comes fuerit, certus sum quod prefata ecclesia nichil aduersi ab aliqua ecclesiastica siue laicali persona sustinebit, quia meum superintendere rei quam obtuli amore beati Petri cui oblu-

li. Ut autem ecclesia eiusdem loci perpetua securitate consistat, ego quoque in perpetuum securus reddar, benignitatem uestram obnixius obsecro ut quecumque scripta a me uel ab episcopis canonici eiusdem ecclesie habent roboretis, peticionibusque eorum effectum benigne tribuatis, et quecumque pro utilitate eiusdem ecclesie predecessores uestri suis priuilegiis confirmarunt, uestro priuilegio sanctiatis ut contra omnem ecclesiasticam siue laicalem personam inquietandi eundem locum per uestra munimina omnis aditus in perpetuum obstruatur. Valeat semper uestre sublimitatis paternitas.

Priuilegium domni alexandri pape.

23. Alexander episcopus seruus seruorum dei dilectis filiis iohanni priori ecclesie sancte crucis, in colimbriensis ciuitatis suburbio site, eiusque fratribus tam presentibus quam futuris regularem uitam professis in perpetuum. Ad hoc uniuersalis ecclesie cura nobis a prouisore omnium bonorum deo commissa est ut religiosas diligamus personas, et beneplacentem deo religionem studeamus modis omnibus propagare. Nec enim deo gratus aliquando famulatus inpenditur, nisi ex caritatis radice procedens a puritate religionis fuerit conseruatus. Ea propter, dilecti in domino filii, uestris iustis postulationibus affectione paterna gratum prebemus assensum, et ecclesiam beate crucis, in qua diuinis estis obsequiis mancipati, in beati petri tutelam protectionemque suscipimus, et presenti scripti pagina communimus. Statuentes ut ordo canonicus, qui secundum deum et beati augustini regulam ibidem cooperante domino noscitur institutus, perpetuis temporibus inuiolabiliter conseruetur. Sane possessiones et bona, que eadem ecclesia in presentiarum iuste et canonice possidet, aut in futurum concessione pontificum, largitione regum uel principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis prestante domino poterit adipisci, uobis uestrisque successoribus, et per uos predicte ecclesie sancte crucis, presenti priuilegio confirmamus. In quibus hec propriis duximus exprimenda uocabulis: Quicquid uidelicet alfonsus illustris dux pertugalen. de iure suo uobis concessit in eadem ciuitate, iudelicet, almuniam cum suis redditibus; Redditus de eiras et duas uineas ibidem liberas ab omni redditu; Partem omnium redditum molendinorum suorum, qui sunt in eadem ciuitate; Unam acceniam in matelas cum quattuor canariis integris; Villam de quiaios; Villam de sancto romano; Villam de sancto iohanne; Omnes hereditates quas dedit uobis in aluorge, et in germanelo, et in atheania; vallem que dicitur algizir per suos terminos; Insulam quoque que dicitur oueiroa; Illas etiam hereditates quas dedit in thamugia, et in sanctaren, et in sintria, in alkanedi, sicut continetur in cartis eiusdem ducis; Partem omnium piscium qui dicuntur sauales; Uineam quam dedit uobis fernandus petri cum assensu eiusdem principis; Parrochiam quoque ad predictam ecclesiam sancte crucis pertinentem, sicuti a uenerabilibus fratribus nostris iohanne bracarensi archiepiscopo, et bernardo colimbriensi episcopo, assentiente predicto filio nostro alfonso portugalense duce, uobis dinoscitur esse concessum. Prohibemus etiam ut nulli fratrum, post factam inibi professionem, absque prioris tociusque congregationis promissione liceat ex eodem claustro discedere; Discedentem uero absque communium litterarum cautione nullus audeat retinere. Siquis autem liber et absolutus ad ecclesiam uestram conuerti uoluerit, et ibidem habitum religionis assumere, siqua etiam ecclesiastica persona aliqua de bonis suis uobis pietatis intuitu conferre uoluerit, nullus audeat prohibere. Crisma uero, oleum sanctum, consecrationes altarium seu basilicarum, ordinationes clericorum, qui ad sacros ordines fuerint promouendi, a diocesano suscipiatis episcopo, siquidem catholicus fuerit et gratiam atque communionem sedis apostolice habuerit, et ea gratis et absque aliqua prauitate uobis uoluerit exhibere. Alioquin liceat uobis catholicum quemcunque malueritis adire antistitem, Qui nimirum nostra fultus auctoritate quod postulatur indulgeat. Obeunte uero te iohanne nunc eiusdem loci priore uel tuorum quolibet successorum nullus ibi qualibet subreptionis astucia uel uiolentia preponatur nisi quem fratres communi consensu uel fratrum pars consilii sanioris secundum dei timorem et beati augustini regulam prouiderint eligendum. Preterea libertatem illam quam Michael colimbriensis episcopus uobis et ecclesie uestre concessit, et scripto proprio roborauit, uobis auctoritate apostolica confirmamus. Statuit siquidem ut eadem ecclesia cum suis parrochiis, et parrochianis, et confratribus, ab omni episcopali iure et exactione omnino sit libera. Nec quilibet colimbriensis episcopus in ecclesia uestra quamlibet habeat potestatem imperandi uel prohibendi, aut aliquam ordinationem, quamuis leuissimam, nisi rogatus fuerit, faciendi, quatenus canonici semper in maiorum suorum perfecta libertate permaneant. Et siqua forte causa inter uestram et sedem episcopalem emerserit, et pacifice inter uos non poterit terminari, apud religiosos uiros deum timentes sine dilatione frustratoria finiatur. Hec autem omnia et alia que predictus episcopus uobis concessit, sicut in eius scripto autentico continetur, uobis prout dictum est auctoritate sedis apostolice confirmamus. Insuper omnes ecclesias in castro leirene, et in confiniis eius constitutas, Ecclesias quoque sancti romani et sancte marine de sena, Ecclesiam sancti iohannis de alcoba, Ecclesiam de mira, Ecclesiam de talaueiro, que omnes in episcopatu colimbriensi consistunt, et omnes illas ecclesias, quas in uestris nouis populationibus in predicto colimbriensi episcopatu uos edificare contigerit, in ea libertate decernimus permanere, quam colimbriensis episcopus eis noscitur contulisse. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat prenominatam ecclesiam temere perturbare, aut eius possessiones auferre, uel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus uexationibus fatigare; Sed omnia conseruentur eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, Salua sedis apostolice auctoritate. Ad indicium autem huius a romana ecclesia percepte libertatis, duos bizantios annis singulis nobis nostrisque successoribus persoluetis. Siqua igitur in futurum ecclesiastica secularisue persona hanc nostre constitutionis paginam sciens, contra eam temere uenire temptauerit, secundo tercioue commonita, si non satisfactione congrua reatum suum correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se diuino iuditio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sanguine dei et domini nostri iesu christi aliena fiat, atque in extremo examino districte ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco sua iura seruantibus sit pax domini nostri iesu christi. Quatinus et hic fructum bone actionis percipiant, et apud districtum iudicem premia eterne pacis inueniant. Amen. Amen. Amen.

Ego Alexander Catholice Ecclesie Episcopus subscripsi.
Ego bernardus portuensis et sancte rufine episcopus subscripsi.
Ego Gualteirus albanensis episcopus subscripsi.
Ego henricus presbiter cardinalis tituli sanctorum Nerei et achillei subscripsi.
Ego Johannes presbiter card. tituli sancte Anastasie subscripsi.
Ego Guillelmus presbiter card. tituli sancti petri ad uincula subscripsi.
Ego Jacintus diaconus card. sancte marie in cosmydyn subscripsi.
Ego Ardicio diaconus card. sancti theodori subscripsi.
Ego Boso diaconus card. sanctorum cosme et damiani subscripsi.
Ego Cinthius diaconus card. sancti Adriani subscripsi.
Ego Petrus diaconus card. sancti Eustachii iuxta templum agrippe subscripsi.
Ego Manfredus diaconus card. sancti Georgii ad uellum aureum subscripsi.

Datum Bituricis per manum Hermanni Sancte Romane Ecclesie Subdiaconi et Notarii XVII. kal Septembris. In-

dictione XI. Incarnationis dominice Anno M.°C.°LX.°III.° Pontificatus uero domini Alexandri pape III. Anno Quarto. Bene Valete.

Karta terminorum parrochie sancte crucis.

24. Isti sunt termini parrochianorum de monasterio sancte crucis, quos iohannes peculiaris archiepiscopus bracarensis, et bernardus colimbriensis episcopus cum roderico pretore colimbrie, et gundisaluuo diaz, et Martino anaia, et suario goterriz, et menendo arcaldi, et randulfo zoleimaz, et pelagio guoterri, et saluatore zoleimaiz, et fernando guoterri, et martino zouparel, et menendo pelaiz, et fromariguo guoterriz, tunc temporis maiordomo ciuitatis, et petro menendiz iudice, et multis aliis ciuibus colimbrie determinauerunt per mandatum infantis portugalis domni alfonsi, qui tunc colimbrie erat: Ab africo terminantur per ripam iudeorum descendendo per casas gundisalui transuersi ad casam G. golias per illam almocouaram iudeorum ad almuniam regis, que tota includitur cum suis terminis et parietibus antiquis, sicut eam rex dedit monasterio sancte crucis; Et in fine ipsius almunie, includitur etiam ab africo illa hereditas que fuit saluatoris zuleime, et nunc est hereditas propria sancte crucis, et peruenit terminus ad illam aliam almuniam regis, ibique terminatur in occidente. Ab aquilone uero uersus orientem terminus descendit per uiam antiquam que uenit de columbario petri alpoi per illum furnum ad portam mauriscam, Et a porta maurisca includit hereditatem martini alfarde et peruenit ad correntem de balneis regiis, et inde descendit ad prefatam aliam almuniam regis inferiorem, ibique finitur terminus a septentrionali parte in occidente. Item ab ortu solis ascendit a predicto columbario per crepidinem montis rubei ad uineam petri alpoi, que nunc est de monasterio sancte crucis; Et inde emergit propemodum usque ad fontem iudeorum, unde per directum uersus eurum tendit ad murum ciuitatis, ibique terminatur super portam nouam. Jam quiquid aliud est usque ad gunsaluum transuersum uiccus iudeorum separat. Facta est autem hec discriptio siue determinatio inter parrochianos sancte crucis et inter parrochianos sancti iacobi et sancte iuste. Era M.ªC.ªLXX.ªII.ª Mense iunio. Regnante illustrissimo infante domno alfonso, et tunc archiepiscopo brac. domno iohanne peculiari, et domno b. col. episcopo, priore sedis sancte marie domno iohanne ania. Tempore domni theotonii primi prioris monasterii sancte crucis. Anno ab incarnatione domini Millesimo C.°XXX.°VII.° Petrus presbiter notuit.

VIDA DE D. TELLO E NOTICIA DA FUNDAÇÃO DO MOSTEIRO DE S. CRUZ DE COIMBRA.

(Versão do seculo XV.*)*

Jhesus. Aqui se compeça a obra que fala do fundamento do moesteiro de Santa cruz de coimbra, e quaaes foram aquelas pesoas que esto ordenarom, e fala mais da uida de dom telo e doutros homens seus conpanheyros. E esta obra esta em latim no liuro dos erdamentos de santa cruz, e foi tornado em lingoagem, porque o entendesem muitos, a requerimento de pedre annes prior de podentes, irmãao de afonse anes conigo de Santa cruz. E esto foy em tempo de dom gomez prior de santa cruz, homem de santa vida, que primeiro foy abade de frorença. E esta treladaçom fez de latim em lingoagem mestre aluaro da mota da ordem dos pregadores, o maior leterado da ordem, estando em santa cruz com o prior dom gomes no anno de LV no mes de nouembro.

No anno da emcarnaçom de noso Senhor ihesu christo de mil e cento e XXXI no II anno em tempo de dom luis Rey de frança era partida a espanha em tres partes. Auia hy tres senhores: em as partes mays altas, convem a saber, aragom, navarra ataa o monte que chamam auta, regiaas Rey dom afonso mui casto e em as armas mui fazedor, E tirou muitas terras do poderio dos mouros: e a terra mais pequena, convem a saber, purtugall com coimbra, regiaa dom afomso filho do conde dom enrique e da rainha dona tareija: e as partes meays e moores, convem a saber, castella com suas estremaduras e galiza regiaa dom afomso o grande emperador, filho do conde dom Reymom e da rainha dona orraqua, seendo arcebispo em bragaa dom paayo, e bispo em coinbra dom bernardo. E em este tempo dom tello arcediagoo em coinbra ajuntou asy companhia de boos homes ata XII, e fundou o moesteiro de santa cruz no arrabalde da cidade de coinbra, o qual fundou asy como de nada.

Agora nos auemos de consirar que a nos seria mall contado, e mereceriamos reprensom diante de deus e dos homens, se non desemos a memoria e escreuesemos tam nobre feito como este. E me parece que he cousa de merecimento mui dina, e he de notar por certas razõoes, a primeira porque em estas partes he feita marauilhosa e santa renouaçom da fe apostolica, e fremusura proueitosa de booas obras e boos custumes.

Em este moesteiro todos os conigos regantes acharom exenpro de bem viver, porque de proprio vãao ao comum, e da profundeza dos pecados acendam a torre das virtudes, e que se esforcem resurgir da morte a uida. E asy o diz appostolo Sam Joham na sua canonica primeira no capitolo II.°: nom queiras amar ho mundo, nem as cousas que no mundo som.

A uida de dom telo.

Dom telo arceriagoo da see de coinbra seu padre se dezia odorio e sua madre eugenia. Dom telo foy pesoa mui onesta, do começo este mancebo começou seer mui deuoto, prudente em nos seus feitos, comprido de muita onestidade sobre todos os da sua idade. Era de grande corpo, a face muito honrrada, fremoso de uista, mais muito mais fremoso em na alma. Prezava se de muita onestidade e nom de louçaynha do mundo. Honrraua muito os maiores, comdescendia ao que diziam os pequenos e mais baixos. Era muito fiel aos senhores. Falaua mui bem a todos. Justo e piedoso com muita misericordia. Casto em no corpo, casto em na alma mui limpo. Era seguro de humildade. Era cheeo de muita sabedoria. E em clara prudencia cheeo de boos custumes, pelo quall era muito amado na familieridade dos principes, e maiormente daquele que entom era bispo de coinbra dom mauricio, o qual dom mauricio bispo lhe rogou que fose com elle a terra santa de Jerusalem, e a seu rogo foy com elle, e tomou cargo de toda sua cassa pelo caminho e asy estada e uiinda, e tardarom em este feito foram tres annos. E em jerusalem virom os lugares santos e muitos mosteiros de diuersas religiõoes de uiuer. E marauilhousse dom telo de taaes coussas, e daua muitas santas graças a deus que as asy ordenara. O quall Senhor deus he muito alto bem, e quem o tem por sy nom lhe mingoa nem huma coussa. E estando asy dom telo em esta contenpraçom veeo a dizer com grande sospiro: heu me, quia incolatus meus prolonguatus est: que sera de mim, porque a minha morada he prolonguada. Despois maginou quaaes forom os fundadores de jerusalem, e disse que foy christo a cabeça, e os apostolos forom os nenbros, a saber: pedro e paulo e outros que foram XII per todos. E quedou dom telo muito alegre pollos moesteiros e ordenanças que uira dos dictos moesteiros. E notou mui bem quaays erom oficios dos prepostos, e achou que o preposto deue gardar as voontades dos suditos por exempro e liçom da santa escriptura, porque o lobo emvisiuel non ache porta pera emtrar em no curral das ouelhas de deus e furtar daly alguma ouelha. E ainda mais o preposto deue insynar aos suditos como ham de obedeecer em a obe-

diencia humildosa e deuota. Ainda mais aos mocos guarda mui estreita, porque a sua idade que he inclinada a mall seria guardada, e as liçõoes e doutrina mui usada e frequentada. Mais emsinar aos maiores sogeiçom deuota. Os uelhos ajam de soffrer em paciencia dos pequenos com misericordia. Ainda mais deue a insynar o preposto caridade mui amauell. Todas estas coussas notou don telo nos moesteiros da terra santa em a quall esteuerom per tres anos. E daly se veerom a cidade de bizoncia que se chama costantinopoly, que agora tomou o turco no mes de julho de LIIII. anos. E aly esteuerom meo anno, e aly escreueo dom telo grande parte do boo regimento da boa vida, e emadeo em o regimento que tragia da terra, e acabado meo anno veeronsse pera purtugall a coinbra. E logo ouuerom nouas que se finara dom giraldo arcebispo de bragaa, e foy aleuantado e feito por arcebispo dom mauricio, que era emtom bispo de coinbra, e em coinbra foy enleito por bispo dom gonçalo. E este dom gonçalo amaua muito a dom telo e o chamaua seu coraçom. E este dom telo sempre maginaua e pensaua sobre o seu boo deseio. E bem uia ele que tiinha poder e fazenda pera fazer cassa de oraçom, e nom tiinha lugar determinado onde a fezesse, nem achaua homens de boa vida. E passaronse asy muitos annos, e o arcebispo mauricio foy papa em roma por rogo do emperador, e dom paao seu arceriagoo foy feito arcebispo de bragaa. E daly a pequeno tempo se finou dom gonçalo bispo de coinbra de huma grande emfirmidade. E logo toda a clerizia e o poboo a huma voz deserom que fosse bispo de coinbra dom telo, homem santo e de boa vida. E a rainha dona tareija trabalhaua e o conde dom fernando porque o fosse, e fora o de feito se nom fora deuissom em purtugall, seu filho da Rainha se aleuantou contra a may e conde, venceos e deitouos fora do reino em huma soo batalha, que a nos he coussa marauilhosa. E tomou logo o senhorio do reino, e em pero que era moço alguum tanto se emcaminhaua bem, e era muito cobyçoso de louuor, e crya mui de ligeiro, e daua as orelhas de boa mente a quem lhe dizia algo, e tragiam no asy como uento traz a canivce. E ueerom a ele alguuns imygus de bem uiuer e de nom boos costumes, e rogaronlhe que fezesse bispo a dom bernardo, e aqui amostrou deus como guardaua dom tello peraa tanto bem e pera fundar este santo moesteiro de santa cruz. E quando viio dom telo que era liure de tam grande peego e priigoo asy como era virtuoso trobalhaua no espiritu em que lugar faria este asentamento, porque lhe desfalicia o lugar. Veera entom huum mancebo, que se dizia Joham ouelheiro, o quall em seu nome e sobrenome demostraua as ouelhas de deus. E este ueera de françа, e per boo regimento e comselho ordenou huma booa cassa de religiom em sam christouam. E quando o arceriagoo ouuio contar tanto bem deste boom mancebo, emviio por elle, e lhe descobrio toda a sua voontade e todo seu proposito, e diselhe que nom viia milhor que aqui nos banhos que se dizem delRey no arrabalde que era asaz suficiente e mui conuinhauell, mais como se podese auer e aqualçar ha mester grande conselho, e que elle nom sabia maneira em como. E disse dom telo a Joham ouelheiro: eu te digo irmãao que eu pedy este lugar a rainha, e nom mo outorgou porque ela estaua toruada e as cousas nom se faziam aa sua voontade, e ela nom era de todo em sua liberdade.

Prouue a deus que veeo tempo que dom tello conprisse o seu voto e o seu boo preposito. Estando elle huum tempo em moonprile conprou huma sela mui fremosa e de boo caualgar, E caualgou huum dia em huma mula. os fidalgos do ifante virom a dita sela e louuarom na muito. E hum mui priuado do ifante sopricou ao senhor ifante que pedise aquela sela a dom telo. E quando o arceriagoo dom tello foy ao paaço viio o ifante a sela sobre a mula e olhou a bem e pidiu lha a dom tello, e o arceriagoo com mui leda voontade lha deu logo. E logo dom tello lhe pedio por mercee que lhe desse huum luguar, que estaua no arraualde, que chamauam os banhos. E o ifante dise que aueria seu conselho, alegando salamom que diz: todas as cousas faze com comselho e nom te arrependeras. E logo huum seu priuado, que se dizia ermigio, cuja alma deus aja, que esto ouuira, logo se achegou a orelha do ifante dizendo mui humildosamente: senhor, huma cousa tam pequena negaaes ao arceriagoo, que he a tanto voso seruidor. E logo o ifante lhe mandou fazer a carta dos banhos. E feita a carta dise dom tello ao ifante: senhor, eu vos quero dar huum peytorall que comresponda a sella. E o ifante tomou mui grande prazer com aquele peitorall, e dom tello com a erdade dos banhos. Comprou mais dom tello huma orta ao bispo e aos conigos da see por XXXX marauideens douro, a quall orta era junto com os banhos. E estaua em na orta huma fonte de muita augua, e aly ordenou a clasta, e quedou a fonte por lauatorio. E quando o bispo e cabidoo virom que dom tello queria ordenar moesteiro, tomarom mui grande nojo, e trabalharom per tempo com seus amigos e com dom paao arcebispo de bragaa se poderiam derribar o moesteiro de santa cruz, e diziam ao arceriagoo dom tello que nom curasse de tanta despeza, e de outras partes lhe tolhiam a sua renda e preuenda. E mais o bispo e cabidoo fezerom falsa emformaçom de dom tello a elRey que non consemtissem tal obra, que era aazo de se fazer muito mall, e viiriam aly molheres desonestas, e outras maas cousas que diziam. E o ifante quando viio tal emteeçom dos da see tomou noio e desprazer por lla emueja que auiam a dom tello, e nom curou dos ditos do bispo e cabidoo, amte mandou a dom tello que começase e fundase o moesteiro.

Como dom tello e ioham ouelheiro começarom a fundar o moesteiro e forom logo doze, e a pouco tempo forom LXXII. E sabee que este Joham ouelheiro foy despois bispo do porto, e despois arcebispo de bragaa. E foy em principio de dom todom, que era criado de dom tello e o emsinara em o oficio eclesyastico. E este dom todam foy o primeiro prior de santa cruz. Hum dos XIIX foy huum dom odorio prior de sam tiago de coinbra, e dom sisnando preposto de santa maria de monte moor, e outros muitos, cujos nomes aqui agora nom ponho, porque diante de deus som escriptos no liuro da uida.

Auida asy autoridade poserom a primeira pedra do fundamento III.[to] kalendas julii, que foy vigilia de sam pedro e de sam paulo, dizendo: tu es pedro e sobre esta pedra fundarey a minha igreia.

Podemos aqui contemprar como os banhos em que lauam os corpos agora lauam as almas dos christãaos: Oo marauilhoso mudamento que asy como estes banhos aaquele tempo lauauam os corpos, asy agora som lauadas as almas polo sangue de noso senhor iesu christo, o qual destroio as suas carnes e desnenbrou os seus nembros e espargeo e derramou o seu sangue priciosso em na virtuosa cruz por nos. Hoo prouguese a deus que aqui se quitase a lepra das almas, e praza a deus que seiam curadas pelo sangue de christo e sacramentos da nosa madre santa igreia. E asy como o bautismo laua as almas, bem asy esta casa de santa uera cruz laue as conciencias. Mui santo troco foy este, e mui santa deuaçom do que o deu e daqueles que ho obrarom e fundarom. Mui santisima perfeiçom do mui alto deus autor e defenssor de toda boa obra polo qual sera dicto: oo gloriosa cidade, sey lenbrada de raab e de babilonia, que sabem quem eu soo. Agora he tempo comvinhauel, agora som os dias da saude, e por quanto aqueles que erom com dom tello pudiam buscar luguar de peemdemca e nom o achariam tam prestes para saluaçom de suas almas. Naquele meesmo anno, dia de sam matias apostolo, comvem a saber, quarta feira de cinza, todos XIIX ajuntados tomarom relegiom e regra de santo agustinho cantando esta antifaa mui deuotamente: Inmutemur abito in cinere et cilicio, et ploremus ante dominum, quia multum misericors est dimitere pecata nostra deus noster. Que quer dizer: mudemonos em habito em cinssa e celicio, jajunemos e choremos diante do senhor, porque nosso senhor deus he muito misericordiosso pera perdoar os nossos pecados.

Estas cousas todas asy bem ordenadas acequa da voontade de deus segundo seu emtemder deles, subitamente se aleuantou huum grande arruido e aluoroço da parte dos conigos da see contra o aceriago dom telo, e contra

os seus parceiros e moesteiro de santa uera cruz, dizendo o cabidoo que lhes fezese doaçom e testamento de todas aquelas erdades e cassas, ameaçando o. E quando o arceriago vyo a tanta toruaçom foy fora de sy, e falou com seus religiosos e hirmaaos, e em caminho pera hir a roma per auer eijiçom, e esta liberdade fosse pera eles e pera todos os outros que ueesem despos eles. E ele huum dia tomou a bençom de deus e de santa cruz e chorando lagrimas tomou seu caminho a corte de Roma em tempo do papa Inocencio de segundo, e lhe deu privilegio de liberdade, comvem a saber: que santa cruz fosse isemta e liberdada, e nemhuum bispo nom teuese de veer hy ne migalha, e o papa o recebia em guarda e proteiçom inmediato a sam pedro. E de todo esto lhe mandou dar priuilegios e cartas quantas lhe foram necessarias, segodo se parece que esta aqui em no liuro na folha terceira e segue se adiante na folha quarta no capitollo que se compeça: nec satis. E tanta era a voontade do padre santo inocencio, o quall era meestre de toda inocencia e santidade, que asy como o chamauam Inocencio, asy era padre da inocencia. Mais ante que aleuantasse da seeda pontificall cumfirmou o priuilegio, E logo mandou escrepuer cartas pera o duque de purtugall, e pera o bispo de coinbra, e pera o poboo da cidade de coinbra, e foram dadas a dom tello arceriagoo homem de santa uida, as quaes erom em onrra desta santa cassa e moesteiro de santa cruz de coinbra. E o cardeall dom guido, cuio titolo era sam cosmo e damiam, ho ajudou mui rigamente com grande ardor de voontade, pelo qual nos em nosas oraçōes fazemos sempre meençom delles esperitualmente, comuem a saber: do senhor padre santo e do cardeall guido e dos nossos bemfeitores. Mais em modo o gloriosso padre santo escrepueo ao duque de purtugall tam gloriosamente podemo lho veer no priuilegio que se segue: Inocencius.

Como dom tello emcaminhou todo mui bem em Roma todas estas cousas ordenadas segundo a uoontade do arceriagoo, e feita reueremça e beigar as mãaos ao padre santo Inocencio, tornando se pera espanha com seu parceiro Joham, o quall em todas estas cousas era presente, hindo per seu caminho foram roubados dos ladrōoes. Prometera o arceriagoo hir per terra ao sepulcro de santo agustinho a pauia, e veer o seu corpo e trazer algumas reliquias pera coimbra ao moesteiro de santa cruz; e porque foram asy roubados nom foram a pauia a santo agustinho, mais todos a pee veerom ao moesteiro de sam Ruffo com grande trabalho. E prougue a deus que elles asy guardados acharom grande ajuda naquelle moesteiro, o quall he de grande religiom, E aly souberom como huum Joham migeez com outros hiam pera o matar dom tello arceriagoo e tomar lhe os priuilegios. E prouge a deus que os ladrōoes nom lhe tomarom os priuilegios. E auida grande amistança com os religiosos de sam Ruffo deu muitas santas graças que tantos boos religiosos, E aly leixarom o trassundo dos priuilegios por temor dos perigoos, E ele e Joham e domingos que foram por elles partiromse daly pera purtugall. E logo foy dicto ao arceriagoo que huum Joham migueens, que era seu imigoo, que o quisera matar, e que era finado e morrera de corremça, e seus companheiros todos morrerom. E quando joham miguēs viio a morte comsigo pidiio em huum mosteiro, que era acerqua, huum habito de monjes consyrando o grande pecado que quisera fazer. Podemos dizer deles o que se diz no salmo: aparelharom laço e fezerom coua e cairom na coua que fezerom. E ueerom com grande prazer a coinbra o aceriagoo e os seus. E da emtrada de coinbra ataa cinquo mezes emfermo o arceriagoo padre piedosso em a comgregaçom de huma infirmidade, que em arabico se diz alfara malfazalmum e nos chamamos apostema. E algumas uezes se aleuantaua da cama e andaua ordenando seu moesteiro e fazer tores e casas do moesteiro. E era solicito asy como marta acerqua do seu oficio. E asaia fora aas vezes com dom odorio seu companheyro, e comprauam erdades e uilas e cassas pera gouernança do moesteiro do seu proprio. E tiinha ja despesso em erdades quinhentos marauidiies, tirando alem deste preço muitas ofertas que dauam os fiees de deus, e auia ja despesos outros quinhentos marauidiis nas obras do moesteiro. E por quanto viia que em seus dias nom se acabaria tam grande obra, tomou huum estillo de buxo e deuisou toda a obra que auia de seer feita no moesteiro, asy como fez sam tome apostolo diuisou os paaços alRey gondofero.

E ueeo a tempo que o corpo do arceriagoo era ja mui fraquo polos grandes trabalhos que tomou, e leixou o emcargo a huum boo religioso, e ele meteu se na clasta dizendo aquelle verso: Oo deus senhor, em mim som os teus votos que darom louuores a ti. E dias e noites fazia grande pendemça em seruiço de deus e muitas lagrimas asy como a m̃adanela oferecese sacrificio por toda sua congregaçom. Oo quem pode declarar os mui altos suspiros deste santo homem. Oo quem poderia declarar tantas suas lagrimas. oo que saluços tam grandes daua o santo homem. E pemsso que nom por sy, mais por o mui grande cuidado dos religiosos deste moesteiro e mouido de mui grande caridade, a qual era em ele e o mouera a fazer esto. E posto que eu nom seja ousado de dizer e pronunciaar que este santo homem sem pecado alguum, ca pode bem seer que erom em elle pecados e deleitos de juuemtute, asy como paruices ou pecados per inorancia ou fraqueza humanall, Em pero ele foy mui perfeito em sy do começo da sua mocedade, segundo verees em este capitulo segundo.

Dom tello sopricou a elRey e aa rainha que desem a huum clerigo de santa uida, que chamauam martinho e era naturall darouca, e fora cryado em bragaa. Este boo homem em soure com os caualeiros do tempro pelejarom contra os mouros que estauam em Santarem, e foy presso o dicto martinho em poderio dos mouros, E com grande paci andaua em as cadeas dos mouros, e despois foy leuado a euora, e daly em poder dos mouros a syuilha, e despois a cordoua foy leuado e aly morreo martir de Jesu christo. E esto acharas no liuro do moesteiro que fala das erdades aas XLVIII.^to^ folhas em boo latim. E esto acalçou sam martinho por rogo de dom tello. Onde deues saber da perfeiçom de dom tello que foy este santo homem mui dotado em estas coussas e prerogatiuas que se seguem: foy mui casto do seu principio de uiuer ataa a sua fim, e mui amador da castidade, espelho e humildade de uirtude, uerdadeiro afirmador da uerdade, gardador da obediemcia, mui alegre nas perseguições, nas tribulações mui paciente, comseruador da fe, esperar em deus com mui grande fiuza, Recebedor gracioso dos ospedes asy como loth, esprandecente por justiça asy como Isaac, mui abastado em caridade asy como Jacob.

O quem poderia declarar dinamente as suas palauras de muita dolcidōoe Aos uelhos, os quees ele muito amaua asy como a padres; aos barōoes, aos quaes ele falaua asy como irmãaos; falaua aos mancebos asy como a filhos; Emsinaua aos moços marauilhosas coussas, que parecem aos homens nom pera creer foram em este homem dom tello e grandes misterios reuelados. E seendo elle muito fraco feze se leuar nas mãaos dos frades diante do altar, e recebeo a santa Eucharistia, que he o corpo de nosso senhor ihesu christo, diante de santa uera cruz. E estaua em tall comtenpraçom asy como se fosse em no dia do juizo, e choraua dos seus olhos que com suas lagrimas se laua. E despois desto mando que ho leuasem aa clasta, e iazendo so as aruores beenzia a todos asy como Jacob, E aleuantaua a mãao estemdendo aquela beençom, E os religiosos o olhauam a ele asy como a pastor e padre verdadeiro. E aquela doemça era grande batalha em sua alma. De huma parte queria morrer e hir ao paraisoo, e da outra parte queria uiuer por guarda e aiuda dos religiosos dizemdo o dito de Sam paulo: cobiiço seer fora deste corpo e seer com christo, e de outra parte dizia o que dizia sam martinho: Senhor, se eu soo necesario ao teu poboo seja feita a tua voontade. Oo meu Senhor deus, eu te emcomendo este poboo que o guardes. tu es o verdadeiro pastor, e posestе a tua alma polas tuas ouelhas. Senhor, tu sey supra o que desfalece, e o que he bem feito tu lhe da booa fim. E ditas estas santas palauras chorou mui feramente o santo homem. E querendo deus poer fim a todos seus feitos e aos seus trabalhos, e receber o seu

confessor na sua paz eternall, Ajuntaronse todos os relegiossos junto com ele e chorarom, e asemtiam que coussa piedosa era chorar com dom tello, e piedossa coussa era alegrarense com tam grande santo morador do paraisso. E asy aconteceo que quarta feira quarto idus seutenbris, amanhecemdo o dia primeiro despois de santa maria, seendo ele de idade, comuem a saber, de LX anos, e feitas grandes despessas nos edificios do dicto moesteiro de D. marauidiis, e beijamdo as mãaos de todollos frades com grande deuaçom, emcomendosse em suas devotas oraçōos, e em fim de todo disse esta palaura: O Senhor, nas tuas mãaos emcomendo o meu espirito; e asy deu a sua alma em nas maaos dos anjos.

E despois desto lauaronlhe o seu corpo, e uestironlhe o abito da ordem, e leuarom no logo mui honradamente em meeo do coro, e fezerom nobres vigilias por ele. Oo quanto seria longo de contar o planto e choro dos religiosos e irmãaos e dos conigos por dom tello, e que gritos a tam altos dauam os fraires e muitas donas e uiuuas e madroas de tres em tres, comvem a saber, representando os coros dos anjos que som noue ordeens. Era cousa singular de veer que em derredor do leito estauam moços pequenos mui fortemente chorando, e mais muitos mancebos per a igreia de santa cruz andauam chorando arremandose aos altares. Viinham muitos velhos caaos fazendo grande chanto por dom tello e fazendo dizer misas. Oo que prazer dos emvejossos, porque nom ha nemhuum que faça prazer a todos. Oo que door dos amigos e grande nojo. Oo quaes erom mais que emvejossos, e que folgavam porque ele morrera. E toda a cidade veeo a sua sopultura, parte dos coonigos da see, parte dos mancebos, parte dos nobres veerom a ucer o corpo santo dom tello, e todos a huma voz começarom a dizer: beento seja de deus, que tall seruidor escolheo pera sy. As molheres honrradas e outras da cidade todas sairom quando queriam emterrar o corpo, e polas fazquias e buraquos da porta braadauam e diziam: oo santo dom tello, ajudadenos e rogade a deus por nos, e os teus comselhos quedem em nos.

E foy emterrado o seu corpo ao lado dereyto da igreia, acerqua do altar consagrado a honrra de Santo esperito. E quando o poserom no moimento todos chorauam.

Requiescat in pace amen.

Acabadas todas as causas da supultura de dom tello fallamos todos em cabydoo e nos consolamos huuns com os outros, e ordenamos com defiinçom, e determinamos de todos a quall nunqua se quebrantasse por nem hum, segundo a rega de santo agustinho nosso padre.

In nomine de nosso senhor ihesu christo. Prouue a todos nos outros religiossos huma cousa sentir comummente e posuir segundo a escriptura que diz: huma cousa semti em no senhor deus, E nemhuum non queira apropriar asy coussa nem huma, segundo esta escripto nos autos dos apostolos. ajamos todas as cousas comũues, e nem huum non diga esto he meu, ou seu, e a uoz de todos nosso. tenhamonos no dereito da ouseruança sempre em deus, e em ele ataa fim esperemos e permaneçamos, porque no auamgelho esta escripto: que perseuerar ataa fim sera saluo. E se nos agora carecemos do padre tam santo dom tello, muito mais piedosso e santo, e mais santo padre teemos no ceeo, que diz em no auangelho: nom queiraaes chamar padre sobre a terra.

Pollo qual de todo em todo acordamos por igual comsemtimento e defiinçom de termos o modo e regimento de sam Ruffo, e nunqua seer quebrantado per nos nem per nossos socessores, e seja guardado pera sempre. E logo emviamos pedro sacerdote filho de salamom ao moesteiro de sam Rufo com huma carta em estas cinpres palauras. E o teor da carta he esta que se segue.

Honrados senhores e padres de sam Rufo ao abade guilelmo santo e ao conuento religiosso. O prior de santa cruz indino e humill comgregaçom sua nos emcomendamos na disciplina dos vossos boos costumes, e em alguma parte e quinhom da menzinha de vossas almas. Damos muitas graças a deus e aa uossa santidade polla bem querença e deuota caridade, que fezestes a domingos diacono, e a Joham, que emtom era meestre e agora he arcebispo, e dom tello arceriagoo cuiya alma deus aja. E agora por começamos de seer vossos discipulos nos vos rogamos mui aficadamente o que nom trouxe domingos, quando ala emviamos, que nollo emviiees agora per pedro seu irmãao. A graça de deus seja com vosco amen.

E emviamos mais presemtes e dōoes a taaes homens como estes e de booa vida e de tall relegiom e de tanta caridade, aos quaaes rogamos que nos ouuesem emcomendados em suas oraçōos, e que os nosos pecados fossem perdoados, e a nosa ordem e moesteiro fosse bem emcaminhado. E prougeu a deus conprir nossos desejos, e quedou com eles pedro e seu moço. E de sam martinho ataa pascoa esteuerom, os quaaes erom prouiidos largamente de todallas cousas que erom necesarias, e lhe demostrarom os modos e cirimonias, e dauamlhe requado pera os liuros e regimento que elle escripuia, e o recebiam no coro, no cabidoo, no rofortoiro, dormidoiro comsigo asy como se fosse ali conigo. E despois partiusse de sam Rufo e veeo a nos quinze dias ante de sam Joham, E trouxe comsigo todo o custume da igreia e modo de viuer. E em este tempo foy feito bispo dom Joham Ouelheiro do porto. E em aquell tempo finousse o arcebispo de bragaa, E foy emleito dom Joham, que era emtom bispo do porto, que fosse arcebispo de bragaa, E foysse logo caminho de Roma, e foysse com elle o dicto pedro sacerdote.

E emviamos dar muitas graças e louuores a Inocencio papa, e como ja morrera dom tello, emviandolhe bejar as maãos pollo privillegio que ouue dom tello. Emviaromlhe oferecer o moesteiro na sua guarda, e o papa santo escriuesse ao bispo e aa cidade que nom nos quebrantassem nossos priuilegios e liberdades. E escripueo o papa mui altamente segundo he notado no privilegio a VI. folhas do liuro.

E porque nom fossemos longos em falar e estemder muito este trautado, leixamos de escripuer quaaes e quantas coussas e por todas suas coussas sometidas a guarda e deffensom de sam pedro de Roma, a quall he sogeita inmediata santa cruz de coinbra.

E leixamos descrepuer quanto este padre de Roma santa fez contra abades, bispos, e arcebispos, que se aleuantauam comtra este moesteiro.

E tornando ho arcebispo Johanne com todos seus parceiros, e todos seus feitos mui bem emcaminhados, quedou o dicto pedro sacerdote em sam Ruffo, e esteue hy huum anno. E esmaginaua e cuidava de cada dia que era necessario bem uiuer, e em regra de rezar, e em boos custumes, em na doutrina eclesiastica. E ele seendo perfecto na ordenança eclesyastica trouxinos o capitoleiro emteiro e o custume do antifanario. E emviaromnos santo agustinho sobre Joham euangelista, e sobre o genesy, que se chama adliterom, questom sobre sam mateu e sam lucas, e o examerom de santo anbrosio, o pastorall de santo anbrosyo, beda sobre sam lucas, polas quaaes coussas somos muito obrigados ao comvento de sam Ruffo, ca nos ajudou senpre muito bem graças a deus pera sempre amen.

Escripta em santa cruz per meestre aluaro da mota da ordem dos pregadores tornado do latim em lingoagem, em na era de ihesu christo de mil e IIII.°LV.° anos, Em tempo delRey dom afomso o V.°, e da rainha dona Issabel sua molher, filha do Ifante dom pedro de purtugal, e da Ifante dona Issabel, filha do Conde de vrgel.

VITA SANCTI THEOTONII.

Publicae Portucalensis urbis bibliotecae in codice, numero 52 signato, qui quondam ad Sanctae Crucis Conimbricense monasterium pertinebat, simul reperiuntur et Sancti Theotonii, primi illius monasterii praesulis, vita, et quodam Regulae Sancti Augustini apographum, Martyrumque quinque, qui Morochii nomine vulgo cognoscuntur, historia.

Sancti Theotonii vita antiquitus codicem, Discipulum *pro titulo tantum verbum ferentem, singularem perficiebat *; quod, ut in eodem fertur codice, a monacho eiusdem monasterii; eadem non modo aetate, ac praesul, sed eius discipulo haec scripta fuerit gravissimi viri vita. Autographum esse videtur hoc MS.; et ad finem XII., vel ad initium XIII. saeculi referendum est.*

Inter Acta Sanctorum ** *Bollandiani hanc edidere vitam, ex Tamaii editione ipsam describentes, ubi non pauca, ut solitum illi, turbata vel inversa leguntur: summarium praeterea huiusce vitae, quod in antiquis, Bracarensi, et Eborensi, breviariis descriptum fuerat, superaddidere. Nos vero ex autographo haustam hanc ipsam nunc edimus vitam; varias idcirco lectiones in Tamaii editione inventas, et summaria illa, tamquam nullius ponderis, et recentiori aetate, quamvis non facile indicanda, descripta, praetermittimus.*

* D. Joseph a Christo. Chronic. S. Cruc. Manuscr. P. 1 Catal. Auct.
** XVIII. die Februarii.

Incipit uita beatissimi domni theotonii, primi prioris monasterii sancte crucis colimbriensis.

1. Cum in minimis etiam rebus, ut philosofus ait, deus sit inuocandus; multo magis nobis exorandus est in materia sublimium uirorum, qui calcato diabulo iam coronam securitatis acceperunt: De quorum numero domnum theotonium esse quis dubitat? Hic autem nos modo relinquens, et ad celestem ierusalem, quam tota deuocione querebat et mirabatur in terris, iam leto animo conscendens, desiderii sui iaculo nos intolerabili dolore confecit. Inde est quod, quocienscumque nitor in uerba prorumpere, tociens implentur occuli, heret uox, et singultus intercipiunt uerba dictantis. Quid faciam? Jungam lacrimas? Sed diuina proibet scriptura. Non itaque plangam morientem, quia cum christo suscipiam resurgentem. Scio equidem illum cum christo esse. Leter ergo et gaudeam quia raptus est, ne malicia mutaret mentem illius, quia placuerat deo anima illius? Sed desiderium absencie eius ferre non possum, et affectus tanti uiri frangit meam mentem. Nequeo enim dolorem dissimulare, quam pacior. Non tamen illius sed meam uicem doleo. Quia quanto ille felicior; tanto amplius ego in dolore, quod tali careo bono. Recolam memoriam illius litteris: Verumptamen tanti uiri materie adeo me inparem iudico, ut consultius mihi sit talem uirum mirari quam loqui. Grandes enim materias ingenia parua non sufferunt, Et quanto maius et excellentius fuerit quod dicendum est, tanto magis obruitur, qui magnitudinem rerum uerbis non potes explicare: Et timeo ne fortassis illi inpenderem iniuriam, de quo non digne loquerer tam uenerabilem uitam. Quid enim inter sacerdotes domno meo excellentius, qui suis uirtutibus, quasi quibusdam stellis, partes nostras occiduas illustrauit. Quid uero inter cleros meipso inbecillius, cui nullius sciencie irrigua fluenta succurrunt, quem uix stillicidii pauperis atenuata gutta perfundit, nichil de proprio fonte respirans? Sed quanquam me ydoneum ad ista despero, cum in largitorem munerum occulos mentis attollo, per quem aperta est lingua mutorum, qui linguas infancium facit disertas, quique ueritatem suam, cum uoluerit, etiam per ora iumentorum narrat, ad recolendam illius memoriam protinus robustior fio. Scelus namque fore et inuidiam iudico, de tanto patre omnino reticere, et singularem nostris temporibus uirum infructuoso silentio premere. Dono igitur gratie, per quam ille sanctorum choris admixtus est, pauca de eius moribus scribere temptabo, transcurrendo scilicet, et, ut ita dicam, magnos saltus dando. Nam proprie inercie conscius, et ingenii mei breuitatem mensurans, sanctissimos illius actus senioribus meis ac per hoc sapientioribus plenarie describendos relinquo. Hoc autem christo duce ideo scribere, tametsi inculto sermone, dispono, ut et dolori meo satisfaciam, que maxima et principalis est suscepti operis causam, et edificationi fratrum seruiam. Erit enim consolatio quidem, ut oppinor, non contempnenda, cum lumen, quod inter nos fuit, presentibus et futuris lectione manifestum fiat. Mens occupata magnitudine doloris, fortassis non tenuit ordinem prephationis, De qua nunc tantum dixisse sufficiat.

2. Uir uite ualde uenerabilis donnus theotonius colimbriensis monasterii sancte crucis primus pater fuit. Ut autem qualiter ad regularem professionem, eiusdemque monasterii procurationem, non sine multorum salute, eum diuina gratia, ad quod futurum erat, uocante, accesserit, euidentius cognoscere possimus; prius necesse est unde, quo natus loco, quibusue doctoribus eruditus est litteris, quomodo etiam in seculo conuersatus fuerit, paulisper atentius consideremus. Fuit itaque de prouincia gallecie,

ciuitate tudensis, uico ganfei oriundus, honestis quidem iustisque parentibus, patre scilicet oueco, et eugenia matre, progenitus. Quam genealogie religiosissimam lineam ille piis moribus extulit, probis actibus exornauit, Adeo ut non sine magno quodam sancti spiritus presagio grece teotonius, quod latine diuinus resonat, uocaretur. Vere diuinus ille fuit et sanctus, qui quocumque ab ineunte etate conuersatus fuerit loco, semper catholice fidei firmitate fundatus extitit, uitam quoque suam sanctissimis moribus et uirtutibus plenam habuit. Qui diligentissima parentum cura religiose nutritus, cum ad etatem discipline congruam peruenit, spiritualibus litterarum studiis traditus est. Deinde interuallo temporis exacto, cum iam inter pueritiam adolescentiamque medius esset, cum auunculo suo colimbriensi episcopo domno cresconio, qui magister eius fuit, colimbriam uenit: Ibique sub tello archidiacono eiusdem ciuitatis, prudenti et discreto uiro, legendi simul et cantandi usum ecclesiasticum pro statu temporis memoriter et plenarie didicit. Postea memorato episcopo defuncto, uisiensem peciit urbem. Qui, pro sua simplicitate et episcopi defuncti gratia, recipitur in sede beate marie semper uirginis, que tunc temporis erat sub colimbria diocesi, Ubi siquidem contulit ei dominus gratiam in conspectu cleri et totius populi ciuitatis. Nam cum iam ad plenum transacto tempore surgentis infancie ad biuium pictagorice littere peruenisset, incunctanter sinistrum ramum cum seculi uoluptate dereliquit, et ad dextrum cepit cum celesti desiderio totis uiribus anhelare, seque ipsum, ita propria disciplina cohercere, ut per omnia licet in acerba etate, bonus, maturus haberetur et grauis.

3. Libet nunc, auxiliatrice superni numinis gratia, paulisper demonstrare qualem in suis ordinibus habuit sollicitudinem, et in ipsa ecclesia conuersacionem. Liceat ergo mihi ac religiosis uiris audita narrare. In primis ordinatur hostiarius, traduntur ei claues ecclesie, quam ille pio studio claudebat, Prius enim, ut dicunt, immundis animalibus, capris uidelicet et porcis, negligenter patebat. Et item oris competentibus aperiebat, excommunicatos et infideles zelo christianitatis reiciebat, et omnia que intus ex utraque erant religiose custodiebat. Propheticas et apostolicas lectiones fideliter et utiliter recitabat deuitans omnibus modis in legendo siue cantando sonum femineum, effractum, rusticum, et aggrestem, Auribus enim et cordi non occulis consulens, auditores potius quam spectatores ex se ipso faciebat. Super cathecuminos sacramentum apertionis faciebat, exorcismos super spiritus inmundos legebat, et eos per dei gratiam et suum ordinem de corporibus obsessis eiciebat, quia spiritum dei in se habebat, et uita ab officio non discordabat. Et ideo per acceptum officium malignum de corpore alieno expellebat, quia iam per mundiciam uite expulerat de corde suo. Lumen ad euangelium deferebat, et opera lucis proximis ostendebat. Rogo qui talem se exibebat in hostiariorum officio, qualis futurus erat in sacerdocio. Non minus non maius negligebat officium: Erat enim semper sollicitus si niteret altare, si parietes absque fuligine, si pauimenta tersa, si sacrarium mundum, si uasa lucentia, si lampades accense. Deinde subdiaconus ordinatus, quis ualeat explicare quomodo in humilitate deo seruiens uasa corporis et sanguinis christi diaconibus ad altare deferebat, et iterum referebat, corporales, pallas, et substratoria lauabat, urceum, aquam manilem, et manutergium episcopo tenebat, et presbiteris atque leuitis pro lauandis ante altare manibus aquam prebebat? Ut oppinor irreprehensibilis sacerdos in ecclesia dei preparabatur. Preterea quam deuote, ut ferunt, in diaconatu suo ad genua flectenda, siue ad orandum, clara uoce cunctos admonebat, sacramenta dei dispensabat, euangelium predicabat, et in omnibus christi sacramentis sacerdotibus assistebat, in altari oblationes inferebat, et disponebat, mensam domini componebat et uestiebat. Ad sacerdotium ueniam. Talibus, ut diximus, exornatus moribus per gradus singulos ad sacerdotium uenit, non iuxta quorundam presumptionem, sed secundum consuetudinem uniuersalis ecclesie. Ecclesia quippe illum sibi requisiuit, non ipse se inpudenter ingessit.

4. Presbiter igitur ordinatus, prudencia morum et maturitate bone conuersationis magnis cepit excrescere profectibus, et honestioribus uiuere moribus in populo dei. Sic enim uiuebat, ut bonum exemplum uite sué cunctis preberet. Exequebatur mirabiliter sui ardinis officium rudes populos cathezizando, babtizando, et eos ecclesie incorporando. Deliquentes ad penitenciam uocabat, et eos medicamento orationum suarum et uerbo consolationis sanabat, absoluebat, et deo reconciliabat. Pro peccatis populi deum exorabat. Tamquam bonus mediator inter homines et deum, et precepta dei ad populum deferebat, ueritatem predicando; et precem populi deo offerebat pro peccatis eorum intercedendo, placabiles deo hostias in altario conficiendo, orationes dicendo, atque dei dona benedicendo. Sed et semper cum timore et ueneratione diuina in ecclesia conuersans, conpetenter celeste conplebat officium. Preterea spernebat luxus, et lenocinia pereuntis seculi. Non laude extollebatur, non diuitiis tumebat, non paupertate contrahebatur, sed leta semper contempnebat et tristia. Per diem sol non urebat eum, neque luna per noctem. Laudant alii in eo quod nunquam studuit curiositati, nunquam seruiuit uoluptati, nunquam inhiauit ambitioni, nec aliud huiusmodi quesiuit; ego amplius predicabo, quod in omnibus suis actionibus circumspectus et prouidus semper pudicicie habitu pollebat. Cauebat denique, ut fertur, omnes suspiciones, et quicquid probabiliter fingi poterat et ideo in domo sua neque lectum uel scamnum, aut etiam scabellum quo quietem caperet uel sederet, aliquando habere uoluit. Haberet quippe, ut ait beatus gregorius, sancti uiri hoc proprium, Nam ut semper ab illicitis longe sunt, a se plerumque etiam licita abscidunt. Ne ergo aliquam per feminam incurreret culpam, nunquam cum eis remoto teste colloquium uel etiam priuatam confessionem habere uolebat. Dicebat enim si aliquid familiarius loquendum esset, nullam esse tam inhumanam, quin haberet talem uel talem feminam cui se credens ad confessionem pariter uenire debuisset. Omnes tamen feminas ut sorores diligebat, sed eas, ut diximus, quasi hostem cauens, huiusmodi familiaritates a se funditus absciderat. Quibus rebus non solum principes cunctosque ciues, uerum etiam comprouinciales omnes ita sibi deuinxerat, ut eum miro affectu uenerarentur, utpote patrem et reuerendum magistrum animarum utriusque sexus. Omnium igitur ciuium precibus, et maxime domni gundisalui colimbriensis episcopi iussione, ad quem, ut diximus, uisiensis pertinebat ecclesia, deuictus, nimiumque, ut postea claruit, inuitus ipsius ecclesie prioratum suscepit, Quam sua prudenti discretione temporalibus bonis, uidelicet libris, uestibus sacris, signis, crucibus et calicibus argenti deauratis, testamentis quoque plurimis ampliauit, et ad culmen honoris, quod in presentiarum possidet, mirabiliter euexit, clericos iuuando, honorando sublimauit, et quod his omnibus maius est, honestis uite moribus ditauit.

5. Sed quia temporalis honor nullum sibi conferebat oblectamentum, neque enim honorem intelligebat esse sed honus, quomodo inde sacerdos dei se posset expedire, saluberrimam fraudem quesiuit. Nam iherosolimam abiens, consorti suo honorio presbitero prioratum in pace dimisit. Sed inde rediens, eum amplius recipere noluit, quamuis omnium precibus, et ipsius honorii obsecrationibus, plurimum rogaretur. Cum quo ita unanimiter et concorditer reliquum uite tempus deduxit, ut ambo penitus germani fratres crederentur. Sed nec aliud seculi huius fastigium deinceps habere uoluit. Sepissime namque henrici consulis et uxoris eius nobilissime regine tarasie precibus et exortationibus exoratus fuit, consenciente clero et omni populo, ut pastoralis cure officium, hoc est, episcopatum suscipere, sed nunquam assensum prebere uoluit. Uilia enim et caduca, pariter et nociua, mundana omnia reputabat, Ideoque temporales honores quasi pestem fugiens, in quadam humilitatis arce se expectabilem conseruabat, mentis corporisque uirginitatem, et delictorum penitenciam custodiens predicabat; Siquidem nunquam cessabat in plebe uerba ueritatis fructu fidei redundancia seminare. Nunc omnes de pio christiane religionis opere commonebat, nunc alios de confessione sancte trinitatis conformabat, nunc re-

liquos de promissione regni celestis inuitabat, fornicatores uero et adulteros, ceterosque malefactores, anathematis gladio feriebat, neminem formidans. Qui aut statim se emendabant, aut si forte se emendare aliquando nolebant, longius a conspectu eius recedebant. Tanta enim erat auctoritas sacerdotis, quod etiam principes terre eum uerebantur offendere. Siquidem fama refert, quadam die in ecclesia uisiensi, eo predicante, memoratam reginam, et consulem fernandum, qui eo tempore contubernalis eius, non uir legitimus erat, rubore uerecundie suffusos de ecclesia festinanter exisse. Nec tamen pro hoc ab eis unquam notatus fuerit.

6. Accidit preterea ut, cum in una sabbatorum, iam sacerdotalibus uestimentis indutus, salutares hostias in honore dei genitricis ex more offerre voluisset, et regina, que pro foribus astabat, ei per nuncium misisset ut cursim breuiter missam peragere debuisset, respondisse fertur: aliam in celo reginam esse longe meliorem, longeque nobiliorem, cui illa cum summa ueneratione tractim et spaciose sollempnia misse peragere disposuisset. In potestate uero eius esse uel missam audire, uel penitus discedere. Quod cum regine relatum fuisset, illa statim reatus sui culpam cognoscens, se miseram, se peccatricem, domnum uero theutonium ueridicum et iustum assidue proclamabat et sanctum. Quo ad se post missam uocato, humiliato mox spiritu, ad eius genua prouoluitur, et ad exortacionem sacerdotis erecta penitentiam lacrimabiliter poposcit, orationem pro se ab eo fieri humiliter peciit, Ac ne deinceps erga cultum diuinum tam incaute ociosa uerba proferret, ab eo amonita, cum melioratione sui indubitanter promisit. Nunquam enim uir sanctus personas hominum suscipiebat, nunquam diuinis officiis aliquid proponebat, quo minus uidelicet ornate, aut indecenter, seu festinantius solito, aliquando ea celebraret. Vere totis uisceribus diligebat christi regnum, qui terrenum non formidabat principatum. Sic igitur, ut superius dixi, cunctos ammonebat, sicque omnes in regnum dei inducere festinabat, ac si cunctos genuisset.

7. Sed nec ipse uerbi dei obliuiosus relator erat, Subueniebat pauperibus, uisitabat languentes, prouocabat ospicio, lenibat blanditiis, gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus. Maiorem partem sui laboris, et tocius quod habebat indigentibus tribuebat, Reliquam uero partem in usus uestimentorum sibi moderate retinebat, Ipsa postmodum uestimenta intuitu miserationis maxime uiduis tribuebat. In omniquoque feria VI.ª ex more suo in ecclesia beati michaelis archangeli, que foras murum in cemiterio eiusdem ciuitatis est, pro cunctis fidelibus defunctis missam celebrabat: Ad quam eo die, et pro reuerentia sacerdotis, et pro carorum suorum memoria, sollempnes tocius urbis populorum conuentus confluebant, Plurima et diuersa, ut illius regionis moris est, deuote offerebant. De quibus omnibus donnus theutonius nichil omnino sibi reseruans, post missam et generalem cemiterii processionem, cunctis indigentibus letus et pene inuisus omnia distribuebat. Qui mos illi semper fuit in bonis operibus exercendis, Totis enim uiribus elaborabat, ut posset esse occultum, quod faciebat. Sed quando in sanctis uiris latent ista querentibus nolint cuncta produntur. Si inter tales tantasque uirtutes castitatem in illo predicare uoluero, fortasse superfluus uidear, cum in eo ut supra dicere ceperam exemplar castitatis semper fuerit. Quedam tamen uel pauca que castimoniam illius comendare uidentur, preterire non debeo.

8. Quedam igitur mulier, que iuxta carnis putredinem speciosa uidebatur, ab eo priuatam amicitiam expeciit, atque ad hoc causam satis accurate blando sermone confinxit. Sed postquam famulus dei per satellitem diabuli laqueum sibi deceptionis parari cognouit, inferuescente in eo spiritu, cum quanto nisu potuit, in faciem illius miserrime mulieris saliuam proiecit, et ei que debuit exprobauit.

9. Multas ei humani generis inimicus propter speciem corporis sepissime tetendit insidias. Statura quippe eius tam bene formata erat, ut cum decenti quadam et mirabili moderatione uideretur esse deducta. Corpore magnus ualdeque pulcherrimus erat, facie uenustus, et alacrior uultu honestatem magis quam lasciuiam ostentans. Per idem tempus ab altera nichilominus, que magne dignitatis femina erat, sub racionabili, ut credabatur, occasione ad domum uocatus uenit, iunctus obsequio clericorum. Illa uero tanquam bestia libidinis, seorsum eum quasi sub obtentu religionis in interius cubiculum euocatum, blandiciis libidinosis cepit lenire, De ore eius pendere, obsequium exibere, calciamenta dissoluere, et quasi pro feruore diei temperando, pedes abluere: Re uera autem ad rem illicitam eum uolebat impellere. Domnus autem theotonius, quem nulla unquam femina contigisset, immo cui nulla proprius astitisset, miratus impudentis mulieris instanciam, cum tandem, quid procax femina quereret, intellexit, in signo crucis reuocatus, nudis ut erat iam pedibus, magno conamine foras sese precipitem efferens, calciamentum dereliquit, et domum illam execrando, uocatis clericis, qui cum eo uenerant, ad ecclesiam se contulit. Aliquis rethorice artis memor conferret istum cum castissimo ioseph, et quod liceat mihi separata misterii maiestate dixisse, inferiorem non inueniret. Ille enim pallium, iste desimili causa per dei gratiam euadens calciamentum dereliquit. Ille tritico temporali impertito pereuntis condam egipti nationem seruauit; Iste bonam et conferiam uerbi dei fideique mensuram populis erogando, multos a fame spirituali, et iugo demoniace dampnationis deliberauit. Ille filios carnis habuit, iste, ut ferunt, ab utero matris immaculatus extitit. Unde nulla unquam culpe suspicio, in eo de rebus huiusmodi reperiri potuit. Obtimum uirum, qui ita uixit in seculo, ut numquam de illo etiam maledicorum quisquam aliquid auderet confingere. Ita gessit in mundo, ut non iam de mundo, sed uere regularis esse uideretur. Quis autem possit explicare bonorum operum suorum magnitudinem, et quomodo in eadem ciuitate morum ornamentis pollens, per quadraginta et eo amplius annos, cunctorum ciuium uerbo et exemplo in deum prouocauit affectus? Que, quia magna ualde sunt, et pro breuitate ingenii mei, fateor ea euuoluere non possum; ausa enim ultra uires in ipso conatu succumbunt ad presens pretermittam, et ad secundam profectionem illius in iherusalem iam nunc stilum conuertam.

10. Igitur succensus uirtutibus, et desiderio sanctorum locorum, non domus, non propinquorum, non clientum, non possessionum, non alicuius rei, que ad seculum pertineret, memor, cum non modica peregrinorum turba patriam egrediens, diu desideratam iherosolimorum uiam denuo arripuit. Jam enim eandem uir deuotus peregerat uiam. Cum autem post decem ebdomadas ad portum sancti nicholai sospes, deo ducente, uenisset, prospero uentorum cessante comeatu, sex ibidem continuis ebdomadibus moratus est. Non tamen ociosus, Sed, ut certissime probatum fuit, tam ibi positus, quam in tota sua peregrinatione pauperibus beneficentiam exibuit, atque exemplo suo pariter et uerbo, et ciues, et iherosolimam euntes ad misericordie opera prouocauit, et quod non minus deo carum fuit pacem et concordiam inter dissidentes semper reformauit. Omnes enim eum iustum et sanctum esse sciebant, et ideo quasi patrem illum colentes, ad exortationem eius intenti tacebant, diligentissimeque obtemperabant. Tandem itaque aura flante secunda conscendit. Quid narrem peregrinos pro quibus naulum dedit, et quos solo dei respectu pascendos secum misit? Post hec autem naucleri uela uentis comiserunt, iherosolimam petentes. Sed cum post dies aliquot per maleas nauigassent, cuncti subita maris tempestate periclitari ceperunt. Qualiter autem gestum sit memorie comendare cupio, ut ex periculo, quod in parte peregrinationis tanti uiri cernitur, facile per similitudinem agnoscatur, quanta et quam grauia in terra marique pericula pro christi nomine sustinuerit. Igitur carina per collum malee nauigante, subito celum contenebratum est, et ecce nubes cum uiolentia uentorum et terribili fragore eos desuper obumbrauit, Que uerso funditus equore, procellas instar aquosi montis dependentes exagitabat, et modo nauem undarum molibus turbatam in profundum demergebat, modo de precipiti profundo rursus ad superiores uertices et undarum cumulos ex-

tollebat, iterumque apertis undis in una deiciebat, atque, quod dictu mirabile est, aquam de mari tanquam per manifestum canale, quod naute cifum uocant, in sublime trahebat. Sed et naute iam antea cognita tempestate, cum primum nauis inter procellas fluctuum rotari cepisset, et cum summa celeritate arbore abscisa et in undis proiecta, ceperunt uela deponere, rudentes antempnasque ligare, cunctaque gubernaculorum et nauis armamenta, ne a ui maris soluerentur, componere, et ut nauis alleuiaretur, iacturam uasorum facere. Nec tamen uel modicam quietem habere poterant. Ibat enim mare et intumescebat super eos, timore mortis perterritos. Sed et terribilibus terribiliora succedunt: Nam preterea metum mortis augebat uisa cunctis in eodem maris periculo monstruosa quedam et ualde terribilis bestia, adeo formidolosa ut nulli eam bestie comparare possent, Cuius occuli sicut nobis sanctus referebat, apparebant quasi tede ignis accense. Alii eam drachonem, alii monstrum, alii demonem esse dicebant. Quid diu inmoror? Jam ablata erat spes omnis salutis, Cum igitur in eorum morte feroces fluctus seuirent, ac resolutis timore menbris iam cuncti ex ipsa presentia mortis ac uisione bestie fuissent turbati, et iam morti parati, omnes sibi pacem dederunt, omnipotentis auxilium cum lacrimis deprecantes, ut qui eorum corpora in tam pauenda morte tradiderat, eorum animas benignissime susciperet, aut eis opem liberationis misericorditer inpenderet. Domnus autem theotonius in oratione quoque cum lacrimis prostratus, ac totus ad deum conuersus, post salmos et letanias dominatorem uite ac spiritus inuocauit hoc modo: Domine, domine, inquit, iesu christe fili dei uiui, fili sancte marie, qui cum patre et spiritu sancto unus deus es in summa trinitate et uera unitate, succurre nobis in suppremo periculo constitutis, quatinus ex seuientibus maris fluctibus eruti, gloriosum sepulchrum tue sancte resurrectionis, pro quo de finibus mundi uenerando et osculando uenimus, uidere mereamur, et tue liberationi gratias agamus. Ortabatur etiam cunctos, et quibus uerbis poterat consolando ammonebat, ut alterutrum confitentes sibi ex corde demitterent, et totam in deum credentes et orantes spem suam ponerent, denuncians eis si perseuerassent in proximo clementiam redemptoris affuturam. Quod et factum est. Nam dum hec in naui agerentur, omnipotens deus, qui eorum mentes mirabiliter terruerat, mirabilius eis misericordiam suam exibuit. Ecce enim exinsperacto flatus aure cepit placidior fieri, paulatimque elisis aquarum molibus, redditur mare tranquillum. Noua igitur lux eis cepit oriri. Mirantur omnes morti iam dediti fluctuum pacem. Omnis igitur deum celi exultantes deum benedixerunt, laudes ei debitas referentes, et gloria in excelsis deo nobiliter decantantes, quod eos misericors deus dignatus sit de hoc mortis articulo liberare. Excessi fateor multum. Nescio quo enim pacto dum periculum uiri dei omittere piguit a breuitate euolutus sum. Sed iam nunc ad propositum redeo. Liberatus itaque de pelago malec cum omnibus qui secum erant in naui, post trium ebdomadarum dies ex quo in portu barensis ciuitatis nauem ascendit, mare transiuit appulsus ad urbem yoppem, longissimis uiarum anfractibus circumiuit per sepulchrum beati georgii martiris, quousque peruenit nazareth, que nutriuit dominum saluatorem. Inde abiit per uiam, que ducit in tabor, quo transfiguratus est dominus. In cuius uerticem ascendens, aspiciebat diligentissime loca plurima, que dominus suo itinere sanctificauerat. Unde descendens festinus perrexit samariam, uidit sepulchrum beati iohannis babtiste et xii^{m} prophetarum, helisei quoque et abdie. Concitoque gradu proficiscitur ad puteum, super quem Dominus residens, esuriensque et siciens, samaritane mulieris fide saciatus est. Et adorato per singula loca mundi redemptore, letus ascendit in collem celeberrimum, quo diu desiderata conspicitur iherosolima. Acole montem gaudii uocant eo quod ibi peregrini de uisione ciuitatis gaudium ineffabile concipiant. Hic autem flexis genibus, quanta exultauit leticia, quantasque deo gratias egit, admixte gaudio lacrime declararunt. Ilaris itaque sanctam ciuitatem ingressus, deliberauit prius uidere crucem in monte caluarie, ubi precium mundi christus instatura crucis appensus fuit, Ante quam corde toto et corpore prostratus, quasi pendentem dominum cerneret, adorabat, Recordabatur mortis siue maledictionis sententiam in se et in omnem hominem prolatam per inobedienciam primi hominis, Sed et clementiam propiciacionis ac pietatis filii dei de quo legerat, factus pro nobis maledictum ut nos a maledicto redimeret, Qui loco eodem, sputa, probra, colaphos, alapas, spineam coronam, flagella, crucem, clauos, fel, acetum, lanceam, mortemque pertulerat. Expletaque oracione, ac pro consuetudine peregrinorum cruce, quam portabat, ibi deposita, descendit paululum ad leuam in golgatha locum, ubi, sicut fama est, de latere christi sanguis decurrens petram durissimam prerupit. De hinc breui spaciolo ad sepulchrum resurrectionis conuersus, et uidens ipsum corporis locum, in quo dominus iacuerat, quasi siciens desideratas aquas fidei ore lambebat. Occurrebat sibi congrua de domino saluatore meditandi memoria, quomodo scilicet post tanta que pertulerat, in ipso sepulchro requieuerat, ac per illius descensum ad inferos, ineffabile magnumque gaudium cogitabat miserorum, quos captiuato mortis imperio christus ab inferis secum eduxerat. Inde iam ad medium mundi deductus, quo uidelicet loco ioseph ab arimatya corpus domini, cum de cruce deposuit, antequam sepulcro locaretur, attencius orabat, Memorans illud dauiticum: Deus autem rex noster ante secula operatus est salutem in medio terre. De hinc in sinistram paululum se ad ueram crucem conuertit, et uidens ligni stipitem, quo membra domini clauis affixa fuerant, quid ibi lacrimarum, quod doloris effuderit, testis est ipse dominus, quem rogabat. Tandem uenit ubi helena ueram repperit crucem; Cumque aliquandiu, prout deuotio dictasset, per memorata oratoria uir sanctus orasset, postremo se in hospicium recepit. Et dum mens eius tota die illa et nocte per ea que uiderat ducebatur, in pace inidipsum dormiuit et requieuit. Altera uero die cum quanto studio ac desiderio sancta iherosolimorum loca orando circumierit, dicere quis potest? Nam ingressus in templum domini, et post orationem per portam, que dicitur speciosa, egrediens, ascendit sion ad locum duntaxat cene, ubi dominus pedes discipulorum lauit, et pax uobis dixit, dubitantique discipulo latus palpandum prebuit. Ibi etiam super centum xx.^{i} credentium animas spiritus sanctus descendit. Et conuersus per uiam sacram, qua dei genitricis corpus apostoli detulerunt, intrauit ecclesiam beati petri de galli cantu, et ad sepulchrum iacobi fratris domini, descenditque in uallem iosaphat, orauit ad sepulchrum sancte marie uirginis, De quo ascendens transiuit ad oratorium gethsemani, ubi dominus in radice montis olilueti orauit ad patrem. Inde progressus uenit in locum, de quo ait luchas euangelista: Auulsus est autem ab eis quantum iactus est lapidis. Rectoque itinere subiit in uerticem eiusdem montis olilueti, de quo saluator celos ascendit. Inde per uiculum bethfage, et locum, in quo lasciuiens pullus domini frena suscepit, descendit in bethaniam ad sepulchrum lazari, et hospicium sororum eius. Post hec perrexit bethleem, et in speculum saluatoris introiens, sacrum uirginis diuersorium, quo christus natus est, suppliciter adorauit, et similiter tanquam prudens animal stabulum ubi agnouit bos professorem suum, et asinus presepe domini sui. Uidit et locum ibi, quo seuiens herodes pro christo paruulos interfecit. Quid narrem cum quanta deuocione ad iordanis aquas tocius humani generis labe maculatas, et a christi babtismate mundatas, concurrerit? Nec pretermisit locum quarentene, ubi saluator mundi temptatus a sathana, totum milicie nostre tempus, qui nunquam temptari desistimus, quadragenario suo uoluit insinuare. Inde per amarissimum fontem, quem olim heliseus sua dulcorauit sapiencia, iericho pertransiens, uidit iuxta uiam cecorum loca, qui receptis luminibus utriusque populi credentis in dominum sacramenta premiserant. Longum esse si uellem enarrare quo ardore lustrauerit chanaan et capharnaum, signorum christi familiares, et dicere cum quanta ammiratione uiderit lacum tyberiadis, quem sub mercede nautica dominus transfretando sanctificauit, et solitudinem, in qua de quinque panibus et duobus piscibus multa milia saturata sunt. Hoc tantum di-

cam, quod per singula loca et sanctitates christum se uidere credebat, et de facultatibus suis prout habere poterat refrigeria sumptuum offerebat, elemosinas pauperibus faciebat, et quicquid in illos conferebat contulisse in deum letabatur. Lectoris fastidio consulens, pauca commemoraui de sanctis locis, que illo tanto studio circuiuit, ut a primis non posset abduci nisi ad reliqua festinaret. Diebus autem multis ad sepulcrum domini ex ardore fidei mansionem habuit, non in refectione quidem, sed in oratione et dei opere. Cuius sanctitatem eiusdem sepulcri canonici regulares adtendentes, in eius orationibus attencius se comendarunt, eumque reciproce in suis beneficiis receperunt. Communem etiam societatem uiuendi uolentes ei dabant, si cum illis habitare uellet, et custodiam sepulchri: Quod eum pre omni negocio desiderare cognouerant. Ille uero se hoc facere minime posse dicebat, nisi prius ad hispanias rediens, domui sue disponeret. Igitur per totam iherosolimam ubique locorum sanctorum, iterum atque iterum attentius se omnipotenti deo comendans, canonicis quoque et cunctis seruis dei uale faciens, reuersus est ioppem, ubi prius appulerat. Unde nimietatibus uentorum per insulas grecie deuectus, multos in itinere labores passus siquidem nauibus, nunc pedibus, nunc asello deportatus, attritus tandem et debilitatus ad domum propriam agrosque in hispaniam remeauit: Futurum rursus ut in proximo iherusalem rediret, et ad gloriosum sepulchrum, finem dierum suorum deuotius expectaret. Verumptamen eo a ciuibus suis in magna gloria recepto, ego quoque hic prime partis huius operis spacium coartabo.

11. In superiore parte huius operis de predicti uenerabilis uiri exortu et processu, qualiter in seculo conuersatus fuerit, sumatim perstrinxi: Nunc deinceps, quomodo ad habitum christi uenerit, et in congregatione uixerit, ut dominus donauerit ordine contingere libet. Verumptamen tocius boni datorem inuoco sanctum spiritum, quo munus huiusmodi ita peragam, ut nec patris luminum offendam ueritatem, nec eorum, que in eo uidi uel audiui, fraudare uidear claritatem. Cum itaque mente infatigabili rursus iam tercio redire disponeret, ardebat enim iherosolimam et sancta loca uidere, nutu, ut reor, diuino a religiosis uiris urbis colimbrie preuentus est, Quos scilicet diuini consilii prouidentia iam in hoc ipsum aspirauerat, ut omni cum deuocione seculum relinquentes, in suburbio eiusdem ciuitatis ad aquilonis partem, ubi regie balnee erant, ad seruiendum deo cenobium construerent. Quorum primus tellus archidiaconus fuit, uir quidem magne discrecionis et prudencie, qui ad tam utile consilium tanque preclarum opus exemplo suo ceteros inuitauit, situm monasterium comparauit. Cuius etiam opibus et consilio tota cenobii fabrica a fundamento surrexit, quique, ut superius dixi, magister et preceptor domni theotonii extitit. Secundus autem domnus iohannes cognomento peculiaris, qui eo tempore colimbrie magister scolarum erat, qui postmodum portus gaie factus episcopus, post mortem quoque domni pelagii, brachare preficitur archiepiscopus. Tercius domnus honorius presbiter, uir magne auctoritatis et ecclesie sancti iacobi de suburbio colimbrie prepositus. Prior quoque sancte Marie de castello montis maioris domnus sesnandus, homo nimium reuerendus. Fuerunt et alii uiri religiosi simul omnes a principio undecim. Sed ego longitudinem deuitans nomina singulorum hic ponere nolui. Ab his igitur domnus theotonius preuentus, duodenarium compleuit numerum. Nec enim eos fas erat in undenario remanere. Hi fuerunt ab exordio huius monasterii primarii uiri. Attamen priusquam ad socialem uiuendi usum adquieuisset, diu multumque pie tamen reluctatus peribetur, asserens ex multo tempore fecisse uotum ultra mare abeundi, et, ut premissum est, finem dierum suorum ad sepulchrum domini prestolari. Uerum illi e contra utilius esse memorabant in hac occidua mundi parte, ubi uix nomen christi perlatum est, eum iuxta sanctorum patrum regulam uiuere, et ignaris hominibus formulam honeste uite monstrare, quam iherosolimam ire, cui presentiam suam dominus exibuit, et innumeris miraculis totam regionem ab omni fidei ambiguitate sanauit. Que christum, inquiunt, infantem uidit pannis inuolutum in presepe uagientem, stellam desuper fulgentem, magos preterea deum adorantes, et pastores nocte uenientes, ut uiderent uerbum quod factum fuerat. In hunc quoque modum etiam memorabant eiusdem nostri redemptoris plurima uirtutum insignia. Quibus homo dei tanquam deuictus tandem assensum prebuit, seque participem eorum et consortem in omnibus effecit. Nec mora, ea que in seculo iustis modis acquisierat, fideliter dispensauit: Partem enim dispersit pauperibus dedit, Partem uisiensi ecclesie contulit, Partem quoque rebus futuri monasterii secum adiunxit. Ut unde pauperibus subministraret, inde et ipse tanquam pauper uoluntarius uiueret, qui se in numero pauperum fratrum paupertatis amore constituebat: Pauperem enim dominum pauper spiritu sequebatur, Qui ideo se exeredabat in terra, ut heres inueniretur in celo. Igitur sub Era M.ªC.ªLXX.ª, vel ab incarnatione filii dei anno M.ºXXX.ºII.º *, in unum conuenerunt, tempore uidelicet clarissimi infantis A. henrici comitis et regine tarasie filii, qui tunc infans dux portugalis erat, sed processu temporis et diuini muneris largitate, post tocius pene lusitanie et ex parte gallecie rex est effectus illustris. Cuius auctoritate roborati, et uenerabilis B. colimbriensis episcopi, ceterorumque bonorum utriusque ordinis consilio freti, in supramemoratis balneis monasterium in honore sancte crucis et beate dei genitricis marie, construere ceperunt die III.º kalendas iulii, in uigilia apostolorum petri et pauli. Sexto autem Kalendas martii sequentis in capite ieiunii, non iam XII.ᵐ sed ferme LXX.ªII.º armati sunt milites christi apostolorum proposito communiter uiuere sub habitu et regula beati agustini. Siquis uero de situ loci et libertate monasterii plenius nosse desiderauit, legat dictatum donni petri alfarde magistri: Mihi autem hoc breuiter dixisse sufficiat ad uiam modumque conuersionis uiri dei patefaciendam. Congregatis itaque fratribus, consilium simul et uox una omnium fuit cum omni gratulatione totius congregationis curam domino T. committere. Cumque ille ad tanti regiminis pondus iterum ac sepius se proclamaret indignum, uirtute tandem obedientie opposita, inuitus nolensque suscepit, ceteris sub ipso in eodem loco firmantibus stabilitatem. Sub quo nouo patre nouum monasterium magnis breui tempore larga dei pietas sue gratie muneribus illustrauit, bonis uiris et religiosis nobilitauit, Nec minus amplum possessionibus quam clarum uirtutibus reddit. Fuit enim in diebus eius fama celeberrimum, religione ualde conspicuum, In quo ut id ad quod omnia que dicta sunt pertinent eloquar domnus theotonius ad culmen sanctitatis mirabiliter excreuit. De cuius sanctissimis actibus, ne tantus uir lateat, qui modis omnibus fuerit imitandus, pauca de pluribus breuiter attingam. In quibus exponendis nichil addo, nichil in maius extollo more laudantium, uel ut ab hominibus gratiam promereri uelim, sed gratias ago, quia nostris temporibus talem patrem habere meruimus, immo habemus. Deo enim uiuunt omnia, Et, ut ait beatus iheronimus, quicquid in deum transfertur, in familie numero computatur.

12. Itaque ab exordio magnis uite meritis ceteros anteire cepit grauitate uite, singularitate abstinencie, et uirtute continue orationis, frequenter enim deum precibus exorabat. Si quando uero ab oratione cessabat, nunquam de manibus eius sacra lectio deponebatur. Maxime tamen psalmodie operam dabat. Siquidem cotidie preter canonicas oras et diuinum officium, quod cum timore et ueneratione diuina competenter complebat, totum psalterium procurrebat, deinde ceteris bonorum operum exercitiis, aut quibuslibet utilitatibus monasterii uaccabat. Nullis unquam uitiorum illecebris aut seculi uanitatibus incumbebat, Sed semper illi cordi secretum, mansuetudo, silenciumque, et pax fuit. Denique preter consuetudinem nostri temporis in tanta se humilitate deiecerat, ut minimus omnium appeti uideretur, et ultimus seruorum dei. Tantus preterea canonice institutionis eum feruor accenderat, ut ipsum ordinem, quasi toto orbe fugientem, persequi uideretur. Inde est quod huius rei gratiam misit ad conpostelam, fre-

* *Lege* M.ºC.ºXXX.ºII.º

quentius ultra pireneos montes ad monasterium sancti rufi, quod uidelicet inidipsum ceteris prestare cognouerat. In congregatione autem uir deo plenus sic uiuebat, et ita temperatus et modificatus erat, ut nec in habitu suo, nec in actu, aut etiam in ipso incessu reprehensibilis uideretur, in tantum ut ne susurronum quidem uel criminatorum quisquam occulis in eo posset notare, quid ante uel retro regulariter non fuisset, adeo sui ordinis executor effectus erat. Multi multas in eo laudant occupationes inmo uirtutes. Alii humilitatem, que prima christianorum uirtus est. Alii sanctitatem, innocentiam, grauitatem, religionem, et ardorem fidei, que omnia in eo domicilium sibi fecerant. Ego amplius laudabo in eo, quod cum fratribus suis caritatis uinculo, uelut quadam germanitate, semper astrictus erat. Non enim eos quasi proprios, sed ut domini gregem tractare meminerat: Omnibus caritatis officio seruiebat. Si qua facienda erant, non precipiebat, sed demonstrabat cum omni humilitate et reuerentia. Inuicem eos obsequio beneficio, et honore preueniebat. Superiorem locum non exigebat. Nunquam imperabat. Sine superbia gubernabat. Nunquam temere reprehendebat. Attamen si quos deliquentes, aut secus quam dignum erat agere uidisset, aut uanis confabulationibus uacantes repperisset, zelo rectitudinis pariter arguebat et castigabat. Et quandoque ita seueriter corrigebat, ut ceteris maxime iuuenibus terrorem incuteret, ne quid tale agere pertemptarent, sed potius emendati in melius proficerent. Prius tamen eos, ut dictum est, secreta ammonitione pio patris affectu castigabat. Sic igitur canonica censura et in obedientes corripiebat, et obedientes ad meliora prouocabat. Si forte aliquos inter se commouisse cognoscebat, iuxta euangelium eos sermone leuissimo federabat, assidue memorans illud apostoli: Sol non occidat super iracundiam uestram. Quod eum in se ipso usque ad diem obitus sui complesse uidimus. Si enim contra aliquem in moribus cohercendis necessitas discipline eum dura uerba dicere compellebat, statim ante solis occasum se cum eo fraterna pietate pacificabat. Sic cunctos uite sue informabat exemplo.

13. Sed et tanquam bonus exortator in castris domini, non cessabat oleo exortationis et edificationis eos ad bene uiuendum informare. Ut qui iam seculi miliciam dereliquerant, rectum christi iter tenerent, donum religionis sibi diuinitus collatum, nec uitiis nec etiam turpibus cogitationibus fedarent, quin potius illud humilitate, sobrietate ceterisque ornamentis sanctarum uirtutum exornarent. Pro suis populorumque delictis deum exorarent, cum omni deuotione et ueneratione diuine seruitutis opus peragerent, quatinus non solum ergo deum sed et ab his qui foris sunt bonum testimonium habentes, domino suo, ad cuius honorem congregati essent, in omnibus fideliter deseruirent, unusquisque uidelicet de officio suo ad laudem et gloriam nominis dei, et utilitatem proximi, vt iuxta apostolum singuli essent alter alterius menbra, et sic ueri pauperes christi esse contenderent, ut uere beatitudinis participes efficerentur. Omnes omnibus religionem exiberent, pacem et concordiam inuiolabiliter custodirent, et ita usque in finem in sancto proposito permanerent. Sepe etiam tamquam ad minores ualde enim memini conuertebat sermonem; Eia, inquiens, filioli, affligendum est corpus, quod in seculo multis uacauit uanitatibus. Lingua cohibenda, que omni tempore prona labitur ad peccatum nisi diligenter custodiatur, et addebat quia diues locacitati seruierat, in inferno positus uehementius in lingua ardebat. Et illud; mors et uita in manibus lingue. Risum quoque perpeti compensandum esse fletu assidue memorabat, vt rideamus, inquiens, in die nouissimo, alioquin iuxta salomonem dolori misceri frequenter monebat, ut ab ociosis sermocinationibus auditum pariter castigarent et linguam, vt inuidiam, mendatium, detractionem, superbiam, odium uel iracundiam contra proximum non haberent. Et ad hec singula diuine auctoritatis subiciebat exempla dicens: Quia inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarum. Et os quod mentitur occidit animam. Et qui detrait fratri suo eradicabitur, et deus superbis resistit humilibus autem dat gratiam, et qui odit fratrem suum homicida est et in tenebris manet. Et iterum dicebat quod per odium amittitur utilitas et iocunditas illa, de qua ait beatus dauid: Ecce quam bonum et quam iocundum habitare fratres in unum. Et per illud expellitur christus qui est uera sapiencia. Quia in maliuolam animam non introibit sapientia. Preterea intentabat eis et terrorem uenturi iuditii, et proponebat dulcedinem regni celestis, modis omnibus satagens, ut uitam suam corrigerent, ut sermo esset pudicus, incessus honestus, uultus humilis, lingua affabilis, mens plena dilectione, et manus operatione. Talibus igitur exortationibus et similibus spiritualis pater mentes subditorum assidue muniebat, et eos magis ac magis in persoluendis diuinis laudibus et in ordine suo custodiendo promtiores ac deuociores efficiebat. Que quidem omnia non grandi eloquentia, sed simplici sermone proferebat, et, ut ita dicam, sancta rusticitate, que interdum mundana philosophia efficatiorem, et magis necessaria ad edificationum fratrum.

14. Nec in spiritualibus solum tam egregium conseruabat studium, sed in carnalibus quoque plurima sollicitudinis ac prouidentie sue documenta subsidiaque terrena prestabat fratribus diligenter et cum caritate et opportuno in tempore. Ut autem huius rei summam breuiter attingam, sic pastionem dominici gregis multimoda sollicitudine gerebat, hoc est familie christi utramque annonam spiritualem uidelicet et carnalem ita subministrabat, ut iam per omnia uideretur euangelicus ille seruus fidelis et prudens, quem constituit dominus super familiam suam.

15. Quid refferam quam pia consideratione senes ac debiles secundum uirium inbecillitatem supportare, ac deligenter honorare precipiebat, et precipiendo supportabat et honorabat? Pueros uero et adolescentes, qui in congregatione nutriebantur, cum summa pietate fouebat, sine contumelia corripiebat, sine crudelitate castigabat. Circa quos ita sollerter eius inuigilabat industria, et ita eos ecclesiasticis constringebat disciplinis, ut eorum lasciua etas nullum posset reperire locum, quo in peccati facinus prorueret.

16. Quid memorem clementiam eius et sedulitatem in egrotantes, quos miris obsequiis et ministeriis confoueri faciebat gratia uisitationis, et dulcedine sui oris subleuabat, quibus supra omnia peruigilem curam adhibebat, et quasi christo seruiebat? Quecumque enim sustentationi diuersarum infirmitatum necessaria erant, omni obseruantia fideliter ac diligenter illis amministrari iubebat. Frequenter quippe fratribus dicere solebat: o filioli, huiusmodi portandi sunt quia de talibus superna retributio indubitanter adquiritur. Nec erat apud eum personarum acceptio, sed infirmitatum pia et necessaria consideratio. Cumque aliis languentibus large preberet omnia, si quando ipse egrotasset, sibi non indulgebat, non delicata uel insolita ciborum genera concupiscebat, nec nimis accurate et laute preparata, sed magna constantia delicias et luxum ciborum aspernans, quod sepe uidimus assatum cepe cum sale tantum sumebat, aut omnino parcos et frugales cibos. Et cur ista de eo egrotante loquar cum et insospitate miram semper et inimitabilem ciborum habuit parsimoniam? Numquam metas temperantie contra honestatem, uel supra necessitatem transiuit. Numquam discipline sue, numquam honestatis oblitus fuerit, semper cum fratribus suis communium ciborum usum in refectorio habens, et partius de cibo suo quam quis alius sumens. Natiua quippe bonitas eius et rigor discipline cunctas in eo petulancie gulas omnino extinxerat. Nunquam ad domum infirmorum, quamuis diligenter omnium fratrum precibus exoratus, ire uoluit. Nunquam sanguinem minuit, nunquam uel leuissimam potionem aliquando accepit. In eo autem inequalis uidebatur, quid in aliis omnibus sanis uidelicet, infirmis, et debilibus clementiam, in se duriciam commutabat. In hac re pertinatior fuit, ut sibi non parceret, ut nulli crederet admonenti.

17. Qualem etiam compassionis affectum erga miseros habuerit, quamquam pius extiterit, uel hec res sola indicium est. Quod cum alfonsus, nobilis infans portugalis, uersus remociores hispanie partes, que metropoli adiacent, que hispalis dicitur, ducto exercitu, pene totam

sarracenorum prouinciam depredatus fuisset; uiri bellatores eius inter infinitam predam, quandam christianorum gentem, quos uulgo mozarabes uocitant, inibi sub ditione paganorum detentos, sed tamen utcumque christiani nominis ritum obseruantes, pariter captiuarunt, atque iure bellantium seruituti subrogarunt. Quo uir deo plenus audito ualde condoluit, et qui nunquam ne ad exteriorem quidem portam monasterii de claustro exierit, inferuescente zelo fidei, egressus obuiam regi, et cuncto exercitui, dixit: O rex, inquiens, et cuncti barones, qui sancte matris ecclesie filii estis, cur fratres uestros uobis in seruos et ancillas subiugatis? Peccatis enim super hoc domino deo uestro. Cumque, prout debuit, compendiose tamen eos allocutus fuisset, et quod, nisi eos liberos dimisissent, magnus eis furor domini immineret, rex et cuncti bellatores totum illud genus hominum dimiserunt, et coram eo liberum abire permiserunt. Pretereo, ne superfluus uidear, quam honeste nobilis dux et obtimates, eius obuiam quoque uenientes, eum susceperunt. Descenderunt quippe de equitaturis suis, eo descendente, et eius manum suppliciter osculantes, promittebant uolentes quicquid postulasset ab eis. Igitur per studium illius liberatis a seruitute plusquam mille hominibus, exceptis uxoribus et paruulis, quicumque de gente illa colimbrie esse uoluerunt, locum habitandi circa monasterium sanctus dedit, eosque per annos plurimos de annona monasterii pauit, utpote inbecilles et legitima terre ignorantes.

18. Gratiam quoque curationis nichilominus in eo fuisse ex hoc iam patenter agnouimus, quod preter multa beneficia et diuersorum morborum remedia, que ab illo expertimus, cum quodam tempore prefatus infans portugalis inmensis febribus estuasset, et pre nimia febrium anxietate uehementer urgeri cepisset, magnisque non iam uocibus, sed stridoribus in extremo spiritu se constitutum esse clamaret, uisitationem tandem uiri dei ultimum remedium anxie quesiuit. A quo cum diuine exortationis oleo fuisset infusus, eiusque dextera clementer attactus, mira res, protinus feruore paulatim tepescente, refrigerium salutis accepit. Tantaque in eius presencia uirtus ei diuinitus collata est, ut statim hora eadem cibum quo diebus multis caruerat, incolumis acceperit.

19. Preterea cum iam ob inuictissimam eius in martiis congressionibus stremitatem, pariter et illustrem nobilitatem, merito rex uocaretur, et uxor eius mahalda regina, comitis amedei filia, ob difficultatem partus iam morti proxima periclitaretur, prout erat sapiens femina fideique firmitate fundata, hoc solum post deum penes se consilium inuenit, quatinus si mereretur a sancto consignari uiro, protinus ei omnipotentis remedium subueniret. Vocatus igitur per nobiles uiros ad eam uenit. Cum autem edito crucis signo eam in dei uirtute consignasset, protinus ante pedes eius filium generauit, moxque de nati filii officio leta mater effecta, mirabiliter sanitati restituta est. Uerumptamen graues aliquando persecutiones ab ea sustinuit, eo quod illi ingressum claustri negauerit, seruato per omnia sui ordinis rigore. Nam cum die quadam ad eum uidendum regina uenisset, et modis omnibus claustrum interius uidere uoluisset, prior blande tamen restitit dicens, aliam intus esse reginam. Nec esse ordinis, nec approbate consuetudinis, feminam habitaculum mundum fugientium ingredi, nisi forte defunctam. Nec regine officii esse, quia non reputaretur illi ad gloriam hoc a domino deo. Proponebat ei ozie regis exemplum, qui iccirco, quod in templum domini uoluit intrare, et incensum adolere, statim lepra percussus est, usque ad diem mortis sue leprosus permanens. Tanta denique mentem illius ordinis emulatio possidebat, ut uigore et auctoritate spiritus sancti regine intrepidus obsisteret presumenti. Maluitque uir beatissimus illius furentis succumbere odio, quam talis aliquando claustri fieret abusio. In hoc igitur facto reliquit nobis tanquam hereditariam possessionem formulam honeste uite.

20. Tante quoque sanctitatis fuit et tam manifeste, quod etiam maligni spiritus eum uisibiliter aliquando timerent. Rem quidem miram, sed tamen ueram loquar. Monachus quidam de anglia, nomine samuel, affuit quondam in nauali collectione exercitus francorum, qui cum rege portugalensium ulixbonensem urbem deo donante ceperunt. Hic autem corporali molestia percussus, ad hoc colimbriense monasterium uiri dei perductus est. Qui ad extremum ueniens, uidebat tetros et nigerrimos spiritus in se crudeliter et indesinenter spicula spargere, et uehementer inminere. Pauore autem tetre eorum imaginis huc illucque uertebatur. Sepe toruis luminibus cadebat de lecto, aspectum eorum ferre non poterat, et turbatis uocibus hoc sibi astantibus refferebat. Non enim ipsi malignos spiritus uidere poterant, sed eorum presentiam, in pallore ac tremore illius, qui turbatur, uidebant. Cum autem humanitatis gratia ad eum uir beatissimus ueniebat, mox maligni spiritus delitescentes, et per tenues auras euanescentes nusquam teste monacho comparebant. Per quod patenter intelligi datur, demones presentiam eius expauisse.

21. Sepe autem ex occasione huius monachi nos ad perseueranciam uocationis nostre, et cathenam obedientie, pio nos patris ortabatur affectu. Dicebat enim: Si monachus iste, qui per qualemcumque sui abbatis licenciam ueniebat, habebat enim secum utcumque comendaticias litteras, de habitaculo sue carnis sic euulsus est; quid fiet de illis, qui leuitati et mobilitati mentis manum dantes, per lites et scandala diuiduntur, et per inobedientiam a monasterio suo recedunt? Propterea ergo cauete uobis, o fili, ne iugum domini leue obtrectetis et suaue, ne compedes christi abiciatis. Circuit enim diabolus querens quem deuoret, et eos, qui de congregatione sua inobedientes fugiunt, miserabiliter cruciat et extinguit.

22. Simili quoque pena quidam professus laicus affligebatur in monasterio. Siquidem uidebat iugiter et sine intermissione umbram cuiusdam nigerrimi ethiopis, qui eum uehementer extento arcu sagittabat, hostemque suum e regione contra murum inordinatis uocibus indicabat, digito etiam ostendebat quamuis eum fratres minime uidere potuissent. Cruciebatur miser plus pauore quam infirmitate. Quociens autem ad eum sanctus ueniebat, arcum protinus diabolus remittens, mox se abscondebat, nec in eius quidem presentia iaculari eum audebat. Quo cognito, uir dei, tanquam sciens pro qua causa tam orribiles lueret penas, dixit ad eum: Confitere miser, confitere, inquit, ruinam adulterii, quam lapsus es. Que res protinus euidens et perspicua facta est, sicut prior dixerat.

23. Erat preterea frater quidam in monasterio ualde deuotus, quem humani generis inimicus mox in inicio conuersionis sue uexare consueuerat. Accidit die quadam, cum pater spiritualis extra chorum in ecclesia tamen debilitatis causa sederet, et predictum fratrem ab hoste suo forte circa uexari cognouisset, nondum enim illum pati uiderat, mox fideliter apprehensa fratris dextera spiritum nequam cominando dixit: Exi spiritus inmunde in nomine iesu christi, et in uirtute spiritus sancti precipio tibi ne amplius seruum dei conturbes. Confestim igitur exiens ueteranus hostis, ex ea hora nunquam dei famulum temptare ausus fuit. Sepe numero uidimus nonnullos egrotantes fratres, eo quidem orante et pro ipsis genuflectente, sanitati restitui.

24. Vis autem cognoscere quantam sollicitudinem gerebat eorum etiam, qui in itinere dirigebantur, uel quantum eius oratio apud omnipotentem deum ualebat? Fuerat causa qua honorius presbiter unus de primis senioribus, de quo superius habita mentio est, ulixbonam mitteretur, habens secum sexcentorum solidorum summam ad construendam beati uincentii martiris ecclesiam, que extra muros urbis ipsius est, prout habebat in mandatis a rege. Qui in ea solitudine, que est inter colimbriam et sanctaren, a sarracenorum latrunculis captus, ad ciuitatem heluuas captiuus ductus est. Igitur inuisus nuntius et durus rumor cunctos monasterii perculit fratres. Sed et per uniuersam ciuitatem non modica tristicia erat. Sanctus autem, cui maxime circunfusa erat tristicia quedam, pro qua dolor cordis manifestabatur, diligenter alloquitur fratres cunctos, ut per omnia solliciti essent consortis sui, et compacientes, iuxta apostolum dicentem: Cum patitur unum membrum compati debent cetera, et fideliter in orationibus suis peterent illum, ab eo, qui ait discipulis suis:

Quicquid pecieritis in oratione credentes accipietis. Scientes quoniam exaudiret dominus preces eorum, si manentes permanerent in orationibus in conspectu dei. Essent etiam memores apostolorum christi, qui in conclaui suo precibus sanctis orando, apostolorum principem de uinculis herodis meruerunt eripere, et de omni expectatione plebi iudeorum. Ad hanc igitur exortationem cuncti fratres publica et priuata supplicatione deprecantes deum, permanebant in conspectu domini. Prior autem post continuatas orationes et deo deuotas preces, quas nunc euoluere longum est, ex toto corde subnixius exorabat, ut qui tam tristes erant de captiuitate senioris, de liberatione eiusdem consolari mererentur per misericordiam redemptoris. Et mirum in modum dum hec in monasterio agerentur, ecce ex insperato senior die xv.° sue captionis affuit sanus, liber, et absolutus, cum magna gloria, sine detrimento et diminutione rei familiaris, constante quoque numero solidorum, comissis etiam fidei sue xii.^m^ captiuis. Quomodo autem omnipotens per cuiusdam pagani fraudem saluberrimam de captiuitate illum liberauit, dicere pretermitto, ne libri magnitudo extendatur, maxime cum in ore totius uulgi peruulgatum sit. Uidesne ergo quanti meriti uir iste fuerit, cuius tam pia sollicitudo fuerit, et cuius oratio apud deum tantum ualuerit?

25. Habebat autem et hanc consuetudinem, ne plus admitteret fratres in congregatione, quam racio sineret, aut facultas monasterii suppeteret. Sed eis quidem, quos recipiebat, anime et corporis solatia uigilanter exibere curabat. Peritissimi medici factum imitans, ut scilicet adhibita magne discetionis cura, quid cuique congrueret quidue conueniret, diligenter adhiberet. Hoc et in corrigendis moribus sumopere perpendebat, ut scilicet iusta quantitatem uulnerum exiberet fomenta curationum, qualinus nec alteri daret quod noceret, nec alteri subtraheret quod iuuaret, clemens semper existens erga humiles et benignus.

26. Illud quoque silentio pretereundum non est, quod illi semper moris fuit et approbate consuetudinis uisitaciones et frequentiam secularium hominum, qui pro celebritate nominis eius eum uidere cupiebant, omnino non appetere, rarenter quidem sustinere. Tam manifesta quippe sanctitas eius et tam celebris erat, ut non solum inferioris ordinis, uerum etiam rex, principes et potentes, qui eum uidere merebantur, ad eius genua prouuoluebantur, et eius manum suppliciter osculantes, ab eo benedici subnixius exoptabant. Attamen quamuis ille non diuites, non potentes appetebant, si quando se illis pro tempore et loco iungebat, eos sale sapiencie condiebat. Si pauperes erant sustentabat. Si diuites ad benefaciendum commonebat, exortans cunctos ut rectam fidem tenerent, prauitates suas abicerent, et timerent dominum semper contenti stipendiis suis. Et a se uicium et seculi uanitatem abicientes, uitam suam deo puram exiberent, ne operationes eorum inpedirentur apud deum. Hec et his similia loquens ad eos animas eorum reficiebat et innouabat. Contulerat siquidem ei dominus talem gratiam, ut quicumque personam illius uidissent, uel sermonem oris eius audissent, quasi angelum dei se uidisse gaudebant, eique cōndignam uenerationem exibebant. Uox enim et dulcis erat et suauis, demissa sine strepitu, sine clamositate, sine omni asperitate prolationis. Et tanto ad animos audientium ueniebat gracior, quanto ad aures nec durior erat iniocundior. Proferebat semper pauca et racionabilia uerba, pariter et benigna. Unde semper apud omnes sermo eius gratiam inueniebat. Juxta illud salomonis: Dulce uerbum amicos multiplicat, et inimicos mitigat, et lingua eucharis graciosa in bono uiro babundat. Facies eius temperata erat, et ita modificata in gestu suo, ut nec proterue exasperaretur, nec molliter dissolueretur, sed semper habebat et rigidam dulcedinem, et dulcem rigorem. Numquam̄ pulcritudinem faciei eius aliqua indecens transmutacio deformabat. Tocius corporis modestiam ita preferebat, ut nec inordinate, nec turbulente aliquando membra moueret, uel placorem sui sermonis inminuerit. Tanta preterea inerat ei tranquillitas animi, tantusque in eo inoleuerat bonitatis affectus, et ita ab omni malicie suspicione erat defeccatus, ut merito de eo dici credatur. Pax multa diligentibus legem tuam. Quid plura? Celestem uitam in terra positus agebat. Igitur propter nimiam eius sanctitatem fiebat, ut rex et principes eius, et cunctus utriusque sexus populus colimbriense monasterio summo honore et reuerentia dignum ducerent, maximis muneribus illustrarent, bonis temporalibus ditarent, in tantum ut super cunctas penes tocius hispanie huius ordinis congregationes mirabiliter emineret. Ita rex de rebus suis ibi plurima tam mobilia quam inmobilia dona contulit, locum ditauit, res monasterii cunctas intus et extra firmauit, et firmando cautauit. Super cunctas enim coronatorum personas eum diligebat et honorabat, magis in eo, quam in alio aliquo hominum confidebat, seque et suam animo commendabat. Uir quoque beatissimus domnus theothonius eum pre cunctis hominibus qui in eius regno erant, Et ideo paterno affectu frequenter castigabat et amonebat ut eum per quem reges regnant, et in cuius potestate sunt omnia iura regnorum ceterarumue potestatum timeret, et mandata eius obseruaret, quia propter hoc est omnis homo. Regnum sibi comissum secundum equitatem dispensaret, iusticiam inuiolatam conseruaret. Ne iudex eius secularis in ecclesiasticam personam manum mitteret, aut ecclesiastica negocia examinanda susciperet. Ne sacra loca uiolare permitteret, uel etiam confugientibus ad illa, quamuis reis, et pro suis sceleribus condempnatis, inordinate uiolentiam inferre temptaret. Neminem unquam iniuste condempnaret. Sed opportere regem habere iusticiam, ueritatem, fidem, bonam operationem, et Sanctorum locorum reuerentiam, alioquin nichil differe a principe latronum regem dicebat. Pro quorum omnium temeraria presumptione minabatur ei suo simplici uerbo angariam esse faciendam. Cum autem rex quereret quam angariam, ille ex sua interpretatione dicebat esse gehennam, in qua potentes potenter tormenta sustinere, et malefactores cunctos in perpetuum ardere memorabat. Quantam sollicitudinem uir dei pro rege habebat, uel quantum rex in eo semper confidebat, uel in illo uno miraculo de sanctaren considerare potest. Cum enim rex ciuitatem ipsam nouo genere pugnandi aggredi uoluisset, furtim uidelicet et quasi per latrocinium, nam aliis bellicis apparatibus nunquam potuit, Erat enim propter locorum situm inpossibile, et propter nimiam fertilitatem populorumque frequentiam, ad uirum dei ueniens consilium illi soli detexit, animamque suam tanquam de hoc mundo exiturus comendauit, diem etiam, quo hec facturus cogitabat, sub silentio indicauit, et ut eo die pro se cum fratribus comunem orationem faceret, obnixe rogauit et discessit. Die igitur notato, cunctis in capitulo fratribus prior rem exposuit. Letanias nudis pedibus, publicas quoque et priuatas deprecationes rogans fieri mandauit. Prior autem preter magnitudinem precum, quas iugi meditatione deo obtulit, sic orabat: Domine, domine, inquit, omnipotens, qui muros iherico sine gladio et arcu subrui fecisti, qui etiam ad precem iosue contra gabaon solem stare precepisti, tuam deprecamur ineffabilem clementiam, ut regi nostro famulo tuo, sub umbra cuius, te protegente, uiuimus, uictoriam propitius concedere digneris de inimicissima christiani populi ciuitate. Qualinus excluso inde spurcissimo ac nefando mahometis ritu, laudetur ibi nomen tuum domine deus. Mox igitur postera die ecce nuncius bonus de nuntiis domini, bonum portans nuntium, affuit, qui urbem esse captam et in ditionem regis subactam letus annunciauit. Nocte enim sequente prenotati diei, quo hec facta sunt in monasterio, rex eam mirabiliter media nocte cepit.

27. Sic nimirum fecit, quando in campo haulich V. reges paganorum cum innumera eorum barbara multitudine de ultra citraque mare ut eum omnino perderent coadunata, deuicit, auxilio sibi facto diuino, et beati iacobi patrocinio, cuius ea die sollempnitas fuisse peribetur. Sed et quando cum nauali exercitu francorum olixbonam cepit, et nichilominus cum alchazar longo certamine uicit. Et quid per singula? Quociens aliquid rex magnanimiter facturus erat, ad uirum dei semper ueniebat, et eius orationibus se et suam animam, ut dictum est, attentius comendabat. Ipse uero tam tenere regem diligebat, ut pro

eo magis quam pro semetipso sollicitus esse uideretur. Unde cum quodam tempore falsus rumor exisset, regem uidelicet a mundo excessisse, ut nobis sanctus referebat, et uerum quidem erat, dolor cordis tam grauiter eum percussit in modum sagitte toxicathe, quatinus deinceps infirmo iam semper et debilitato corpore uiueret, Et tamen in seruicio dei nullus ei iuuenum sano et uegeto corpore poterat conparari. Diu moratus sum uelut in uadosis locis, ut ostenderem quam sincero amore regem dilexerit, et quam magnam rex in eo confidenciam habuerit, cui post deum animam suam tociens comendauerit. Quod nullatenus faceret, nisi eum sanctum uirum crederet et iustum. Sic cuncti principes, et utriusque ordinis fideles ei inclinantes, et uenerationem exibentes faciebant. Uidi plurimos et precipue de regno francorum, qui eius sanctitatem altius intelligebant, ad eius genua prouuolui, qui manum eius summa cum deuotione osculantes, eam quasi remedium sue salutis ex ardore fidei per occulos et ora sua circumducebant. Preterea cum omnibus karitatis ardore sic complexus erat, ac si comunis pater esset tocius populi. Neminem umquam fastidio despiciebat, etiam si superbus esset. Judeos solos et hereticos, pariter et paganos, in tantum fastidiebat, ut nec salutacio quidem ei cum his aliquando communis fuerit. Adeo catholice fidei hostes aborrebat. Quis umquam de hoc uiro quod displiceret audiuit ut crederet? Quis credidit ut non magis se ipsum malignitatis et infamie condempnaret? In tanta etiam humilitatis arce se collocauerat, ut nec nomen quidem abbatis aliquando habere uoluerit. Unde usque hodie hoc monasterium sub nomine prioratus consistit. Sed et intra claustri interioris abdita, ita semper se custodiuit, ut nunquam pedem proferret in publicum, nisi solis uicibus quas superius memoraui. Quid inmoror? Sic suam in monasterio transegit etatem, et talis ac tantus uixit, ut boni eum semper predicent mali detrahere non possint, regulares imitentur, et suscipiant sacerdotes. Uix de multa pauca dixi. Quis enim explicare ualeat qualis in eo fuerit fidei deuocio, actuum morumque exornatio ac diuinorum cultuum executio? Aut quomodo circa professionem suam puram adibens diligentiam et firmam perseueranciam comissam sibi cum timore domini rexit congregationem per xx.[i], et eo amplius annos? In edificiis tamen et nouis fabricis minus intentus fuit deuitans in eis inplicationem sui animi, quem semper liberum uolebat in spiritualibus, tanquam illa religiosissima maria, que sedebat ad pedes domini, atque intenta eius uerbum audiebat. In his semper suspensus atque inherens fuit.

28. Jam nunc autem quam sancte in uita sua priuilegium. honoris deposuerit memorandum reor, et sic ad eius finem ueniendum. Post uicesimum itaque et primum ab ingressu monasterii annum, longam corporis cepit contrahere ualitudinem. Unde tanquam bonus pastor et prouisor animarum tocius gregis sollicitudinem gerens ipse nobis in communi capitulo iuxta dei quidem, ut credimus, uoluntatem nobis priorem elegit, Domnum scilicet iohannem theotonii, uirum discretum, prudentem, sobrium, benignum, atque omni genere uirtutum ornatum, meritis et nomine sibi successorem et filium, Cui tocius regimen monasterii benigno uoto comisit, cunctis in hoc ipsum fratribus aplaudentibus. Cum quo per decem quibus postea uix annos ita fuit in cordi pace, ut singulis quisque diebus immo singulis horis et pene momentis se inuicem preuenirent, et benedictione dulcedinis, et signaculo sancte crucis. Ceteros uero fratres omni die benedicebat et absoluebat, et quasi alter iob holocausta per singulos offerebat, et eos nominatim ex puritate animi amicos dei nominabat, attentius et ipse ex dono humilitatis cotidie in singulorum orationibus se commendabat. Igitur a pastoralis cure sollicitudine liber et absolutus, et quasi grandi fenore liberatus, soli deinceps contemplacioni animum dedit. Permanens semper in oratione et lacrimarum conpuntione pro miseriis huius mundi, et desiderio celestis iherusalem. Hanc assidue memorabat angelis, archangelis refertam, patriarchis, prophetis et apostolis ornatam. Ibi dicebat esse fideles, qui sunt uiui lapides cemento dilectionis collecti, et replicabat. Ibi nullus miser inuenitur, nullus esurit, nullus sitit, quia ibi pannis uiuos omnes reficit, et fons eternus et uiuus omnium sitim extinguit. Unde sepissime in eius amorem raptus exultans dicebat: Letatus sum in his que dicta sunt mihi in domum domini ibimus. Quamuis enim in unius claustri clausus esset angustiis iam tamen latitudinem fruebatur paradisi. Inde erat quod iam esuriem non senciebat. Saturatus enim erat domino iesu christo. Sumebat tamen cum gratiarum actione, quamuis eum non uescendi desiderium, sed humana confectio ad cibum traheret, nunquam tamen ante legitimam horam. Et nobis reficientibus ipse ex more suo ad limina ecclesie, gratia liberius orandi, semper pene inuisus properabat, quem etiam in loco suo orantem semper gementem et dolentem, tanquam uere solitarium, sua solitudo cohibebat. Cum autem aliquis nostrum in conspectu eius apparebat, mox ilarato uultu dulcia cum eo miscebat colloquia, licet iam spiritus eius cum deo unitus esset. Semper in ore eius christus erat, aut exempla sanctorum patrum, semper pax et dulcedo caritatis et semper, ut dixi, mencio iherusalem celestis sine intermissione dulcius susurrans: Domine dilexi decorem domus tue, et locum habitationis glorie tue. Et quam dilecta tabernacula tua domine uirtutum concupiscit, et deficit anima mea in atriis domini. Et beati qui habitant in domo tua domine, in secula seculorum laudabunt te. Sustentabat autem senilia membra baculo illo, quem sibi pro munere, audita sanctitate eius, uir dei B. primus clareuallensium abbas de confinio burgundie per fratres suos miserat, et frequenter cum eo acculeos doloris contingebat. Ex eo iam tempore inter clarauallense monasterium et nostrum sancte crucis colimbriense societas pactum, et fraterne dilectionis sancitum est, associatum uidelicet et scriptum in omnibus beneficiis et orationibus, ita ut ab utroque ordine per singulos annos generale seruitium agatur pro inuicem cum summa deuotione.

29. Multi multa de hoc uiro adhuc in carne posito per uisionem cognouerunt. Quidam namque grandeuus senex et boni testimonii per triduum in extasim raptus, uidit se per uisum fuisse in celis. Vidit etiam quosdam, quos ipse bene nouerat, qui adhuc in carne positi erant, non nullos iam defunctos assistere ante tribunal christi, deum laudantes. Illis autem omnibus superior ei uisus est astare donnus theotonius et deo propinquior, incomparabili candore uestitus. Qui et ipse pater theotonius cum adoraret deum, maiorem pre ceteris gloriam a deo sortitus erat. Senex uero tandem ad seculum reuersus, non sine ammiratione multorum, que uiderat enarrauit.

30. Breuiter quoque perstringuam qualiter a quodam religioso de ordine clareuallensium uisus est, longo interiecto non dicam terrarum, sed prouinciarum spacio. Uisus est, inquam, ab eo in area quadam speciosissima in medio mari, cum turba candidatorum uirorum non modica cunctis prestans, cunctos modificans. Quos tanquam bonus auriga infatigabiliter regebat, et ne munimen ualli, quod undique per girum aree circunductum erat a ferocissimis maris fluctibus, rumperetur alicubi modis omnibus satagebat. Contigit autem postea monachum in colimbriense monasterium uenisse, et patrem theotonium, quem per sompnium in mare uiderat, sine indice protinus agnouit. In qua uisione quid apertius quid enucleatius uel conuenientius possit intelligi, quam quod uir dei monacus ex sua interpretatione protulit? Area, inquit, claustrum monasterii est. Mare uero mundus, uel colimbrianorum ciuitas, infra quam ipsum est monasterium eius. Pater autem theotonius in area dominici gregis pugnat bonorum operum exercitiis contra furentis mundi salsos et amarissimos fluctus, et comissum sibi gregem inter scandalorum asultus bene custodit et regit. Ut quantos ad hoc salo uite transmiserit, ad deum postmodum super eos principatum accipiat in futurum. Pretereo plurima uiri dei in hunc modum insignia, que diuerso sexu diuersa etate meritorum suorum fuerunt indicia, ne apud inuidos et incredibiles omnium bonorum umbre uideantur et fabule. Sed ut infinita breuiter comprehendam, siquis qualiter etatem suam in monasterio transegit, nosse desiderauerit, sciat hunc semper in rebus diuinis et sanctis me-

ditationibus perseuerasse usque in diem dormitionis sue in domino, Que tali modo consumata fuit.

31. Ante dies paucos, quam uiam patrum ingrederetur, uisio huiusmodi ei apparuit. Videbat se in turre quadam sublimi, que a medio claustri super cuncta monasterii fastigia celsius eminebat. Manu quoque hastam gestare sibi uidebatur sine cuspide, longissimam quidem et candidam. E regione uero uir uenerandus corusci habitus ei apparebat, qui mandata domini ad eum se habere testabatur. Mox igitur eum blanda nimium uoce consolans dicebat: Homo dei laboras plurimum, et diu peregrinaris carnis sarcina pregrauatus, Sed equo animo esto, quia in proximo est, ut pro breui labore eterna beatitudine perfruaris. Jam enim in hoc seculo bene pugnasti, et cuncta que licuit sine ferro superasti. Hoc enim asta sine cuspide significat. Age ergo gratias bonorum omnium largitori, quia cito curaberis, et ad antiquam possessionem diu peregrinatus conscendens, Scito etiam prenoscens, quod omnipotens deus per te plurima bona fecit huic loco et facturus est. Monstrabat autem ei preterea scalam in celum usque porrectam per quam eos, qui de congregatione purgatiores exeunt, celum conscendere aiebat. Nonnullos uero adhuc purgandos in monasterio similiter esse dicebat, minus de perfectione habentes. Cum igitur hec et plura commemoraret, et nomen suum, quod apostolus petrus esset, ediceret, in celum ascendens disparuit. Euigilans itaque uir dei, et cognoscens obitum sibi certissime inminere, sacramentum unctionis accepit, et quod pene per dies singulos faciebat, sacramento dominici corporis et sanguinis fiducialiter se muniuit, nos iterum atque iterum benedixit sepius et absoluit, et ne tanti temporis laborem perderemus tanquam uiscera sua admonuit. Hodie, inquit, uos filioli religiosum studium arripuisse arbitremini. Et uniuersis fratribus circa eum dolentibus, ille consolabatur tristem conuentum. Sed quid differo, et ad eius ultima uenire formido dolorem meum faciens longiorem? Cum nos septima sabbati post matutinos seniorum copiosius benediceret, repente super humerum caput paululum inclinauit. De hinc in cinere et cilicio christiana traditione superpositus sanus et integer, mortem letus aspexit. Uidimus enim eum leto uultu quasi in occursum se erigere, ita ut ex hilaritate uultus eius, sanctorum angelorum presentiam adfuisse non dubitauimus. Nichil pallor mutauit in facie, sed sic dignitas quedam et grauitas ora compleuit, ut plane daretur intelligi non emori sed migrare, et quasi mutare amicos non relinquere. In quantum uero miraculum tota ciuitas eum uiuentem haberet, in eius obitu demonstrauit. Omnes enim illi suas animas comendabant. Omnes ei de gloria beatitudinis congaudebant. Fauebant sibi homines de gloria ipsius, de cuius conuersatione angeli letabantur in celo. Hec uox una in omnium ore sonabat quod eius anima felix, et beata transferetur ad celos. Rex quoque affectus nimio dolore usque ad sufusionem uultus dixisse fertur: Prius anima eius erit in celo quam corpus in sepulcro.

32. Sane pretereundum non est, quod cum sancta illa anima carne soluta est, affuit quidem humani generis inimicus. Sed quia in eius anima de suis actibus nichil inuenit, mox fremens et frendens in quendam de familia monasterii festinus agitator irruit, eumque per dimidiam fere horam miserabiliter uexauit. De hinc confusus abscessit dans cunctis indicium, quod beata anima domini mei ad celos libere transcendit.

33. Sed et priusquam de seculo exiret, inmensus quidem stellarum globus uisus est de celo ad medium claustri descendisse, ita sidereo lumine coruscans, et ita eminus et in circum amicta radios suos iaculans, ut cunctos in admirationem conuerteret. Sed ad ultimum ueniam. Jam enim libellus fine claudendus est. Omnibus igitur, qui ad apparatum defuncti necesaria uisa erant, rite paractis, manibus gementium fratrum et dolentium in ecclesiam ex more translatus est. Ubi non ululatus et planctus, ut inter seculi omnes fieri solet, auditus est, sed per duos continuos dies choris psallentibus feruens studium fratrum deuotissime exibitum est circa corpus in orationibus, psalmis, hymnis et canticis spiritualibus. De hinc in capitulo a uenerabili uiro domno michaele colimbriensium episcopo et sancte crucis canonico honorifice sepultus est, circunstante corona fratrum, et debitum regionis officium cum summa diligentia exibente. Dormiuit conscius uite bone et premiis meritorum XII.ª kalendas Marcii, feria VI.ª ad primam diei horam, qua christus resurrexit. Sepultus est XI.º kal. earundem anno memorati regis domni A. primi portugal. sub quo christi uestem suscepit, LVI, et regni sui XXX.ºV.º Uixit autem in sancto proposito annos XXX.ª unum. Omne uero uite sue tempus inpleuit, ut ipse referebat inter LXX.ª annos et LXXX.ª iusta ordinem scripturarum.

EXORDIUM MONASTERII S. JOANNIS DE TAROUCA.

In Appendice ad III. Partem Monarchiae Lusitanae *Brandanus historicam narrationem super aedificatione, vel fundatione Monasterii S. Joannis de* Tarouca *Cisterciensis ordinis primus typis mandavit, inque lucem edidit. In illius monasterii tabulario narrationis huius non autographum, sed apographum extitisse ipse refert *; cuius tamen aetatem silet, narrationis tantum vetustatis memor. Primoribus aliquem ex monachis in hoc monasterio congregatis narrationem illam scripsisse, quaedam ibi indicant verba. Auctoritas historica huius monumenti in dubium forte vocanda videatur, eoquod aliud in illius narrationis fine diffusius super abbate Joanne Cirita, et monasterio de* Alafões *laudetur scriptum; praesertim si in mentem venerit, Fr. Bernardum de Brito de hoc ipso abbate, et monachis de* Alafões *et* Tarouca *** multa aut ipsum fabulasse, aut narranda imprudenter crededisse; seque omnia fere haec descripsisse ex antiquo Taroucensis monasterii MS. fateri. Hanc proinde parvam narrationem ad alliciendam fabellis fidem ex composito scriptam credere quisquam facile potest, illa postrema legens verba:* ut scri-

* Monarch. Lusit. Lib. IX. c. 21.

** Chronica Cistertiens. Lib. II. c. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7. L. V. c. 14, 15.

psimus in volumine magno. *Praeter haec, S. Bernardi epistolae, in narratione illa descriptae, quaedam verba, loquendique genus in suspicionem, sit ne genuina, inducere nos possunt.*

Contra tamen meminisse fas est, potuisse et hanc epistolam, dum describeretur, alicubi turbari; et narrationem ipsam in apographo, quod secutus est Brandanus, adiectis verbis nuper allatis, foedari, quin autographum fidem, auctoritatemque historicam, ut genuinum, amitteret. Nec quaedam ibi temporum confusio, aut etiam error, quae saepe in valde authentica documenta incidunt, narrationem omnino reiicere suadent. Cumque tandem narratae in hoc documento res nullis adversentur historicis factis; et Brandanus, gravissimus, doctusque scriptor, hoc MS., tanquam genuinum, ediderit; nobis a Collectione hac illud excludere non decet, dum legentibus de eius auctoritate historica iudicium ferendi ius ingenue relinquimus.

Apographum illud a Brandano versatum, et descriptum, si in Taroucensi tabulario ad hanc nostram aetatem forte servabatur, quod sciri nequit, combustum certe periit in incendio illo, quod paucis abhinc annis in urbe Viseu *caetera simul ibi consumpsit monumenta, collecta ex Monasteriis* das Salzedas, *S. Christophori de* Alafões, *S. Petri* das Aguias, *et S. Joannis de* Tarouca.

Ne facta memorabilia ab hominum memoria decidant, inuentum est scripturæ remedium, idcirco nos fratres S. Joannis de Tarauca memorauimus omnia que nobis acciderunt in primordio nostro. Cum enim beneficio boni viri Abbatis Joannis Ciritæ iuxta serram de Alafum sanctitas, et bonitas splendesceret, accidit ut ministerio Dei omnipotentis venirent octo fratres, quorum caput erat Boemundus, alter Aldebertus, tertius Joannes, 4. Bernardus, 5. Albericus, 6. Sisinandus, 7. Rolandus, 8. Alanus, qui à P. nostro Bernardo tunc Claraualense Abbate missi, supradictum Abbatem in via iuxta Lamecum inuenerunt, cum quo summè lætati epistolam presentem dederunt. Venerabili fratri Deo dilecto, et in via sæculi huius comilitoni nostro Joanni Ciritæ Bernardus Abbas dictus de Claraualle, salutem in Domino sempiternam. Permittente patre miserationum, et Deo totius consolationis, qui non sinit animas peccatorum in æternum baratrum demergi, sciuimus de fraternitate tua, quo pacto assiduis orationibus pectus dominicum pro peccatorum venia pulsare non sinis, et quia vir desideriorum es, adimpleuit Dominus desiderium tuum dum nobis aperuit exaudiri deprecationes tuas, et nos qui in eadem voluntate societatem tuam sequimur, mittimus hos filios tuos, quos lacte sanctissimæ doctrinæ Domino nutriuimus, ut quocumque miseratio diuina disposuerit, et signum cæleste micauerit, monasterium condatis, cuius tu dum aduixeris, tamquam prætor, et cæterorum signifer præeris, et sub inuocatione sancti Joannis, eidem et altissimo, qui sic voluit, consecrabis, fraternitatem tuam seruet Dominus, et in melius augeat. Perlecta litera, quam fratres adduxerunt, inter Vuimaranes vbi tunc residebat bonus Princeps Alfonsus Portugalensium Rex, à quo Abbas Joannes postulauit locum in quo Monasterium construeret, et Princeps supradictus dedit ei, et monachis qui cum eo ibant supradictam chartam, et cautum. Alphonsus gloriosissimus Princeps, et Dei gratia Portugalensium Rex, comitis Henrici, et Reginæ Tarasiæ filius, magni quoque Alphonsi Nepos pro remedio animæ meæ, et parentum meorum facio vobis Abbati Joanni, et fratribus qui vobiscum sunt chartam, et cautum, ne quis vos impediat eundi, et ædificandi monasterium Ordinis Sancti Benedicti sub noua reformatione, tali pacto, ut solum ubi eum feceritis sit nostri dominii, et si alterius fuerit ematur nostris expensis: et si aliquis de vassalis nostris, vel militibus contra hoc venerit, sit maledictus a Deo, et in inferno damnatus. Facta charta Cauti apud Vuimaranes, Cal. Octobris, Era M.C.LXXXVII. * Ego supradictus Rex hanc chartam propriis manibus roboro. Inito enuto sic accepto redeunt iuxta fluuium Barosa, et in decliue montis construunt sacellum, ubi per aliquot dies permanserunt in oratione, Dei sperantes misericordiam suam, ut opere adimpleret quod promiserat seruo suo Bernardo, et quadam nocte die 25 Aprilis frater Boemundus dum cælum aspicit, micantem radium in imo vallis iuxta fluuium conspicit, et sic per septem alias noctes mirantibus reliquis, qui vocati ab ipso eundem radium videbant; et credentes quod hoc erat signum ostensum à Deo, ut monasterium construerent, scribunt omnia Abbati Joanni, qui tunc erat in Romitorio de Lafum. Venerabili Patri Joanni Ciritæ Boemundus, et reliqui qui cum eo sunt salutem. Noueritis miseratione diuina sic disponente, signum mirabile indignis oculis conspexisse, non solum ego, sed et nos omnes quos in hoc loco reliquistis, et quia duodecim iam transierunt noctes postquam illud primitus vidimus, et à patre nostro qui nos huc direxit simile prodigium audiuimus, ideo visum est hoc sibi eis referre, ne forte velit Altissimus hac parte monasterium stabilire. Valeat paternitas tua, et hos filios apud Deum commendatos habe. Ad hanc epistolam, quam non sine lachrymis legit prædictus Abbas Joannes, respondit hoc modo. Dilectissimis fratribus, qui sunt in Romitorio supra fluuium Barosa ad montem curuum, Joannes indignus seruus Christi in Saluatore mundi perpetuam salutem. Misericordiam Domini in æternum cantabo, quam dignatus est ostendere super seruos suos. Fiduciam habete, et credite verbis magistri uestri, quia secundum ea appropinquat dies gaudii vestri, et ne falsis ostentationibus seducamini, innixe obseruate, et cum lachrymis petite à Domino uniuersorum, ut signum istud iterum dignetur ostendere, et quo loco post missarum celebrationem claritatem videritis, signate et circunualate, ut in eo, Domino adiuuante, monasterium construamus. Seruet nos seruator omnium, et in sanctis orationibus vestris veniam postulate pro peccatis meis. His transactis dum fratres obtemperant Abbati Joanni, iterum lux micat in pristino loco, quem fratres deligenter consignauerunt, et vallarunt, et paucis post diebus venit Abbas, et cum esset in oratione apparuit similis lux, et ipse profectus ad Vuimaranes non inuenit dominum Regem, qui erat in Brachara, et ipsi profecti adierunt illum, atque dixerunt. Domine per uestram voluntatem abiuimus, et in terra vestra sunt quatuor menses, postquam fecimus unum Romitorium supra fluuium Barosa, sed Dominus non iuxta verba Patris nostri Bernardi Abbatis de Claraualle ostendit nobis alium locum in quem transeamus, volumus de Celsitudine tua facultatem, ut possimus monasterium ibi construere, et nos orabimus pro te, et pro pa-

* *Lege* M.C.LXX.VII.

rentes tuos, et ipse Rex fecit illis bonam acolnensam, et dedit eis facultatem construendi monasterium, et ipsi venerunt, et cæperunt facere, et Egas Moniz pro adiutorio, et seruitio Dei dedit illis septuaginta marabitinos auri, et ipse Rex dedit septuaginta quatuor frisantos de argento, ut facerent seruitialia Ecclesiæ. Post paucos dies Mauri venerunt, et depopulauerunt Trancosum, et ipse Rex cum suis cohortibus venit per Lamecum, et transibat iuxta Barosam, et recordatus est fratrum qui erant in illis locis, et iuit cum bonis hominibus videre locum de sua uiuenda, et cum inuenisset eos pauperes, et viuentes in tuguribus, compassus est de illis, et rogauit ut mitterent cum eo fratrem Adebertum, ut oraret Dominum pro sua hoste, et miserunt eum, et unam Crucem, et unum calicem, ut celebraret, quia sacerdos erat. Et dum bellum committeret, et ipse oraret, Rex vicit Mauros, et tulit Trancosum, sed in bello amisit crucem quam tulerat de Monasterio, et consecutus est per suas orationes multa alia bona, et ut satisfaceret illi, suis fratribus, et Domino Deo, promisit ædificare monasterium, et dum rediret vicit iterum per Dei adiutorium, et bonis orationibus Aldeberti magnam multitudinem Sarracenorum, propter quod venit in hunc locum, et astantibus fratribus, Joannes Cirita, et aliis multis cum Episcopis Bracharens. Lamecen. ipse Rex primum lapidem iecit, acclamantibus militibus, et cohortibus suis, et dedit Abbati Joanni cautum, cuius tenor talis est.

In nomine Sanctæ, et Indiuiduæ Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, Trinitas indiuisa quæ nunquam erit finienda, sed permanens per infinita sæculorum sæcula. Amen. Iccirco ego Rex Alfonsus Comitis Henrici, et Reginæ Donæ Tarasiæ filius, atque bonæ memoriæ magni Alfonsi Imperatoris Hispaniæ nepos, in honore Domini nostri Jesu Christi, et Beati Joannis Baptistæ, et pro remedio animæ meæ, et parentum meorum, et pro vobis Abbate Domno Joanne Cirita una cum fratribus vestris regulam B. Benedicti tenentibus, atque successoribus uestris, qui in vita sancta perseuerauerint. Facio cautum ad ipsum monasterium S. Joannis de Tarauca. Sunt autem termini istius cauti ab Oriente per illum fontem, et inde per illam estradam de Paredes siccas, et quomodo discurrunt aquæ de illo monte de Sauto redondo, et quomodo diuidit cum Villa plana, aqua discurrente ad cautum, et inde ad illam focem de Trauuita, et inter per cacumina montis Fifineira, et per illum Caruallium de illa proua, et inde per ubi intrat ipsum fontanum in Barosa, et inde per illum auterium de Armata, et inde per illum montem de Pineiro usque ad fontem ubi primitus inchoauimus. Si autem aliquis tam de extraneis, quam de propinquis hoc factum meum corrumpere voluerit, in primis sit maledictus, et excommunicatus, et cum Juda traditore in Inferno damnatus, et insuper Regiæ potestati persoluat quod liber iudicium præcipit, id est, 500 solidos. Facta carta istius cauti mense Junii Era M.C.LXXVIII.

Ego Alfonsus hoc scriptum concedo, et propria manu roboro.
Joannes Bracharensis Archiep. confir.
Bernardus Colimbr. Episc. conf.
Petrus Portug. Episc. conf.
Comes Rodericus conf.
Fernandus Petris Furtatus conf.
Fernandus Captiuus conf.
Egas Curiæ Dapifer conf.
Garsias Menendis Alferes conf.
Menendus Moniz conf.
Alfonsus Venegas conf.
Petrus test. Suario test. Munio test.
Petrus Cancellarius Regis notauit.

Videntes fratres bonum statum sui Monasterii, elegerunt in Abbatem ipsum Aldebertum per discessum Boemundi, qui in vita sancta discesserat, et ipse Abbas claruit miraculis, et dedit habitum Ordinis nostri Joanni Ciritæ, qui suos fratres in Romitorio de Alafum commorantes, sub eadem Regula, et reformatione constituit, et in ea sanctissime vixit, ut scripsimus in volumine magno.

INDICULUM FUNDATIONIS MONASTERII S. VINCENTII.

Historiae rerum, Alphonso I. regnante, gestarum valde interest hoc monumentum; quippe quod maxime memorandi, inter caetera illius aevi facinora, eventus, vi scilicet a Maurorum dominatione captae Olisiponis urbis, narrationem posteritati commendat. In publico tabulario, Torre do Tombo, *documentum hoc inter alia monasterii S. Vincentii ibi collecta nunc extat. Historicus eius scriptor eadem aetate, in quam, quas narrat, res incidere, vixit, earumque testes audivit. Alibi iam satis indicatum reliquimus* * *quibus de causis MS. hoc, quod paucis in paginis,* in folio *dictis, continetur, apographum videatur: litterarum tamen, quibus scriptum est, forma et genus aperta saeculi XIII. vestigia ferunt; unde sodalem aliquem, aut notum scriptoris illius narrationis illud descripsisse MS. facilime credi potest.*

In appendicibus ad III. Partem Monarchiae Lusitanae *Brandanus, inter alia historica documenta, hoc edidit* Indiculum*: sed apographum, quod ante oculos habuit, adeo vitiatum videtur, ut a minime versato, sed potius in describendo ignaro, descriptum credamus. Antiquum illum codicem, ut haec editio nostra quam accuratissima prodiret, magna secuti sumus cura.*

* A. Herculano, Historia de Portugal, Vol. I. Nota XXII. in fine.

Indiculum fundationis Monasterii beati vincentii ulixbone.

1. A quo, uel quando, seu qualiter fundatum sit Monasterium beati vincentii, quod situm est circa urbem, que appellatur ulixbona, ad plagam eius orientalem, qui scire uoluerit, hanc paginam legendo percurrat. Ibi enim breui et sinplici stilo ponimus hec pro relatu eorum qui sese profitentur rebus his interfuisse dum gerabantur. E quibus adhuc supersunt aliqui, fernandus petri scilicet homo militaris, magnum in ciuitate semper obtinens locum sibi a rege constitutum, et apud ciuues suos fide preclarus, nec prefectus, nec iudex in illis gratus existens. Otha quoque uir natione theutonicus, et prefati monasterii bonus conuersus fere a prima eiusdem fundatione uitam ducens ibidem satis religiosam. Hii duo dei miseratione adhuc superstites, quasi de uno conferunt ore que hic ponimus, ad presentis negotii fidem astruendam, ac certam inde noticiam posteris relinquendam. verum de cetero narrationi insistamus, rerumque summa ordine prosequamur.

Assumptio narrationis propositorum.

2. Anno igitur ab incarnatione domini M.°C.°XL.°VII.° christianissimus portugalensium Rex Alfonsus, comitis henrici et Regine Tharasie filius, inimicorum crucis christi mirificus extirpator, ac uoluntarius XVIII. regni sui anno, etatis autem XL.°, collegit exercitum suum, ut annis singulis solicitus erat, aduersus saracenos, Aplicuitque ad ulixbonam tunc ciuitatem illorum, et obsedit eam mense Junio, fixis in circuitu papilionibus: Habuitque in comitatu suo electam uirorum fortium manum, quos illi auxilio in CLXXXX. nauibus, quas barcias nominamus, de diuersorum partibus septemtrionis, zelo suo dominus misit accensos. Hos itaque Rex a parte maris, quod predictam circunfluit urbem, oppugnare constituit, Erant enim uiri bellatores fortissimi robre, uniuersi loricati, galeati, hastas, scuta portantes, et gladios; intendentes arcum, eruditique ad prelia. Qui iussa regis libenti suscipientes, mox anchoratis in alto nauibus, atque decenti statione dispositis, ad litus prosiliere intrepidi, sua certatim aduersus urbem castra metantes, singuli tamen per generationes, et linguas suas. Porro castra teutonicorum ceterorumque secum de uicinis qui uenerant prouintiis, domos occupant suburbiorum, que sunt ad plagam urbis orientalem, et expulsis inde sarracenis, ingressi habitant ibi. Angli uero et reliquus britannie equitanieque populus in suburbiis, que sunt ad urbis ocasum, suas constituunt mansiones, fugatis inde paganis. Nam Rex cum ducibus, et ceteris baronibus suis a parte septentrionis prestabat obsidionem per colles, uallesque qui prope sunt fusa multitudine uulgi.

3. Factum est igitur ut a terra marique pugna uehemens saracenis daretur inclusis, firmatis contra se undique munitionibus, et instructis machinis. Cumque franci, erat enim hoc uocabulum commune omnibus, qui de finibus galliarum aderant ibi, uellent audatius agere, pars eorum conflictui sepe ruebat in ipso, Nam animis accensi nisique uiribus ac mole corporea, uidebantur quippe gigantea membra gestare, propius accedebant ad muros, telorum desuper hostilium pluentibus nimbis, spretaque pro christo corporis morte uulnera uulnerati usque ad nescem, non cessabant infligere. Ad quorum corpora more catholico danda sepulcris, Rex accelerat habere consilium, Comouebantur quippe super eis uiscera eius. Quamobrem mox accersire facit bracarensem archiepiscopum Domnum Johanem reuerentissimum dei sacerdotem, Cui protinus aduenienti Rex ait: Contemplor barones istos fortissimos de terris suis ad hoc egressos fuisse, et ad hoc uenisse ut hic moriantur pro christo, eius bella bellando, et contra hostes fidei dimicando uiriliter, Qui nichil curantes de uita presenti, ipsos etiam per enses infestos conantur delere paganos. Nam zelus domus dei tantus feruet in illis; Opportet igitur ut et nos circa humandos artus eorum qui cadunt ex ipsis curam exibeamus, et humanitatem unde ut martirum christi eorum exequias dignis prosequamur honoribus, Non enim hesito eos fore dei dignatione sanctis martiribus associandos in celis, quorum uestigia tanto studio sequi comprobantur in terris. Quare pater meus pontifex ultra non differat consignare illis loca cimiterii congrua, et a castris eorum non ualde remota, ad uestrum quippe spectat officium hoc ordinare. Et addidit uotum etiam uouens hec domino dicens: Si dominus deus noster tradens tradiderit seruis suis ciuitatem hanc, placueritque sibi deleri nomen infidelium istorum de terra, nouerit ipse omnino me seruum suum sibi constructurum in ipsis locis, in quibus cimiteria hec fieri rogo, duo monasteria, et positurum in eis religiosorum collegium, qui pro me, et ipsis qui ibi sepulti fuerint, officiis intenti diuinis coram domino semper assistant. Tunc sanctus archiepiscopus tantam in rege comendat pietatem, uotumque collaudat. Nam in eius assutibus nimis letus fuerat effectus, magnumque susceperat gaudium. De loco igitur uelox consurgens, coepiscopos qui aderant conuocat omnes, regisque aperit uoluntatem, Illisque secum asumptis, subsequenter pariter cum clero, adit castra francorum, ut Rex imperarat, utraque Quo adueniens notat loca cimiteriis apta, et inuocato trino deo, ut mos est, latices aspergit sanctificatos. Hoc facto duos statim lapides signat, tradiditque Regi ad ecclesias, ut promiserat, in illis fundandas; Quos Rex acceptos mox curat erigere, cupiens preuenire quod nouerat uotum, dum non hesitat dei pietatem sibi tradere urbem quam tenebat obsessam.

4. Ex illis itaque figit unum in cimiterio theuthonicorum, ubi situm est nunc Monasterium gloriosissimi martiris vincentii, pro quo suscepimus ista narrare. Alterum uero in cimiterio ponit anglorum, ubi nunc ecclesia est nuncupata Sancte Marie ad martires, prope eos scilicet sic dicta, qui usque ad mortem certantes pro christo, ibidem sepulti sunt. His ita gestis cepere franci ecclesiastica consuetudine, interfectos suos mandare sepulchris, et inchoatas super eos fabricare basilicas, opemque ferre de propriis sumptibus, proposito Regis, cuius animum cernebant esse promptissimum ad construenda ibi in proximo cenobiorum edifitia, ceteraque diuina offitia que celebrant deuotissimi clerici, qui secum uenerant plurimi, et sacris litteris eruditi ad plenum. E quibus nonnulli monachi erant religiosisimi, et in timore domini anbulantes solliciti.

5. Porro teutonici basilice sancti vincentii, que in cimiterio construebatur eorum, preposuerunt presbiterum nomine roardum, uel ut alii dicunt vuinandum, qui singulos dies missas cantaret, qui oblationes reciperet que ibi large fiebant a populo ad basilice fabricam erigendam. Constituerunt et alium bone uite nomine henricum laicum, qui more patrie sue pulsaret ad horas campanam, quam ibi suspenderant, excubansque preforibus ecclesie atentius atrium custodiret intus et foris.

Hic iam quedam occurrunt de stupendis dei mirabilibus narratibus nostris interponenda.

6. Ea nempe silentio preterire ueremur, ne inde aliquam iustam incurramus accusationem apud eum qui operando uoluit hec in palam uenire. Dum enim agerentur ea que prediximus, contigit quendam militem coloniensem nomine henricum, oriundum in uilla que est ultra coloniam per quatuor leugas nomine bonna, uirum utique stemate nobilem, et moribus, in urbis corruisse conflictu. Quo sepulto ut ceteris in eodem cimiterio sancti uincentii indicare ceperunt miracula ad tumbam eius diuina opera-

tione creberrime facta, eundem fuisse uerissimum martirem christi, mortemque eius in conspectu domini preciosam existere. De quibus uidelicet miraculis hic uel pauca attingere nitimur, ut liquido pateat quanta dei beneficia comitantur eos qui ex toto corde querunt illum.

7. Factum est igitur ut duo juuenes ambo surdi, ambo muti a natiuitate, qui uidelicet in stolo cum ipsis uenerant francis, singillatim iuxta sepulchrum christi militis henrici excubarent, ipso ut fertur martire in efigie peregrini palmam ad scapulas deferentis, illis apparente, et ad excubias inuitante, vbi cum paululum quieuisent, mirabile dictu, inuenerunt se ita diserte loquentes simul et audientes, ac si semper loquela usi fuisent pariter et auditu: Quodque multe mirabilius est, ut terra diuersi erant et natione, sic diuersa conceditur eis et ipsa loquela. Propalato igitur in castris tam mirabili facto, cuncti qui uidebant et audiebant glorificabant dominum semper mirabilem in sanctis suis, habentes de cetero militem henricum utpote dilectum martirem christi.

8. Post paucos uero dies accidit ut armiger eius cecidisset in bello, Quem tollentes contribules eius sepelierunt aliquantulum longius a sepulcro domini sui. In somne itaque christi miles henricus adit eum qui excubabat in atrio prefate basilice sancti vincentii, de quo paulo ante fecimus mentionem, Et uocans eum nomine suo, rogat, multumque precatur, ut surgat, tollatque de nocte armigerum suum a loco in quo est, et ponat eum iuxta se, Quod factum est semel et bis, Cumque ille deprecanti non aquieuisset, uenit tercio, multum gerens quasi iratum, multumque teribilem, et iam minabatur ei, si ultra differet implere rogata. Quamobrem ille expergefactus surrexit tremens, pauensque, erat enim solus in loco, uenitque ubi humatus erat armiger ille, Quem leuans sepeliuit circa dominum suum, seorsum tamen in proprio monumento, Qui narrans de mane quod acciderat, dicebat se nullum in leuando uel deponendo sensisse laborem, nullamque molestiam.

9. Dicam et aliud quod per idem tempus in eadem basilica operatione diuina contigit miraculum. Factum est autem ut populus ad certamen iturus, peractis missarum sollemniis, eulogiis uno pane benedicto cuperet premuniri, Ita enim cotidie consueuerat; Cumque sacerdos uellet facere particulas quas singulis porrigeret, et iam uni ex panibus secandis culte immiteretur, res miranda, ecce seccati panis medietas cruentata reperitur sanguis desudans. Tunc sacerdos, omnesque qui aderant in stuporem conuersi sunt subitum, Nam uisa re uehementer fuerant perterriti, Cumque eam rei indagatione sedula quereretur, inuentum est panem illum fuisse confectum de usurpata farina, quam quidam moriens egenis preceperat erogari. Quod tandem cum annunciatum esset in castris ad spectaculum concurrunt uniuersi, videntesque quod factum fuerat, reuertebantur ammirantes, Et diuinum adiutorium secum esse non dubitantes, plena fide laudabant, et glorificabant dominum, qui facit mirabilia solus.

10. Castra igitur dei tantis illustrata uirtutibus, talibusque nutrita fomentis, resumunt uires, acies firmant, Machinas erigunt, muros per circuitum arietibus cassant, Instant menibus telis, et iaculis, hostes undique coangustant, nec sinunt uel ad momentum quiescere. Pagani uero tantam christicolarum constantiam, tantamque cernentes instantiam, desperant anplius posse resistere, urbemque tradunt, bellicos ultra non ualentes ferre sudores. Erant enim iam pene consumpti, foris gladio, intus inedia panis et aque.

11. Anno igitur ab incarnatione domini M.°C.°XL.°VII.° Mense octobris, ecclesiis dei sanctorum martirum crispini et crispiniani natalicia celebrantibus, Illustrissimus Rex Alfonsus ope diuina, optato potitus triumpho, cum omni exercitu suo captam ingreditur urbem, cordis letantium laudes dei resonantibus in excelsis, eique immensas referentibus grates de uictoria sibi celitus concessa.

12. Igitur post aliquot dies dispositione ciuitatis peracta, ordinatisque rebus; domibus quoque agris, uineis, uictori populo distributis, rex deuotissimus benefitiorum dei circa se, et misericordiarum eius non immemor, uotum quod uouerat, cum adhuc esset in castris persoluere curat. Atque circa edificationem monasteriorum que fundauerat in cimiteriis francorum, ut pretaixauimus deligentiam adibet. Ob quam causam ad se facit uenire antistitem ciuitatis, quem tunc nouiter fecerat ordinari, gilibertum nomine natione anglicum, uirum utique bene instructum litteris sacris, et pia senper memoria dignum. Hunc Rex accitum, talibus alloquitur: Ego, inquit, bone pontifex, cum adhuc essem in castris aduersus ciuitatem istam expugnandam paratus, motus pietate super illis, qui hostili ense uulnerati cadebant in bello, gratuito me uoto constrinxi apud dominum meum iesum christum, amore cuius mori et ipsi non dubitabant, voui siquidem in basilicis quas incohatas apud sepulcra eorum uidetis uiros aggregare religionis, qui diuinis obsequiis iugiter incumbentes, pro mea eorumque defensione in conspectu domini semper assistent, si dumtaxat diuina me pietate contingeret, hostium me perfrui uictoria, ut est hodie. Nunc ergo cupiens quod pollicitus sum efectui mancipare, consilium pontificis peto pariter et auxilium. Nam res huiusmodi effici non potest, nec debet absque episcopi prouidentia simul et opere. Ad hec episcopus: votum, inquit, quod uouit dominus meus Rex saluberrimum est, deoque gratissimum, ac perfecta indiget consummatione, Scriptum est enim: vouete et redite domino deo uestro. De sufragio uero dando in hoc opere tam sancto, tamque preclaro, quid seruus regis debeo facere, nisi quod ipse imperare uoluerit? Indicet mihi seruo suo dominus meus rex, quod ipse me facere uult, et ego libenter suscipiam. Cui rex: volo, ait, bone pontifex qualinus partem sancti tolerando laboris, ad portionem recipiendam peruenialis tribuende mercedis vnius sane supradictarum basilicarum, que silicet uobis placuerit, curam sucipiatis habendam, Cedatque uobis uestrisque successoribus hereditario iure cum omnibus qui possidet, et possesura est in omne tempus. Alteram uero mihi, meeque posteritati, cum omni iure suo possidendam libere relinquatis. Eam quippe que scilicet mihi cesserit, uolo liberam semperque ab omni redditu manere immunem, cum omnibus facultatibus que ibi collate fuerint a me, ceterisque fidelibus, adsumptus in ea degentibus necessarios. Fas ergo sit uobis quamlibet et ex illis statim eligere, uestreque supponere potestati. Respondit episcopus: Si regi placet quod sibi respondeamus ad hec, det inducias consulendi capitulum, meosque fratres quorum consilio talia gerere debeo. At Rex: Michi, inquit, placet omnino. Eatis, uestrosque consulatis canonicos, et certum de re mihi dare responsum non differatis. Perrexit igitur episcopus, conuocatisque in unum uniuersis clericis suis, ait illis: hec et hec mihi locutus est rex. Conuocaui ergo uos ut in comune decernatis quid illi respondere debeamus. At illi respondentes dixerunt episcopo: Quod regi placet faciendum est, Omnes sui sumus, de suo accepimus quicquid possidemus, Ipse, christo sibi fauente, gladio suo paganos expulit de terra quam incolimus. verum quia nobis obtio data est, basilica sancte Marie ad martires potius est eligenda, Quippe uicinior est urbi, et largiores ibi fiunt oblationes. Altera uero que sancti vincentii est, ut libet regi, libera relinquatur. Hoc episcopus accepto consilio, mox ad regem retulit idem. At rex libenter annuit. Ex eo igitur tempore ulixbonensis episcopus cum clericis suis cepit ad integrum possidere basilicam sancte Marie ad martires, quam Rex alfonsus concessit illis ob perpetuam libertatem basilice sancti vincentii, quam semper possidendam cum omni iure suo, tali conditione sibi retinuit.

13. Post hec querente diligentius Rege sancte conuersationis uiros, quos in eadem basilica constituere posset, ad sepulcrum christi militis henrici diuina renouantur miracula. Nam palma, more peregrinorum ad scapulas Ihcrosolimis allata, secumque in sepulcro ad caput deposita, paruo post tempore reuirescens ascendit de terra, Que creuit in altum, factaque est arbor uestita foliis atque uirore. Omnes ergo male habentes ad sepulcrum illius, suplicandi gratia uenientes, tollentes de palma illa suspendebant ad collum, uel redactam in puluerem bibebant, statimque curabantur a quacumque detinebantur infirmi-

tate, Stetitque ibi, sicut peribent qui uiderunt, donec tota languentium manibus inde leuata est. Sunt autem qui dicunt nullo custodiente furtim inde fuisse eradicatam, ut alias transplantaretur.

14. Cogitante interea rege, ut prediximus, de constituendo ibi collegio, ecce quidam summe sanctitatis Abbas nomine Galterus flamengus natione ulixbonam aduenit, comitantibus se quatuor sui ordinis fratribus, Cuius itineris causa erat nouam uelle edificare congregationem. De quo Rex audiens bona plurima dici, in eius aduentu nimis letus efficitur, Jamque parat preponere illum prefate basilice, circa cuius comoda tenebatur sollicitus. Predictus igitur abbas cum intrasset ad regem, et ab eo postulaset locum edificare congregationi aptum. Rex petitioni eius tale fertur dedisse responsum: Est mihi abbas quedam basilica de nouo fundata, quam apud me uehementer diligens usque modo seruaui, sperans de die in diem mihi destinari a deo hominem bonum, cui securus regimen eius comittere possem. Nunc ergo cernens spem meam diuino nutu ad uotum esse completam, opto uos eiusdem basilice libenter suscipere curam, Et consilium plane nostrum, et auxilium cum patrocinio eque regio uos semper comitabuntur. His a rege peroratis, ecclesie sancti vincentii gubernacula suscipit abbas galterius, Et ex inde cepit rex eidem ecclesie delegare agros, uineas, ortos, molendina, greges ouium, equarum, armentorum, porcorumque, et cetera stipendiis fratrum in ea commemorantium necessaria. Omnes etiam qui ibi sepulturam eligere deliberarent, partemque de suis conferrent facultatibus, suos coheredes fecit in ea, Super cuius confirmatione rei fecit etiam scriptum, Quod tale est: Quare, inquit, principum ac regum est loca sancta dictare, benefactoribus concedere, Possesionibus ampliare, iccirco ego Rex Alfonsus uobis ciuibus ulixbone, atque omnibus aliis fidelibus, fatio kartam possidendi mecum ecclesiam sancti vincentii, quam in captione ulixbone a mauris tuli, vt uidelicet quicumque apud ipsam ecclesiam sepulturam suam habere, suum ue ibi beneficium uel elemosinas dare uoluerint, ipsi et filii et progenies eorum sint mecum et filiis, omnique progenie mea, heredes perpetuo in eadem ecclesia, Quod etiam scriptum uobis ego Rex Alfonsus propriis manibus roboro, meoque sigillo communio, asistentibus mihi et subscribentibus Giliberto vlixbonensis ecclesie episcopo, et Gonsaluo de sausa meo maiore domus, et Petro pelagii meo alferaz. Talibus sane studiis circa constitutionem prefate basilice Rex alfonsus operam dabat, talibusque eam beneficiis fouebat, quam de nouo nuper fundauerat. verum de cetero restat dicere qui eiusdem fuere rectores usque ad tempora nostra. Nam in prima eius fundatione rexit illam idem rex Alfonsus per uices in ea constituens presbiteros qui missas cotidie cantarent, Quorum primus fuit rohardus, cuius supra memoriam fecimus, Secundus hicia genere anglicus, Tercius salericus similiter anglicus, qui et monocus fuit, Deinde uenit abbas Galterius, qui ut prediximus rege constituente primo prelatus est ei. Sed cum uellet eam subdere premonsternensi monasterio, ut esset filia eius, rex uero non acquieuisset, dimissa ea cum pace in terram suam, reuersus est ad suos. Quo abeunte rex priorem constituit quendam canonicum eclesiole, dauid nomine, Qui et post paucos annos redit unde uenerat, rege iubente. Huic successit in prioratum quidam canonicus de balneo nomine Godinus, qui post extitit episcopus lamacensis ecclesie. Post hunc autem reixit eam fere per annos VIII.° bone memorie Menendus, qui similiter fuerat canonicus de balneo, Quo mortuo in senectute bona, regimen eius suscepit Donnus Pelagius, qui adhuc superstes, deo auctore, curam illius agit satis strenue Rege Santio prefati Regis Alfonsi filio, tercium regni sui annum agente, Anno ab incarnatione domini M.°C.°XL.°VIII.° * vt ergo ex predictis colligitur Monasterium beati vincentii de uiixbona fundatum est a rege Alfonso, et constructum in anno M.°C.°XL.°VIII.° Ab incarnatione domini Nostri Jezu christi, qui est benedictus in secula. Amen.

* *Lege* M.C.LXXX.VIII.

DE EXPUGNATIONE SCALABIS.

Brandanus in Appendicibus ad III. Monarchiae Lusitanae *Partem super Scalabi* (Santarem) *oppido ab Alphonso I. expugnato et vi capto narrationem vulgavit, in qua tam magni eventus levium etiam rerum, et nullius fere pretii successus memorantur. In Codice 207 Monasterii Alcobacensis, nunc in Publica Olisiponensi Bibliotheca asservato, descripta haec ipsa reperitur narratio; in quo similiter codice S. Fulgentii, et Pauli Orosii scripta, ac super capta Salacia* (Alcacer) *poema, quod infra edendum, inveniuntur. Ex eo autem quod in hoc codice, praeter haec, aliud etiam documentum, perspicue apocryphum, alia descriptum fuerit manu; narratioque illa, dicendi methodo, et verborum genere dissimilis appareat, iam de eius monumenti sinceritate dubitatum fuit *. Quae tamen obiiciuntur magnam vim habere non sunt putanda. Profecto solum huiusce relationis latina minus barbara loquendi forma suspicionem posset afferre ** nisi MS. antiquitas ad saeculum XIII. esset referenda, ex quo manifeste colligitur, narrationem eventui coaevam esse, aut saltem parvo interiecto tempore proximam, ac proinde falsario illi haudquaquam tribui posse, qui saeculo decimo sexto, vel etiam seriùs, suppositam fictamque Alphonsi I. de Alcobacensi Monasterio aedificando promissionem, Codici illi inseruit.*

* Memor. Litter. Academ. Tom. 5, pag. 315.

** A. Herculano, Hist. de Portug. T. I. Not. XXI. *Cum annotationem hanc scripsimus, codicem illum, quem tunc omnino amissum putabamus, nulla nobis nec reperiendi, nec legendi spes fuerat: et mentio de illo in laudatis* Memor. Litter. Academ. *facta suapte verborum ambiguitate in hunc errorem inducit, ut et Scalabis capti narratio, et de Salacia oppugnatione poema saeculi XVI. credantur apographa, quod a vero longissime abest*: A. H.

Quomodo sit capta sanctaren ciuitas a rege alfonso comitis henrici filio.

Cantemus domino, fratres karissimi, Cantemus domino in tympano, et choro, et iubilemus in cordis et organo, exultationis: uoce magnificatus est enim gloriose subiciendo gentes mahometh adorantes sub pedibus uestris, elegit nobis hereditatem speciosissimam quam dilexit. Et uos, qui propria uoluntate obtulistis animas uestras periculoso discrimini, benedicite deo summo regi, Qui pedibus nudis innitentes hastis, et clipeis, accincti gladiis, et scalas lineas portantes humeris, uiriliter per montis crepidinem properastis ad murum: ad laudem christi conuocate omnem populum, Plaudite manibus, bene psallite ei in uociferatione, ac dicite. Audite reges auribus percipite principes uniuerse terre, quam dominus elegit noua bella in diebus nostris, non in trecentis decem et VIII.° uernaculis, ut quondam abraham, qui quinque reges deuicit, uel gedeon qui in trecentis aquam manibus lambentibus sisaram principem milicie Jabin prostauit, sed in XX.ti V. aut parum supra rex noster, immo deus per regem nostrum omnium ispanie ciuitatum munitissimam cepit sanctaren. Eleua ergo et tu, o rex noster alfonse, eleua in iubilo uocem, et confitere quia non tuis meritis ascribis, uel uiribus hoc magnum prodigium, sed christo regi uero, cuius est omnis terra, et merito cui curuatur omne genu, qui est in secula benedictus deus, et edissere nobis geste rei prodigiose exordium, ordinem, et exitum.

Ab hinc rex.

Testor deum celi, oculis cuius nuda et aperta sunt omnia, quia nec muros iericho subrutos, nec solis stationem prece iosue ad gabaon in comparationem huius in me pietatis et misericordie facti pro miraculis duco, sed nomen christi magnifico cuius profunde sunt cogitationes, et magnifica opera, et pro se suaque pietate pia in nouissimis temporibus nouis mirabilibus non renouat, sed supergreditur antiqua mirabilia: Omnes enim qui audierint ducent pro re incredibili sanctaren ciuitatem munitissimam omni multitudine hominum, omnique genere machinarum inexpugnabilem a tam paucissimis uiris inuasam. Siquidem auus meus alfonsus yspanie imperator non potuit eam debellare nisi famis deditione. Moabitarum etiam rex cyrus similiter, Sed necdum abzechri, qui ferme per XXX.a et IIII.or annos eiusdem tenuit regimen: erexerat muros, ante murale, et turres a parte occidentali, que uocatur alplan, eo quod ad comparationem precipicii tocius circuitus planum uidebatur: quia antiquos repleuerat terra usque ad sumum in promuntorii modum captiuorum humeris asportata: A parte uero orientali adeo locus ruit in preceps, ut lingua arabica uocetur alhafa, idem timor, quia inde precipitabantur qui capitalem subierant sententiam, ut fractis ceruicibus, ex toto corpore ad ripam usque proruerent tagi aureas, ut ferunt, arenas habentis. A parte uero australi propter precipicium quod fit ex natura terre quasi hyantis, et in abyssum euntis, uocatur alhanse, idem coluber, eo quod nullo possit adiri modo, nisi per anfractus, et quosdam meandros. Ex parte uero aquilonis muniuit eam ipsa montis natura petrosa, et aspera, et uelut inter nubes porrigens ipsam ciuitatem: in sua sumitate planam, non magnam ne ad tenendum sit difficilis, nec modicam ne furetur a paucis. Quomodo igitur huius speciositatem describere queam, cum nec hominum sacietur nisus cernentium ad orientalem plagam plana, et omni generi frugum fertilissima arua per C.mLX. stadia? Ad occidentalem, et austrum deficit omnino acies oculorum. Ad aquilonem uersus montuosa uinearum, et olearum sunt loca. Quid de fertelitate dicam, cum nec sit inferior apulia, sed superhabundet, uel piscium multitudine, uel salubritate aque? Est equidem dei paradisus, id est deliciarum ortus, ut quondam egyptus uenientibus segor. Sed ad rem gestam ueniamus, et qualiter capta sit aperiamus. Capta est idus martii illucescente die sabbati in era M.a centesima LXXX.aV.a, quo anno mauri, qui arabice mozamida uocantur, ingressi yspaniam destruxerunt yspalim ciuitatem, me tunc agente tricesimum ferme ac septimum etatis annum, et regni X.mVIIII.um, anno nondum euoluto quo duxeram uxorem mahaldam nomine comitis amedeu filiam, ex qua primogenitus est natus henricus filius meus III.° nonas eiusdem mensis, quo ciuitas capta est hoc ordine. Fuit hec ciuitas quia fortissima, et fecundissima semper bellicosa insidians colimbrie, et meum regnum pene pessumdans ex multo tempore, Quam non poteram debellare, quia, ut predixi, erat inexpugnabilis, nec depredare propter impedimentum aque. Cum enim tetenderam insidias ex parte dextera fluuii, confugiebant ad sinistram, uel e conuerso cum peccoribus, et iumentis. Preterea planicies ipsa est paludibus plena et insulis, et ob hoc nemini peruia, nisi nauibus temporibus congruis. Cogitaui itaque mecum sepissime si quomodo eam inuaderem, uel ui, uel aliqua deceptione. Sed quibus profitebar, infirmitatis pretendebant excusationem mortis perculsi timore. Tandem pactita cum eis pace, menendum ramiridem mei consilii conscium premisi totius scrutatorem negocii, qua semita uel parte muri securius possemus nocte ingredi. Qui prout erat uir prouidus, et acri ingenio, et ad omnia audenda que mihi placere cognouerat auidus, prospectans omnia solito diligentius animauit me, secreto se iturum in prima fonte, promittento et erecturum meum uexillum supra murum, serasque portarum confracturum: quod et fecit sicut rei geste euentus probauit, quia omnia sibi uidebantur facilia, omnique periculo secura. Itaque statuto die preparatis cibariis cum colimbrianis, et fernando petride cumaliis de meis paucis: egressi colymbria feria II.a castra metati sumus in alfaphar, et hec fuit nostra mansio prima. Sequenti die mansimus in chornudelos, unde misimus martinum mohab et alios duos, qui renuntiarent habitatoribus sanctaren solutam fore pacem usque in tercium diem. Qui iussa perficientes uenerunt ad nos feria IIII.a in abdegas. Inde proficiscentes castra metati sumus in aluardos, mansimusque ibique totam quintam feriam usque ad noctem. Indeque promouentes nocte illa ambulauimus usque ebrahaz in sumitate pernez feria VI.a illuscente. Tunc existimans fore idoneum omnibus meum aperire desiderium, conuocaui ad me omnes a minimo usque ad maximum, et hoc ordine sum eos adlocutus.

Oratio regis ad milites.

Nostis comilitones mei, nostis, et bene nostis, quia et mecum et sine me multos labores sustinuistis ex hac urbe in cuius confinio estis. Nostis quanta mala fecerit ciuitati uestre, et uobis, omnique meo regno, qualiter sit in laqueum, et in stuporem dentium multis temporibus, Et nunc si conuocarem omne robur totius mei exercitus, ferrent auxilium unusquisque pro uiribus, sed nolui. Vos solos elegi quos assidue in meis angustiis expertos habui, et uobis meum comitto consilium, de quibus bene certus sum pro me dolere dolorem meum. Credite mihi milites mei, quoniam uidetur adeo perfacile, et oportunum quod uobiscum inire paro, quod pre gaudio animi mei, et mora uenturi diei, crescunt mihi dies medii quos uellem transire subito. Sed et cum uos uideo magis hoc obtare quam ego, et ipsam in faciendo oportunitatem attendo, quasi iam sim in ciuitatis medio, sic exulto. Sed hoc est quod prius facere debemus. Eligantur centum XX.ti e numero uestro, qui decem fabricent scalas diuisi per duodenos, ut cum unusquisque ascenderit per suam, non sit unus, sed decem supra ciuitatis murum, et ita facilis erit ascensus, et ascendentium multiplicabitur numerus, Quo cum fuerit peruentum, meum erigite uexillum prius, ut et a nobis ad robur, et ab eis forte excitatis ad detrimentum possit conspici eminus. Postea portarum confringite seras, ut impetus simul introeuntium perturbet inhermes, et som-

nolentos. Cuiusmodi erit difficultas interficiendi, dicite mihi pro amore dei, nudos et male sopitos? Sed hoc erit quod obseruabitis attentius, nulli etati uel sexui parcatis: moriatur infans ad ubera pendens, et senex plenus dierum, adolescentula, et anus decrepita. Confortentur uestre manus, dominus est enim nobiscum, nam unus e uobis poterit ex eis percutere c.^{m} Hodie, sicut credo, fit pro nobis communis oratio et a canonicis sancte crucis, quibus predixi hoc nostrum negotium, et in quibus confido, et a cetero clero simul cum omni populo. Preterea quidam de uigiliis sunt nos recepturi. Parcat mihi deus huius crimen mendacii, quia ideo scienter sum mentitus, ut eorum animi consolidarentur fortius. Pugnate ergo pro filiis uestris ac nepotibus, ego enim ipse ero unus e uobis, et primus, nec est qui a uestro me possit seiungi consortio, uel in morte uel in uita ullo modo. Huc usque me audierunt auribus arrectis, ut uidebatur mihi, et ad audenda que precabar parato animo. Sed cum de mei periculo cum eis fieret sermo, obstupuerunt nec se coibere potuerunt, ut quondam ioab, et ceteri principes milicie dauid, dicentes: Non ibis nobiscum. Si enim fugerimus, non magnopere ad eos pertinebit de nobis, Siue media pars uel omnes ceciderimus non satis erit ulla cura, quia tu unus computaris pro decem milibus, Nec inficietur familia nostra sempiterno elogio ut filii proditorum, si te permiserimus commisceri tam aperto periculo. Ad quos ego benignissime iuxta karitatiuam eorum rationem respondi hec pauca: Velit deus oro ut si in hoc anno excessurus sum uita, nisi ciuitas sit capta, non egrediar ab hac pugna. Qui cum me obstinato uiderent animo pronum ad subeunda discrimina, parauerunt omnia que negotio erant necessaria, Et dimissis ibidem sarcinis properauimus ad urbem ascensis equis iam subeunte nocte, uidimusque miraculum quod maxime nostros erexit animos. Siquidem quedam stella magna ardens ut facula, discurrens per celi plana a parte dextera, prolapsa est in mare, maxime illuminans superficiem terre, diximusque continuo: tradidit dominus ciuitatem in manibus nostris. Similiter et ipsis eo die quo pax est soluta orrendum apparuit prodigium, portendens eorum in tercia nocte futurum excidium: Namque uiderunt media die quasi quendam colubrum ferri per celi medium comis ignitum a cauda usque ad caput, et prophetauerunt inter eos sapientes nouum regem habere sanctaren. Cum iam ergo non longe essemus ab urbe pedites, et uelut cursarii preparati omnes, tenuimus semitam inter montem iraz, et fontem qui propter amaras aquas arabice appellatur athumarmal per mediam uallem, precunte menendo ramiride in prima fronte, qui transitus et exitus nouerat bene, et ego in posteriori parte. Hinc libet attendere quam mirabilis clarescat deus in suis operibus, Qui ne uideretur aliquid nostro fieri arbitrio, mutauit consulta, tamen in melius, sua propria uirtute, Quo enim loco nullam formidabamus fore custodiam, ibi enim uidebatur facilis ascensus, erant due mutuo sese ad uigilandum ortantes. Unde quieuimus parum in erba tritici quiescentes, donec consopirentur sompno a domino utreque. Statimque promouens menendus ascendit cum suis per alchudiam, et figuli, domum uiriliter ad murum, tenditque scalam in sumitate haste, que non potuit herere sursum, sed repens usque deorsum dedit magnum sonitum. Condoluit itaque menendus ne uigilie excitarentur strepitu, et incuruatus parumper super se fecit ascendere iuuenem nomine mogueyme, Qui erectus sursum ascendit ilico supra murum, et innectens scalam propugnaculis, ascendit alius cum uexillo regis, erexitque illud. Interim ascendit menendus, deinde ceteri, prout poterant melius. Sed cum tres tantum adhuc essent supra, excitantur subito male dormientes uigilie, Respicientesque uexillum iuxta mirantesque clamauerunt rauca uoce: Manhu? id est, qui estis? Cumque cognouissent frustra christianos fore, clamauerunt uoce sublimi, et confusa: annachara, id est, christianorum insidie. Post terciam itaque uigiliarum uocem, exclamat menendus inuitans ad auxilium sanctum iacobum yspanie patronum, et regem alfonsum. Conclamaui et ego clamore magno: sancte iacobe, et beatissima maria uirgo succurrite, hic est rex alfonsus, cedite eos, nec sit unus qui euadat gladium. Tanta deinde secuta est confusio uocum utrarumque partium, ut nulla possit notari discretio. Aio ergo meis: feramus auxilium sociis, teneamus dexteram, si poterimus ascendere per alplan, et gundisaluus gundisalui cum suis sinistram ut preocupet callem, qui uenit de seserigo, ne porte aditus ab illis preocupetur, nosque frustrati pereant nostri qui intus sunt ad obprobrium nostrum: Quod et factum est non nostra, sed uoluntate domini sola. Qui enim proposueramus per scalas conscendere murum, ingressi sumus per portam ciuitatis multo securius, Et qui decem fabricaueramus due sole erecte compleuerunt totum officium, per quas ascenderunt, ut aiunt, qui interfuerunt ad xx.v. tantum. Laudetur ergo deus in suis operibus. Tunc hii qui erant intus ad portam concurrentes cicius nitebantur frangere ualuas lapidibus, Sed malleus ferreus de foris porrectus confregit seras, et uectes fortius, et ita cum magno gaudio, et meis intus sum receptus. In medio ergo porte fixis genibus, que orauerim, uel ex quanta profunditate animi scit deus, nec nunc refferam, quia exciderunt iam a memoria. Quas congressiones, uel impetus fecerint, dicant amodo qui interfuerunt, quia non est meum. Itaque ista sufficiant pro magnitudine gaudii cordis mei, et leticie.

TRANSLATIO ET MIRACULA S. VINCENTII.

Narratio S. Vincentii translationis, et miraculorum, in Codice 286 *monasterii Alcobacensis scripta, hodierno tempore in Publica Olisiponensi Bibliotheca servata, nostra non parum interest; quod, et quasdam rerum saeculis XII. et XIII. gestarum dilucidando, civilem huius regni historiam, et praesertim ecclesiasticam iuvat.*

Hanc itaque narrationem, iam in Appendicibus ad Monarchiam Lusitanam *solita in illa aetate incuria vulgatam, denuo secundum primaevum textum sedulo nunc edimus.*

Alcobacensi hoc codice, saeculo XIII. ex litterarum forma certe scripto, usus est Brandanus, et etiam alio, qui quondam in cathedralis Olisiponensis Ecclesiae tabulario extitit, ad annum nempe 1755, *quo magni terraemotus violentia tabularium destructum et penitus eversum fuit.*

Cumque nihil super utriusque codicis aetate Brandanus moneat; hunc aut Magistri Stephani, illius cathedralis canonici, et narrationis scriptoris, autographum, aut autographi; vel etiam Alcobacensis codicis apographum credere aeque licet, quod probabilius nobis videtur; tum quod codex hic, quo utimur, eadem sit, ac scriptor, aetate; tum quod Brandanus, dum utrumque laudat, primum hunc semper laudet.

In hoc codice, post miraculorum postremum a Brandano in editione sua vulgatum, alterius sequitur fragmentum, quod ille praetermissum, quia non integra narratione constabat, reliquit: nobis vero aliter visum est; et ipsum hìc edimus fragmentum.

Incipiunt miracula sancti uincentii martiris, edita ulixbone a magistro stephano sedis ulixbonensis precentore.

Scripture declarant reges esse felices qui iuste imperant, nichilque locuntur rebus humanis esse commodius, quam si deo miserante habeant potestatem, qui scientiam regendi populos consecuti sunt. Illorum uero potentiam, qui deum timent, diligunt, colunt, qui plus amant illud regnum, ubi non timent habere consortes, qui suam potestatem ad dei cultum maxime dilatandum diuine maiestate famulari faciunt, non tam sibi paratur, quam subditis. In his equidem laudum preconiis Regis alfonsi strenuitas admodum insignis effulsit, qui suam potenciam ad ecclesie dilatationem adeo frequentibus bellis exercuit, ut et nunc cum sit etate maturus, et sensu non solum uicinis, sed et ceteris sedeat regibus formidabilis, hostesque malint cum eo pacem, aut amicitiam experiri quam bellum; Lusitania quoque titulis eius ascribit, quod potissima pars eius ab hostibus fidei libera, populisque repleta fidelibus, uberes domino gratias, et sacrificia laudis exsoluit. Si loca quis diligens contemplator inspexerit, que rex illustris, aut diuinis cultibus contulit, et religioni, aut que menibus, et populis ad regni firmamentum, et hostium infirmationem, seu ampliauit, seu de nouo constituit, profecto fatebitur, quantum humano licebit iuditio, ipsis diuinam gratiam huius uite statum contulisse felicem. Cum ergo me materia superet, de beneficiis scribere proponentem, que patria nutu dei, dum iste regnaret accepit, omissis aliis quibus nostri facultas ingenii minime sufficit, pauca interim que diebus illius ciuitatem ulixbonam per diuine pietatis intuitum, supra quam credi possit extollunt, relatu simplicis sermonis attingam. Sicut igitur litteris, et narratione maiorum certissime creditum est, beatissimus athleta dei uincentius apud ualentiam martirio coronatus, ibique sepultus fuit. Verum quoniam sub rege ruderico fere per totam hispaniam sarracenis irruentibus christianitas interiret, quidam uiri religiosi tuciorum loca querentes in loco remotissimo uersus occidente, qui latine dicitur ad capud sancti uincentii de coruo, arabice uero elkenicietal corabh, id est, ecclesia corui, prefati martiris ossa sacratissima condiderunt, cellulasque quantas ille locus angustus, et in mare porrectus excipere posset, extruxerunt. In quibus a uiris religiosis per aliquod tempus ad honorem dei martiri glorioso seruitum est, et eius obsequium non sine diuinis beneficiis cum multa deuocione peractum. At ubi prefatus rex alfonsus iam tum a puero admodum comendabile, et famose indole adolescens, sepe uictis hostibus, regibus superatis, urbibus quoque uastatis et captis, mauris esse terrori cepisset, ad locum prenominatum, ut inde secum beatissimum corpus afferret, uirtute tam fidei, quam gentis armatus accessit; Set regis pia deuocio, non tam incuria, seu minus propenso labore, quam ipsius martiris uoluntate cassa est. Libet igitur super re ista regis ipsius rationem attendere, qui dicit iccirco beatum martirem a rege se nolle fuisse repertum, quia sibi placitum fuerat ab ulixbonensi populo pocius uenerari: et e contra Regis animus bracare seu colimbrie, si repertum referret, condere proponebat. presertim cum necdum pietas diuina sibi contulerit ulixbonam, Regi tamen inutilis pii laboris cura fuit, Nam placitam deuotionis obtulit et orationis hostiam domino in memoriam beatissimi martiris, Cuius opere atque sufragiis actum esse credibile est, quod eodem tempore rex prefatus quamplurimos christianos, qui muhsaraues, quasi mixti arabes nuncupantur, ab infidelium seruitute terre restituit christiane: Inter quos duo fratres uiri religiosi etatis prouecte habitus monachilis, qui in loco prefato, et seruitio beatissimi martiris suas etates concorditer egerant, aducecti sunt. Qui dum honeste, et religiose ulixbone uixissent, quamplures id maxime scire curantes, noticiam ubi ab antecessoribus beatum uincencium positum didicerant, diligentissime docuerunt. Vnde post aliquod tempus, cum iam haberetur certitudo definita locorum, et tandem, uolente deo, pacis federa inter regem sepe dictum, et mauros, ad locum prefatum securius iter eficerent, quidam bono animo, et spiritu acti diuino, nauigia parant, collectisque necessariis maria temptant, pericula superant, et ad locum optatum felici nauigatione perueniunt. Vbi uigiliis, et orationibus insistentes circa loca presignata terram aperiunt, corpusque preoptatum post multum laborem per diuinam reuelationem inueniunt, nauique desiderabilem sarcinam deponentes, cum quibus gaudiis, quibus dominique graciarum accionibus, quam leti, quam hilares redeant, prosequi facile dictum non est.

I. Miraculum.

Veruntamen illud silencio dandum non est, quod de sociis unus qui aderat, Sibi ipsi quod accidit euenisse confessus est. Sibi uidelicet de sacris ossibus quiddam, dum multo metu hostium raptim colligerentur, se furto tulisse: Quo facto, tandiu permansit uisu priuatus, quoad reliquis partibus partem quam tulerat trepidus admodum, et mestus adiungeret, statim que suum occulis officium impetrata uenia redditum est.

II. Miraculum.

Sed certe nec hoc fine beneficio estimandum est accidisse diuino, quod mare circa partes illas uentis semper horret, et undis, Et tunc ita se mite redeuntibus, et placabile prebuit, ac si nullis unquam solitum fuerit motibus agitari. Veniunt igitur ulixbonam, et agente deo portus intrantes optatos, leto remige litus attingunt, Honusque sacratissimum piis humeris imponentes, e naui deponunt. Sed ne uiolentia quorumdam ualeat inconsiderata nocere, sub nocte quasi clanculis gressibus ad memoriam beate iuste uirginis occulte delatum est. Verum ubi ciuitati manefacto rei tam excellentis euentus innotuit, factus est concursus inermium, et armatorum. Hii ad mo-

nasterium quorundam regularium extra ciuitatem commorancium cum uiolencia litigant, et contendunt debere deponi. alii sentencia saniore reclamant ad cathedralem ecclesiam sacratissimum corpus oportere deferri. At uero gunsaluus egee, quem in illis diebus rex ante dictus milicie prefecerat extremature, uir utique strenuus, et discretus, mandat e medio uiolentiam, et litigium tolli, regisque super re tanta beneplacitum expectari. Tunc denique matris ecclesie decanus, robertus nomine, uir deo et populo ciuitatis acceptus, collectis sociis canonicis, et sapienter ne plebis commotio rem aliter uerteret, Hinc inde dispositis M. personam ipsius ecclesie ubi primum in ciuitate sanctissimum corpus fuerat depositum, gratanter honoribus donant, ipsumque diuino consulti fauore piis manibus, et letis excipiunt, et cum tocius ciuitatis ueneratione, in himnis diuinis, et laudibus ad maiorem ecclesiam, dono nimirum celesti letantes apportant, et ueneratione debita collocatum piis affectibus, seruiciis incessabilibus, quantum denique uis humana permittit, honorant. Currunt igitur prenominati regulares aliquid de reliquiis preciosi martiris petituri, Et regias aures rumoribus adeo letis attingunt, ut inter illa que sibi prospera dum uiueret, dei fauore, cedere consueuerant, istud precipue sibi felicius dicerent accidisse. Posses utique suas gaudii lacrimas in regio uultu notare, posses in uiro catholico pium animum deprehendere, et comendare fidelem, quem adeo letum tantas exoluere grâtes, tantum diuinam extollere uideres et laudare clemenciam, Et merito; credit enim ad suum id totum fieri felicitatis augmentum. Gaudet suam ciuitatem terram scilicet benedictionis, dei nutu sua speciali milicia, potestati redditam christiane, suis temporibus tanto martire sublimari. Gaudet et insuper ecclesiam quam ipse ad honorem dei, et memoriam beate uirginis marie constituit, et ditauit, manuque propria, sumptuque fundatam edificauit, et beneficiis amplioribus successu temporis, edificatam profecto dotabit. Hanc, inquam, gaudet aliis uicinitatis ecclesiis multis diuine gratie dotibus, et his maxime presentibus martiris gloriosi reliquiis excellentissime preferendam. Vera igitur pietate, et prudentia summa permotus, hortatur, et mandat, quatinus uiri commendabiles, et strenui ad locum, in quo fuerat sacrum corpus inuentum, motu celeri propperarent, et quiquid aut pulueris, aut tumuli apparatus, aut ossium esset ex aliorum incuria derelictum, isti uigili cura, et omni diligentia reportarent. Quod totum ea festinatione, et felicitate peractum est, qua constat hunc qui hec iubebat hec exoptasse. Redeunt etenim qui missi fuerant, et sacros cineres, et ligna sepulcri, et partem teste capitalis, et cum reliquis partibus ulixbone ingenti ciuium ueneratione componunt. Sed quanta dulcedo miri odoris lignorum existat, adhuc in presenti die uolentibus experiri, si propius admittantur, mira flagrancia, et suauissimus odor occurrit.

III. Miraculum.

Set et hoc pretereundum non est quod magister benedictus precentor noster, uir uita grauis et moribus, nuper expertus est. Qui dum more solito ad altare iuxta quod ossa sacerrima posita sunt, orandi animo propius accecisset, tanta se senssit odoris, et fragrancie suauitate perfusum, quod quasi stupore mentis, et extasi tactus orationi tandiu se dedit, quoad odor ille quasi claritas fumi cuiusdam abscederet.

Scribitur itaque dies, et grata memoria feliciter celebratur, in qua beatissimi corpus uincentii ad ulixbonensem ecclesiam constat esse translatum: Que translatio iocunda celebrisque statuitur XVII. Kalendas octobris, anno domini M.°C.°LXX.°III.°; Regni autem regis alfonsi XL.°V.°; vite uero eiusdem anno LX.°VII.°, filioque regis eiusdem sancio conregnante XVIIII. annorum, adolescente mirabile indole; Ab urbis uero prefate captione anno XX.°VI.° Cum igitur ad tocius regni felicitatem attineat martiris adeo gloriosi presentia, maxime populus ulixbonensis iugi tenetur debito, diuinam clemenciam super tam excellenti beneficio laudibus incessabilibus benedicere, multis accionibus graciarum extollere, et per omnia sermone magnifico predicare. Licet enim terram habeant uirtute diuina incomparabiliter bonam, terram, inquam, omnium generum fructibus comendabilem, oleo, uino, frugibus habundantem, aere saluberrimam, undarum beneficio copiosam, presenti tamen celestis gratie dono ceteris potest, nostro iuditio, sue uicinitatis ciuitatibus anteponi. Propter presens siquidem donum, is qui est maiestate mirabile, et in sanctis suis gloriosus mirifice magna, et magnifice mirabilia, per assuete bonitatis gratiam diebus singulis operatur. Demonia siquidem ab obssessis corporibus effugari, mutos loqui, claudis gressum restitui, in mari periclitantibus subueniri, cecos illuminari, sublatas furto pecunias mirabiliter reddi, mulieres a diutino sanguinis fluxu sanari, tortos membra rectos efici, ab humanis corporibus uarios languores expelli, qui diuine gratie, aut beatissimi martiris uincencii meritis non ascribunt, non solum dei benefitiorum ingrati, uerum etiam a fidelium numero alienissimi sunt abendi. De prelibatis igitur miraculis ex ordine tractaturus, ne diuina beneficia posterorum noticiam lateant, licet inpediat copia proponente, tamen sicut hec, et alia quamplura gesta noscuntur, prout breuius possim expediam. Cum ergo tantis audita miraculis, hinc inde populos fama contraheret, et hos ad uidendum res mirabiles, illos ad glorificandum nomen domini conuocaret, plerosque tamen spes amplius properat, ut pietate diuina, et uincentii martiris ad egra corpora seu mentes, spiritu uexatas maligno, sanitas reducatur.

IV. Miraculum.

Vidi ipse, et que presens aderat multitudo quam maxima, puellam iam nubilem ab ulixbone parentibus ortam ad ecclesiam, in qua prefatus martir uincencius honoratur, aliorum officio deportatam. Que dum gestu perditi corporis, et gutturis impedito murmure grauis, inueret quod uellet ad altare deponi, a parentibus circunstans turba quesiuit cuiusnam morbi puellam tanta miseria fatigaret. Quibus referentibus illam per aliquot dies egritudinis magna molestia fuisse grauatam, demum insania tactam amisisse loquelam, et imo se uelle cum iam ab ope humana deficeret, misericordiam implorare diuinam. His inquam ita dicentibus, puella sacris reliquiis in oratione supponitur. Pro qua dum a populo circunstante piis lacrimis, et communibus uotis oratur, quies insolita, et quedam soporis dulcedo membra puelle demulcet, Ita tamen ut miciori motu uideretur ab assistentibus hinc inde moueri: Unde mox se ipsa forcior excitatur, restitutoque membrorum officio, cunctis premirabili euentu stupentibus surgit, et os quod culpa fuerat exigente ligatum, fit ilico soluente domino liberum, et ad laudem ipsius, et gloriosissimi martiris expeditum. Exclamat itaque, et sibi dum semisopita iaceret uirum in albis apparuisse testatur: Querentique quisnam esset qui tam speciosus accederet: ego sum, inquit, uincencius qui te saluti reddidi; Manuque puelle, ut sibi uisum fuerat apprehensa, eleuauit eam precipiens, ut surgens eloqueretur quod sibi senserat ex dono diuine bonitatis impensum. Quas igitur laudes, quas uoces exultationis, quas leticie lacrimas, signis undique ciuitatis sonantibus, uir, mulier, etas omnis, ciuitas denique tota concurrens diuine uirtuti deprompserit, eo minus sufficientibus nos constat effari, quo dei magnalia excellencius humanum pectus excedunt.

V. Miraculum.

Per idem tempus quidam ecclesie nostre canonicus ardore febrium iam multis diebus ita molestie cesserat et debilitari, ut uix ad ecclesiam spe trahente salutis ualeret accedere. In qua dum pernoctasset completis in oratione uigiliis, domum sanitate reddita ualidus remeauit.

VI. Miraculum.

Simili modo puerulus quidam magistri operis antedicti filius, per beatissimum martirem salutem adeptus est. Cuius facie lesa tanta in uultu deformitas apparebat, quod et lesura parentibus horrorem incuteret, et salutis desperatio non mininum contristaret. Mouit igitur deuocionem parentum filii dolor, et sicut moris est cum desperatur humana, diuinam supplices opem implorant. Veniunt itaque ad sanctum uincentium, lumen tam fide quam manibus ferentes, triennem puerum ante sacras reliquias statuunt, Verba quibus uincentium salutem exposcat puerulum docent. Posses animo flecti, posses utique mente compungi uidendo elinguem, et balbulum flexis genibus, lacrimis fusis astantem, et hec dicta cum parentibus iterantem: O sancte vincenti da mihi salutem, et tuus dum uixero seruus existam. Huiuscemodi uerbulis aliquociens repetitis, sana quidem et formosa facies puero redditur: nec ulterius uultus tener ulla morbi notula maculatur.

VII. Miraculum.

Quedam interim mulier sane fidelis, et timorata uicina prenominate moratur ecclesie, que multis annis fluxu sanguinis, et magna molestia laborabat, postquam in impericia medicorum consumpta pecunia nichil opis esse didicerat, fide, et prece uincentium adiit, sanitatem poposcit, et hoc modo recepit. Siquidem post factam orationem sibi quidem dormienti Sanctus uincentius apparuit, precipiens ut uestes ablutas et mundas indueret, nichil uterius mali quod per decennium passa fuerat habitura: Que uerba promisse salutis efectus secutus est. Nam deinde mulier ab antedicta miseria liberata, clemenciam dei, et uincentii beneficium grato sermone glorificat, se sanam esse populo confitetur, celestem misericordiam predicat, et gratiam hodie date sanitatis extolit.

VIII. Miraculum.

In hisdem etiam diebus puelula quedam, octo sicut dicebatur annorum, ut a demonio liberaretur, ad gloriosissimi martiris suffragium parentibus comitata peruenit. Huic inerat hostis adeo molestus et grauis, ut eam ter, aut quater in die in tantum laborioso uexaret incursu, quod egra menbra uix proprius spiritus sustentaret. Huius dolentis angustias post aliquod uigilias noctium, et orationes, illum intuitum fuisse credibile est, qui corruentes eleuat, et erigit omnes elisos, Hostisque opprimentis uiolentia, et inprobitate depulsa, per beatissimi martiris preces puellam saluti restituit, securamque de cetero atque incolumem conseruauit. Sed et de duobus coruis, qui iam a multis uisi sunt sepius alacri uolatu sub arcum, et testudinem anterioris ecclesie peruenisse, quidam irrisores, et diuine pietatis ingrati subsannant. At ego quidem illud estimo multo fuisse incredibilius, sane incredibilius, quia mirabilius, et tamen uerissimum est quod in explete auis edacitatis, et gule dedita, nature oblita uoracis potuit carnem sanctissimi martiris ferro, flamma, penaque multiplici tritam non solum non attingere, uerum illessam a ceteris auibus, et quod magis mirandum est a feris bestiis custódire. Potuitne nutu dei hec auis etiam ieiuna sanctum prophetam dies quadraginta cibare, et non potuit ad prefatam ecclesiam uel propter testimonium sancti corporis aduolare? Unde ut apertiore dementia diuinis uirtutibus inuidentes aberrent proposite narrationis ordinem exequatur oratio: et quos nec res auditu, uel uisu mirabiles ad laudem diuine maiestatis inclinant, de multiplicatis miraculis maior incredulitatis culpa confuerat.

IX. Miraculum.

Erat igitur ulixbone septennis puella paralitica, que uultum habebat tanta deformitate distractum, ut amisso spiramine uie naturalis, os ad aurium unam ui morbi retortum atracti aeris uix flatum fere iuxta tempus emitteret. Unde parentes illius audito quod multos huiusmodi prefatus martir gloriosus a suis languoribus alleuaret, puellam ad ecclesiam sepe dictam adducunt, ablationesque suas ad sacras reliquias in gemitu multo, et cordis contricione deponunt, et ne sermonem diutius quam opus sit teneat, puellam diuine clementie, et beatissimo uincentio monitam, ut supplex in quantum posset oraret exponunt. Nec mora quasi stupefacta, et uisu nouo conterrita, officioque reuera non suo consurgens, hilaris tamen, et sana ore reddito, et suo loco restituto profatur, populoque qui presens aderat admirante, confitetur ex ordine, qualiter beatus uincentius sibi apparuit, et proprie manus contactu egre maxille apposito faciem puelle restituit, et salutem. Fit igitur in urbe tota letus ad sidera clamor, Et in excelsis domino gloriam, et laudes uociferacionis cum populo clerus extollunt, dum, et dominum israel benedicunt, qui plebem suam per tanta miracula uisitat, et tam admirabilem genti facit in martire glorioso misericordiam. Miratur, et predicat populus faciem puelle beatam, que tanta, et tam sacra manu contingi meruit, et habere tam felici contactu salutem. Heret animus, et dum preoculis plurima memoria digna, et ualde miranda concurrunt, de multis nimirum ignoro, quod horum specialius debeat aliis anteponi. Quantum enim ad presens, multis fortasse uidebitur esse superfluum litteris commendare quamplurima, que recenti memoria per omnium ora notissima celebrantur. Satis enim esse conmuni noticie potest, quod operis ecclesie prefate magister gaudet, et per se quanta post eloquencia predicat, qualiter a beato uincencio salute donatus est. Verumtamen quia non solum magistro, sed et operi prenominato martir gloriosus consuluisse credendum est: iccirco uideor homini datum diuine debere clemencie donum latius explicare.

X. Miraculum.

Iste cum esset ex regio mandato profectus, ut locum exquireret, unde facilius ad construendam ecclesiam lapides erui possent, difficillime siquidem, et multis impensis quadratos lapides ulixbone contingit habere. Hoc inquam animo dum loca lapidum circuit aptiora, mula qua uectabatur per aspera montis, et decliuia gradiens, ita casu subito lapsa est, ut honus impositum a se longe deiceret, et excussum hominem inter lapides aggrauando, sua mole desuper aduoluente comprimeret. Accurrunt igitur qui proprius aderant, et homine eleuantes semiuiuum expediunt, et utrum integer uiuat, nomen interando magistri requirunt. Is uero dum dubitat, et de se miratur an uiuat, respondet tandem querentibus se nescium esse quam partem lesi corporis maior angustia molestaret. Equali quippe dolore quasi lesio una corpus attriuerat, Magis tamen de costarum compage soluta conqueritur. Post biduum igitur ulixbonam eger admodum quoquomodo reuectus adducitur, et desperata medicorum peritia, alienis manibus beatissimo martiri presentatur. Ubi dum suppliciter excubans noctem unam peregisset, mane facto, redditis membris, depulsa molestia, sanus et incolumis domum gradu firmo reuertitur, et quantam ex diuina bonitate receperit gratiam grato corde, et sermone letifico sue uxori, et letanti familia protestatur.

XI. Miraculum.

Fuit eodem tempore iuuenis quidam de Wimerannis quartanis febribus adeo multo tempore tanta debilitate confectus, quod nichil proficientibus medicis extremo de-

fectui cederet, horamque qua diem clauderet trepidus expectaret. Auditis tamen dei, et beati uincentii mirabilibus, spem animo colligit, et martirem gloriosum ad eundem proponit et uouet, et dum uiam accelerat, antequam ad locum optatum perueniat, febrium longa molestia liberatur. Iter autem promissum mente grata persoluit, et misse oblationis donis expositis, quid sibi martir beatissimus egerit, hodie coram populo dominum glorificandi declarat.

XII. Miraculum.

Tunc quoque temporis adholescentula, paucis ante diebus marito tradita neruorum dissolutionem incurrit, et parte lateris unius amissa, parentum obsequio ad ecclesiam portatur, et ante sacras reliquias spe salutis habende prosternitur. Pro qua dum parentes orationem, et lacrimas faciunt, puella se paulatim recolligit, et membra de loco quo iacuerat forcius eleuat, et manu, que prius inutilis actui fueret, collapsum mantellum humero superponit, ceterisque menbris usui solito restitutis, querenti matri se per beatum uincentium hilarem esse respondet, et sanam; Manum in argumentum salutis extendit, pedibusque reddito gradu consurgit, dicens, se esse sanatam, et uelle domum, turba presentium admirante redire. Monetur tamen a clericis qui aderant abstinere per triduum, et indicitur ne uelit amplexibus uti mariti, donec uigiliis, et orationibus dignam faciat deo, et glorioso martiri de date salutis recordatione memoriam. Quos audire recusans, dum aperentibus imani leticia conuiuium apparatur, uetitis osculis et marito miscetur. Unde collate paulo ante sanitatis dono fraudata, nimirum ut estimo ad euidentiam inobedientie eciam lingua prepedita loquelam amisit. Tristior igitur unde cum salute uenerat ducitur: et post moram paruulam, uoto uite melioris effecto, iterato diuine bonitatis dono, facta sana reuersa est. Sed et certe cum sit martir beatissimus, in dandarum sanitatum miraculis ualde beneficiis, pauperum tamen est oppressorum in rebus, furto, seu aliis modis ablatis tam mirabilis consolator, quam rei perdite utilis restitutor.

XIII. Miraculum.

Quidam namque in uicinia nostra moratur homo sine querela, dei timidus et amicus, diues ante aliquos dies, et inter sui similes extremature milites, rerum necessariarum habundans. Sed ut plerosque mortalium sors uite presentis obuoluit, huius quoque dies ultimos, rebus sinistre cedentibus, paupertas occupauerat, et senectus: Viri tamen prudentis modestia pauperiem efficit dum pacienter sustinet miciorem. Sed hominis miseria successu temporis eo processit ut bouem unam tocius possessiuncule particulam optimam, dum sine custodia montibus oberraret, amitteret. Quam dum per aliquot dies homo prefatus per uiam, et inuium anxius terram lustrando quesisset, rerum malarum tedio tactus, hieme, ieiunio, et mutili fractus erratu, positis genibus ita lacrimis, et gemitu uerba prepediente profatur. O martir gloriose uincenti, si constans, et indubitabile uerum est, sanctissimas corporis tui reliquias esse ulixbone, meam miseriam intuendo, mihi obsecro quod quero restitue. Quo dicto statim mugitum bouis quasi de prope uenientis attendit, et nebulis admodum spisis uisum eripientibus sonos audiens interatos gressu meliore procedit, uacanque oculis presentatam gauisus plurimum, et letabundus agnoscit, secumque gracias referens deo, et martiri glorioso domum reducit.

XIV. Miraculum.

Sed non minus mirabile pietatis extitit argumentum, quod quidam ulixbone habitans in hisdem diebus expertus est. Hic ab amico depositam pecuniam quatuor aureorum conseruandam receperat. Erat autem homo rerum exilium, sed morum, et uite fidelis habundans. Is, et uxor manuum labore communi liberis uictum et sibi parabant, nichil preter domum qua se reciperent possidentes. Contigit autem, ut quidam familiariter nocens ad locum in quo predicta pecunia posita fuerat iam cognitum, et prenotatum accederet, aureisque furtiue sublatis fugam tenuit, et se almade transmisso tago recepit. Is autem qui pecuniam custodiet, sicut putabat fideli conmiserat, post paucos dies aurum exigente necessitate requirit. Quod dum in promptu custos antedictus habere putaret, et quesitum minime reperiret, exangui uultu, linguaque pre dolore deficiente, respondet sibi pecuniam furto esse sublatam. Uxore ilico eiulatu flebili motam uiciniam uertit in lacrimas, et miserabili uoce conclamat se miseriam non amplius a paupertatis inconmodis emersuram. Ducitur igitur ante pretorem homo miser in causam, et quia cum amissa pecunia rei proprie nichil amiserat, ipsam reddere iuxta terre consuetudine iudicatur. Tantis itaque malis anxius petit inducias; domum tristis reuertitur cum uxore quid facere debeat parum consilii habiturus: Que consultis sortilegis dicit pecuniam iam ad troncosum usque fore delatum: Quod oppidum VII.[tem] distat ulixbona dietis. Latronem itaque de uie magnitudine persequi desperantes domum suam quo possent precio uendere proponebant, sub aliqua postmodum spelunca mansuri, uictum, panem que hostiatim ultima miseria petituri. Redit tamen maritus ad coniugem, et obortis lacrimis ita miserandam affatur: O mulier, inquit, ecce sanctus uincencius petentibus miseris solacia confert, et nobis uidentibus nemo, corde supplici, et animo mundo ad presentiam relliquiarum eius accedit, qui secum optata remidia non reportet. Surgamus itaque, et prout nostra facultas expetit munus, et animum pocius offerentes coram ipso lacrimas nostre querele ponamus, et nisi spes animum fallit, nostro dolori uelox aderit sua pietate remedium. Placuit hic sermo duobus, et expositis que oblationi parauerat donis, uigilias celebrant, et parte noctis morando peracta, certam noticiam de rebus amissis accipiunt. Quidam enim marito per uisum apparens, uade, inquit, almadam, et qui tibi de castello ueniens primus occurrerit, is de tua pecunia te certum efficiet. Nauigat igitur manefacto, et citus ad locum premonstratum adueniens, statim hominem aureos habentem obuiam habuit, et ab ipso prius amico more saluere iubetur. Scio inquit, qui furtum amiserat, quod tuos aureos queris, sed si tacitum semper de nomine meo, et secretum habueris quod inde fuero tibi confessus, ego cum pecunia reddita tue te letum uxori remittam. Data itaque fide, et rei male geste taciturnitate promissa, partem quoque pecunie se daturum animo libenti spopondit. Sed et alius, nequaquam, inquit, diutius inde quicquam michi retinebo, quoniam ut hos male tuli, super animus duris horroribus actus, quasi alienatione noua remota quiete uehementer obstupuit. Recepit igitur aurum homo gaudens, et ualde letissimus domum regreditur, secumque sua solatia defert ad uxorem, de piis piissimi martiris tanto beneficio gauisuram.

XV. Miraculum.

Simili pietatis gratia quedam muliercula ualde pauperrima pannos ad lauandum susceptos dum furto sublatos minime reperiret, ab exorato martire rediens, domi positos, et ad plenum restitutos inuenit. Alia quoque que in suburbio habitat ulixbone, misera ualde, decem aureos quos ad redimendum filium ex elemosine regis supradicti receperat, et subtractos non inueniens, fusa cum lacrimis oratione a beato uincencio misericordiam peciit, et domum reuersa nutritum a se porcellum obuiam habuit predictum aurum ore suo ad pedes domine sue presentantem.

Quidam autem eodem tempore pelliculas emere cirogrillinas, et ut in eis operaretur, spe lucri quicquid habebat in illis emendis expenderat. Quibus conseruandis dum animum opere negligentiori inpendit, ipsas alio curam agente, habendis alienis solliciorem amittit. Pro quibus fere tota querendis euersa ad misericordiam beati martiris implorandam consilio tandem miliore recurrit. Ade-

rat tunc, et suas agebat uigilias ecclesie prenominate magister scolarum, et sicut ab eodem confitente recepimus, ipse, et sua societas presens, prefati negociatoris uerba huiusmodi risit. Intendens N. oculos, et faciem commouens ait: O sancte uincenti de tua presencia nequaquam mouebor, donec meas pelles michi reddi precipias. Prius igitur quam nox media fieret, propere surgens socios excitat dicens, se per beatum uincentium certum effectum, qua domo, et apud quem debeat hominem pelliculas inuenire. Quas ea certitudine scimus hominem inuenisse, qua fidei constancia et certa fiducia martirem gloriosum rem perditam precabatur. Sed certe memoriter habendum est, et ualde pensandum, quam magni meriti apud dominum sit beatissimus huius martiris spiritus, quamtumque sua prece remittendis criminibus ualeat animarum in celo, qui non solum corporibus a multiplici morbo sanandis, sed et rebus uictui necessariis tantum ualere monstratur in terris. Verum et Maria nullatenus beneficiorum illius expercia, rerum euentu mirabilium ostenduntur.

XVI. Miraculum.

Quidam enim ulixbone habitant eorum hodie, que dicturi sumus minime testes existerent, nisi data de periculis tantis salute presentem uitam martiri glorioso debent. Hii cum iam ad maris, et terre confinia litus, aut portum sibi facili nauigatione promitterent, uis irruens magna uentorum, et uiolentium estus undarum contrarius, ruptis anchore funibus miseros nautas in altum a conspectu telluris longe frustra laborantibus remus inuoluit. Geminat autem adueniens nox obscura procellas, et duplicatis tenebris quorsum tenere nauiculam debeat, rector nimirum ignorat. Pars itaque lacrimas fundit et undas, et nauem imbre, marique grauatam euacuat: pars uero quod dulce domi reliquerat, memorat, et quod sui defuncti agat curam exoptat. Tres igitur noctes et dies hyeme, et tenebris indiscretos, sine cibo, potuque nequaquam mortis incerti uexantur. Enimuero etsi tempestate dilatam, certam tamen expectant per longa ieiunia mortem. Tum denique Sanctum uincencium miserandis uocibus interant, unanimes uota uincencio faciunt, statimque auram prosperam mari reddito, et aere clarificato recipiunt, et preter speratum mira celeritate in portus inferuntur optatos. Et quam ad suas domos adeant, ante beato vincencio uota persoluunt, cuius se gracia, et ineffabili pietate testantur populo admirante de periculorum inmensitate saluatos. Verum uxores, et ut queque periclitantibus proximior fuerat, uultu deformes, et crine gentis sue ritu uenias egerant, et missis de more cantatis animas conmendauerunt maritorum. Quibus uiuis iterum apparentibus, omnem luctum in gaudia uertunt, et quantum de salute suorum deo, et beatissimo martiri debeant, multarum accionibus gratiarum ostendunt.

XVII. Miraculum.

Huius profecto martiris gloriosi dignum est meritis imputari, quod nauis alkobacie de consimili periculo naufragia maris euasit. Enimuero domnus abbas conmuni prouidens usui fratrum, nauem honerariam sale, qui multum habundans est alcobacie repleri preceperat, et ad portum alium, ubi carius emitur apportari.

Nauis igitur aura fallaci fauente, portus exierat, et dum in altum a terra longius agitur, subito uehemens irruit uentus in uela contrarius, et turbine nauem tamto perculsam inuoluit, ut horrendo undarum incursu, nauis ad sconpulorum amfractus, et loca de quibus nullus euaderet precebs inferretur. Tunc uero uiri religiosi qui aderant presente periculo territi uno clamore uociferantes adeo Sanctum vincencium preces emittunt, et ut eos de presencia mortis eripiat, eiulatu magno conclamant. Miro igitur modo oracione finita statim procella cessante, uentus in auram suauissimam uertitur, et nauis in portum ubi beatus vincentius honoratur cum magna tranquillitate deuehitur. Ubi de tanto metu securi ad beati Martiris presenciam festinant, et multas illi de periculorum emersione grates exsoluunt, populoque quam presentem mortem per meritum illius euaserint gratis sermonibus eloquuntur, Sed et alii quamplures, qui sibi uictum, et uestitum piscando conquirunt, notis per sepe beato vincentio factis naues ab alto reducunt multitudine piscium admodum honeratas. Hiis, et aliis multis uirtutum indiciis nauigantes vincencium potentem maris appellant, et minus marina pericula timent, quicumque frequenti memoria reuocatum sibi propicium martirem gloriosum efficiunt. verum ad ea que per illum dominus circa miseros operatur, narrationem uertamus.

XVIII. Miraculum.

Quidam autem multo tempore uisum oculorum amiserat, et supplicanti deo, et glorioso Martiri, sanitas oculis diu perdita restituta est. Quod ipse qui secus fuerat, coram donno Gunsaluo prefato tribuno milicie, qui tunc suas uigilias ad beatum martirem celebrabat, confessus est.

XIX. Miraculum.

Ipsaque eadem nocte puellula quedam muta, et demoniaca salute reddita, sibi donata est.

XX. Miraculum.

Set et post paucos dies alius quidam a demonio sepe uexatus mirabili gracia, et memoria digna, sanatus est. Iste ad petenda remedia nocte uenerat eadem forte qua donnus Galdinus procurator rerum, et Magister milicie templi per regnum portugalie, uir utique graciosus, et illustris, suas uigilias una cum aliis multis militibus animo magne deuocionis agebat. Contigit autem prefatum infirmum coram Magistro prenominato ante sacras reliquias sisti, et solito morbi uenientis signo precepto, cepit emissa uoce clamare, et contra uiolenciam inuadentis hostis a consedentibus opem expetere. Cui magister confidenter, ne timeas, inquit, uillane, sed bonam fiduciam habe, et extendens manum arcam attinge. Dicebat enim eis, qui a demonio uexabatur, quod per dextre manus digitum minimum se solitus fuerat malignus spiritus occupare. Hanc itaque manum extendens tetigit arcam in qua reliquie sacre reponuntur, et ab hoste paululum respirauit. Ter igitur in ipsa nocte miserum hominem suus hostis exterruit, et arche sancte per mandatum prefati magistri *
tactu, data per martirem securitate perniciem hostis deinde sanus euasit.

XXI. Miraculum.

Alius quoque iuuenis a multis diebus inualidus ab umbilico inferius omnium usum menbrorum amiserat, et de sanitate medicis desperantibus ad presenciam martiris beatissimi meliore consilio per manus aliorum deductus est. Is cum sue deuotionis lacrimas, et orationes beatissimo martiri sepius obtulisset, ita sanus restitutis menbris abscessit, ac si nunquam fuisset prius aliqua molestia pregrauatus.

XXII. Miraculum.

Similiter alius a demonio frequenter in die correptus intolerabiliter laborabat, et multis diebus et noctibus ad sanctum martirem excubans, et cum uigiliis diutissime factis oracionibus, tandem donec uiueret perpetuum cor-

* *Interest spatium unius vocis abrasae.*

poris sui seruicium uincencio glorioso promisit, et nobiscum diu conmurans, ex toto prefata miseria liberatus est.

XXIII. Miraculum.

Alius itidem aput turres moratur in tantum spiritu uitali defecerat per longam febrilis morbi molestiam, ut iam ultimum fatalis hore terminum trepidus expectaret. Quem dum ultimus ut timuit angeret dolor, uicinis presentibus se uocauit ad sanctum uincencium si uiueret profecturum; et statim facto uoto, cunctis qui aderant admirantibus, sanitati perfectissime redditus est. Cuius beneficii gratiam ipse postmodum, et alii quibus martiris beatissimi donum notum extiterat, cum ulixbonam peruenissent, debita graciarum actione diuulgare postmodum beati martiris merita non cessarunt. Accedit ad hec et aliut non minoris uirtutis indicium.

XXIV. Miraculum.

Armiger nempe quidam utriusque parentis nobilitate pollens, inter uarios uiris et equitatis excessus fuerat grauissime cesus, Que quidem cesio auditus atque loquele causa ei priuacionis extiterat. Quippe cum ex ictibus illis tota corporis et membrorum concitteretur compago illa pocius est discussa, que ad ysofagum et primam partem

. . . .

GOSUINI DE EXPUGNATIONE SALACIAE CARMEN.

S*uper Salaciae oppidi* (Alcacer do Sal) *expugnatione poema, in codice* 207 *Alcobacensis monasterii, nunc in Publica Olisiponensi Bibliotheca, sub finem, scriptum, et a Brandano, et Fr. Fortunato a D. Bonaventura antea variis mendis editum, hìc typis etiam mandamus.*

Hoc Alcobacensis illius codicis scriptum, etsi autographum non sit credendum, non ideo apographum posterius seculo XV., ut Fr. Joachimo a D. Augustino visum *, *habendum est; litterarum enim forma, aliaque scripturae signa opus saeculi XIV. ostendunt.*

Barbosa Machado in sua Bibliotheca Lusitana, *ac plerique eruditi scriptores, illius auctoritatem secuti, cuidam viro, Olisipone nato, Suerio Gosuino nomine illud tribuerunt poema. Hoc illis visum fuit ex quibusdam poematis verbis; et praecipue quod initiales litterae a primis cuiusque strophae, quibus irregulariter constat, versibus detractae, et suo iterum ordine coniunctae, acrostichidem perficiunt:* Suerius Gosuinus.

Hac de re audire expedit Fr. Fortunatum a D. Bonaventura, huius opinionis, et pravae acrostichidis interpretationis fundamenta merito convellentem, atque negantem, poematis auctorem portucalensem fuisse, et Suerium *appellatum.* **

“ *Carmen de expugnatione Castri Alcacer D. Suerio Olisiponensi Episcopo, qui Cruce-Signatorum Francorum ope Salaciam e Maurorum tyrannide eripuit, dicatum fuit; cum vero quandam acrostici speciem ex auctoris mente referre debuisset, hinc nominis* Suerius *unaquaeque littera, cuidam versuum stato numero praeest, quo finito nomen* Gosuinus *eodem pacto disponitur, sed minor, quam antea versuum numerus unicuique huius nominis litterae adponitur* [1]. *His peractis, subiungit Poeta:*

Hic sunt ter quinae partes, hinc quamque figuram
Si primam jungas, nomina nostra creas.

“ *Nostra ait, non mea, quasi de duobus in carmine iunctis nominibus* Suerius *et* Gosuinus *gloriaretur; nam si de suo nomine tantum amplificando ageret, se potius, quam Episcopum laudandum susciperet. Praeterea si auctor Olisiponensis, humaniorumque litterarum, ut sui temporis ferebat conditio, excultor haud ignobilis existeret, quomodo Pastori suo haud notus diceretur:* Nec tibi notus eram? *Ast paulo antea se Francum esse disertis verbis fassus fuerat.*

Vers. 209. Hic ducibus nostris sua concessitque, deditque.

* Memor. Litter. Acad. T. V. p. 315.

** Commentar. de Alcob. MSS. Biblioth. p. 525 et seq.

[1] Cl. Du Cange, in voce *Galea,* hunc Poetam non *Suerium,* sed *Gosuinum* adpellat.

BIBLIOTECA NACIONAL DE LISBOA

Vers. 215. Est hic Ulixbonae praesul, qui tot bona nostris
Contulit, *etc.*

„ *Ipsa operis inscriptio* Quomodo capta fuit Alcaser a Francis, *non auctorem Lusitanum de gentis suae, quae obsidioni adfuit, laude sollicitum, sed potius e Francorum numero, dictumque* Gosuinum *mihi videtur designare; quis autem fuerit hic* Gosuinus, *paucis disquirendum.*

„ *Chartas*, donationes, *Testamentaque in variis Cisterciensis Lusitanae Familiae archivis servata plusquam mille. hactenus evolvi, alias aliorum Lusitaniae archivorum legi, et nullum hucusque* Gosuinum *testem, vel* confirmatorem *inveni, ex quo mihi vehemens orta est suspicio de* Gosuino *potius Franco, quam Lusitano dicendo, et omnia, ut huius carminis auctorem habeam* Gosuinum *Monachum Cisterciensem et Cantorem Monasterii Villariensis in Brabantia, qui vitam S. Arnulphi Villariensis (anno* 1228 *defuncti), cuius erat coaevus ac familiaris, conscripsit, me fortiter impellunt. Huic vitae S. Arnulphi adiungitur carmen eiusdem auctoris, quod ex permixtis exoticis vocibus, tam Graecis, quam Hebraicis, quemdam Carminis, de quo agitur, saporem, prae se ferre mihi visum fuit, ex. gr.*

Cujus ad eudochiam cum mente fuit caro prona
Sunt et agonistae, fortes, *etc.* [1]

„ *Ex his patet hunc auctorem inter dubios saltem Lusitanos adnumerandum, de multis enim linguae Francorum vestigiis idiotismisque sparsis in Carmine, dicere non vacat; sique de hac re mihi in posterum lis moveatur, quaedam, amore brevitatis nunc omissa, aliquando in vulgus emittam.* „

Profecto nullis firmis rationibus inniti eorum coniectura videtur, qui Gosuino Cisterciensi, Sancti Arnulphi Vitae scriptori, hoc de Salaciae expugnatione poema tribuunt. Forsitan consultius esset, scriptorem, cuius vix nomen accepimus, nobis prorsus ignotum fateri.

Praeterea caetera argumenta, quibus Fr. Fortunatus a D. Bonaventura recte ostendit, poematis huius scriptorem Francum fuisse, et Gosuinum appellatum; Sueriumque Episcopo, cui sua dedicasse carmina, fuisse nomen, nobis merito placent. Ad quae insuper argumenta aliud maximum addere oblitus est; quod nempe nomen Suerius *franci nominis* Sugerii *forma quaedam portucalensis linguae sit: contra vero nomen* Gosuinus *proprie Francum.*

Monere denique iuvat, in huius nos monumenti editione orthographicam MS. proprium servare rationem, ut a perscripta methodo non recedamus: indicandum tamen hìc putamus, ad illum versum:

Cui petre Petri cymba regenda datur:

petre *pro* petrae; *et ad hunc:*

Novit Ulixbonam lux tertia post sacra Luce
Festa:

Luce *pro* Lucae *intelligendum esse; quod certe in medii aevi scriptis adeo frequens est, ut nihil legentes praemonere opus esset, nisi omissa diphthongo, non obscuritatis modo, sed non rectae interpretationis materiam verba praeberent illa.*

[1] Act. SS. Mens. Jun. T. V. pag. 631.

Quomodo capta fuit alcaser a francis.

Signicies mentis bona corporis ocia carpunt,
Et citius motu qui caret amnis olet.
Culta nisi fuerint, uel tecta, uel arua, senescunt,
Fit neglecta suis spina nouerca rosis.
Quid mage? queque situ sordent, metuens mihi tale.
Sed tamen est sensus quid mihi quidue fuit.
Quod nuper cruce signatis euenerat, ecce
Scribo, licet uili carmine, christe faue.
Scribo sed quare? tempus licet omne reuoluas,
Usque modo sterilis, et sine messe fui.
Sed mihi messis erit, scribendo quod ocia tollam,
Ne uicium carpant interiora bona.
Ergo scribo, faue qui trinus es et deus unus,
Ut tua christocolis pandere facta queam.
Ad tu queso faue, cui carmina nostra laborant,
Cui petre petri cimba regenda datur.
Ecce tuum nomen quinis habet esse figuris,
Ut quinos sensus cum ratione regas.
Hi S. et V. gemines, ut amor geminus super astra

Te leuet: Hic fratris est amor, ille dei.
Inuenies septem, muneres si quasque figuras,
Ut te septeno munere pneuma beet.
Quid moror hic? peto propositum, faueas mihi christe:
Conta fouens, tu me complue rore tuo.

Vota peregrinos cupientes soluere quosdam,
Diuersas horas qui tenuere maris,
Annos in christum cum uoluis mille ducentos
Denos cum septem patria queque gemit:
Innumeris ratibus sulcarunt equora, faram
Venerunt plures, dampna tulere prius.
Hic mora fit, naues coeunt, iuratur in unum,
Dux legitur, statuit iura tenenda suis.
Aura datur, mare sulcatur quampluribus alnis,
Portugal ratibus terra uiuenda patet.
Portus transitur, irascitur eolus, armat
Euros in classem, deperit aura fauens.
Anchora nulla ratem retinet, quia restis in ista
Rumpitur, Hic uerrit anchora iacta solum.
Hec ruit ad cautes, in humo colliditur illa,
Vertitur ista ratis, illa repletur aquis;
Et relique portum subeunt, sed non sine magno
Planctu, namque tulit aspera queque ratis.
Hec etenim puppim laceram gēmit, illa carinam,
Hec nauis proram plangit, et illa ratem.
Cedit yems, socios compiscans hic flet, opes hic,
Ille legens lacere naufraga membra ratis
Jam reparat uires classis, sua uulnera queuis
Curatur: resonant littora mille modis.

Eurus discedit, zephirus blanditur, et ire
Tanquam peniteat se, freta blanda parent.
E portu cedit classis, sed ibi tamen erent
Rupe due naues, naufragiumque ferunt.
Auriferi reliqua classis petit ostia tagi,
Hanc recipit portus nomen vlixsis habens.
Illam christicole letantur adesse, benigne
Aduena suscipitur, hospiciumque datur.
Presul adest patrie, peregrinos munerat, omnes
Conuocat, affatur, et pia uerba serit.
O fratres famuli christi crucis hostibus hostes,
Spretores mundi, martiriique decus,
Ut patet ad nostras dominus uos apulit horas,
Ut pereat nostrum uestra per arma jugum.
Est prope nos castrum super omnia castra nociuum
Christicolis, nomen alcaser illud habet.
Al, deus est, castrumque, caser, castrumque deorum
Fertur apud gentes, id uenerantur, amant.
Huc ad perniciem nostram sua munera mittunt,
Armaque, cum tempus mortis adesse putant;
Castrensesque suo regi dant colibet anno
Centum christicolas, soluimus ista quidem.
In quinis lustris hominum ter milia quina
Illi ceperunt, siue dedere neci.

Rex christus nobis dabit hic sua regna merenda,
Hostes hos eius mente, terendo manu.
Nouerit hoc anno uobis sacra terra petenda
Nauibus, hoc etenim tempus et aura uetant.
Vestros consulite nautas, quibus equoris arcti
Estusque instantis temporis aura patet.
Ergo aliquid facite, sathanas ne reperiat uos
Ocia sectantes, que mala queque necant.
Ocia uirtutes uiciant, et mentis honorem
Carpunt et mores propositumque pium.
Ergo crucis famuli sitis crucis hostibus hostes,
Hic sit uestra manus officiosa deo.
Alcaser ut pereat uobis sociemus, iterque
Indigenis terra classibus unda dabit.
Hec ad uerba phares in classe fit, improbat una
Pars hec dicta, probat altera, cisma manet.
Classis diuiditur in partes, marsiliam pars
Hec properat, pars hec alcaser ire parat.
Aura datur, mare sulcamus proris, et adimus
Alcaser, hic uuas carpimus, hostis adest.
Hostis adest in equis, saluetur ut uua, sed ille
Cuspide transfixus, saluus abire nequit.
Nam moribundus equm, socios uitamque reliquit,
Castra petunt comites, primaque dampna gemunt.

Ille locus uallo cinctus, fossaque profunda,
In muro duplici, turribus innumeris.
Armis multimodis domus hec munita, uirisque.
Magnanimos reddit, qui sua signa colunt.
Attamen a muris, postquam peruenimus illuc,
Tutius exire non potuere suis:
Nam iusta castrum tentoria ponimus, armis
Et munita uiris, tutaque classis erat.
Ficus, oliua cadunt, nobis properantibus ire
Ad murum, quod det fossa repleta uiam.
Fossa tumet lignis; in nos iurasse uidetur
Vulcanus, pereunt omnia ligna rogo.
Tormentum facimus murorum, saxa rotamus;
Sed muros ictus, nilue, parumue mouent.
Castrum uallamus armato milite, sanguis
Funditur utrinque, mortis amara bibunt.
Rumor adesse rates nostras clamans quatit urbes
Ispanas, in nos arma, uirosque mouent.
In nos conspirat ispania, dirigit in nos
Tres reges, nobis fama reuelat idem.
Inde metu quatimur; sed nos qui cunta gubernat
Confortat, nobis dat quater octo rates.
Custodes dantur classi, nos aggere, fossa
Cingimur, excubias ponimus hic et ibi.

Ut nos extirpent equitum ter milia quina,
Et peditum ueniunt milia dena quater.
Ex nostris quidam bellum dissuadet, abire
Ammonet, hic quenquam soluere uota negat:
Non hanc, sed gentem nos debellare iubemur,
Que christi turbam, que loca sancta tenet.
Turba fauent, homines saluare uolens deus omnes
Innouat antiqua signa, suosque iuuat.
Crastina cum uisura dies pugnam foret, omnes
Conspicimus socios, et numeramus equos.
Innumeri pedites, muniti uiribus, armis
Adsunt; sed centum uix ter habemus equos.
Ex inprouiso quingenti nocte sub ipsa,
Dante deo repetunt nos equites et equi.
Aurora est, equites tenuit quos spicula nostra
Paulum procedunt, hostica castra notant.
Tecta sub hoste latet tellus, ad sidera clamor
Tollitur, et clangor undique corda mouet.
Congressus fit; utrinque cruor fluit, en male nostris
Succedit, fugiunt, impius hostis adest.
Noster eques cedit, sua nudat pectora, munit
Dorsum, castra subit, et uenit hostis eo.

Scandit equos nocte qui uenerat hospes, ad astra
Respicit, inplorat omnipote̓ntis opem.
Astris lucidius, quod splendet in aere, signum
Est crucis, id nostrum plurima turba uident.
Mens redit hoc uiso nostris, en noster in hostes
Seuit eques, sternit, effugat, immo necat.
Agmen in auxilium nostris uenit ecce supernum
Dante deo signum qui dedit ante crucis.
Vestis ei splendens ut sol, ut nix noua candens,
Suntque suo rosea pectore signa crucis.
Hostis ut has acies nouit sua terga prementes
Lumina caligant, et sua corda pauent.
Hinc fit quod socius socium ledit, latus hasta
Perforat huic, illi demetit ense caput:
Sternitur hic, ille pedibus calcatur equorum,
Hic hominum quidam precipitantur aquis.
Quid magis? ex illis ter milia dena perisse
Credimus, et reges tunc cecidisse duos.
Quod telis comitum cecidere, choriue superni
Ipsorum cedis per loca nosse datur.
Illorum stragem, quia terna dieta furentes
Nostros uidisse, cum nisi prima datur.
Contulit ista deus nobis in luce, iacincti

Et proti palma qua celebrata fuit,

Gaudemus, domino canimus, quod talia nobis
Fecit, fama nouos incutit ecce metus.
Ut nos confundant, confirmat adesse galyas
Ter denas; petimus, nec reperimus eas.
Qui celo, qui signa solo dederat modo, fluctus
Turbat, et hostiles his periere rates.

Obsessos iterum petimus; sed uiribus in nos
Saxa, trabesque rotant desuper atque rogum.
Ledimur, e muro discedimus, eminus arcu
Infestamus eos, sanguine tela madent.
Imbuitur populi tellus utriusque cruore,
Inque uicem bibimus pocula dira necis.

Sic nil proficimus, ars uiribus additur, ergo
Sub terras fodimus, murus ut ipse ruat.
Clam fodimus, contra fodit hostis, nititur ipse,
Ut noster maneat irritus iste labor.
Rixa fit in fouea, ferro, fumoque, rogoque
Hic etiam sanguis fusus utrinque fluit.

Unde duas turres castri mage turribus altas
Ponimus a muris non procul, immo prope.
Utraque lignea fit, in castrum despicit, hostem
Respicit, ut semper insidietur ei;
In mediis castris ut spicula dirigat arcu,
Ut sic castrenses mors inopina petat.

Inde duo muri facimus tormenta; timorem
Hec sicut turres hostibus incutiunt.
Colloquium petit hostis, heret, timet, alkaser ergo
Deditur: en nostris hostia queque patent.
Quotquot erant hostes, et eorum res, peregrinis
Cedunt, pars inde cuilibet equa datur.

Nouit ulixboniam lux tercia post sacra luce
Festa iesu christi subdere colla iugo.
Post annos septem decies, binosque sub ipsa
Luce datur nobis alcaser, immo deo.
Post triduum castri dux tingitur amne lauacri
Militibus gladii, terraque, rusque datur.

Unus, et hoc ipsum est iniuria magna, remansit
Alkaser immunis, et nichil inde tulit.
Primitus hic etenim peregrinos mouit, ut irent
Alkaser, his et opes hic dedit, atque uiros.
Et uires, et opes proprias hic in obsidione
Castri consumpsit illius, atque uiros.
Hic ducibus nostris sua concessitque, deditque,
Cui uelut ingrati soluere neutra uolunt.
Insuper ut castrum captum fuit, auxiliisque
Consiliisque suis, huic sua iura negant.
Decreuitque decem captos exercitus omnis
Huic dandos, quos hii detinuere sibi.
Est hic ulixbonie presul qui tot bona nostris
Contulit, ast recipit pro bonitate malum.
Isti porrigitur ab eis pro necthare mirra,
Fel pro melle, scelus proprietate sui.
Sis patiens his peruersis precor optime presul,
Ut pro terrenis det tibi summa deus.

Suscipe queso pie mea metra, pater uenerande,
Vilia metra licet que tibi lego lege.
Hic sunt ter quine partes, hinc quamque figuram,
Si primam iungas nomina nostra creas.
Hec qui scripta legis, que cernis in his minus apta,
Ne risum moueant, corrige, siue tere.
Que modo metra tenes, partim tenuit prius alter,
Qui me promouit, ultimo metra teret.
Ne mireris: ei scripsi, gratia cuius
Nota mihi fuerat, nec tibi notus eram.

LEGENDA MARTYRUM MOROCHII.

Super Martyribus, qui ex Morochio dicuntur, in eodem codice, 52 *ex Publica Portucalensi Bibliotheca, ubi S. Theotonii vita descripta reperitur, binae leguntur narrationes,* legenda *appellantur, quarum antea meminimus *; altera prolixioribus, altera brevioribus composita verbis. Nondum typis prima illa, diffusior scilicet, narratio, sive* legenda, *mandata fuit: secundam vero edidere Bollandiani, qui eam post aliorum iudicium a Joanne Tisserando ex Franciscanis, scriptore saeculi XV. dimidiati, scriptam crediderunt. Qui huius opinionis fundamenta perpendere cupiunt,* Acta Sanctorum *adeant **. In hac narratione, cuiusvis sit auctoris, antiquior altera, et diffusior laudatur, quam Fr. Marcus ab Olisipone in* Chronica Minorum, *Wadingusque in suis* Annalibus, *similiter laudant. Antiquiorem istam eandem esse, quam hîc prae altera nunc edimus, non nos modo, sed ipsi credidere Bollandiani ***; in monasterio Sanctae Crucis, tradunt enim laudati scriptores, hanc extitisse narrationem: cumque, nullam in monasterio illo, tam in Bollandianorum, quam Wadingi aetate de Martyribus illis aliam fuisse narrationem, satis constet, praeter illam, quae in eodem codice,* 29 *Sanctae Crucis, nunc* 52 *Portucalensis urbis ex bibliotheca, una cum S. Theotonii vita, et S. Augustini* Regula, *breviorique altera de Martyribus narratione, conscripta integrum absolvit codicem, satis superque illud patet, quod nobis persuademus.*

* Vide supra pag. 79.
** In die xvi Januarii ad fin.
*** Ibid.

Quaedam reperta verba in Sancti Antonii vita, quam, saeculo XIII. labente scriptam, mox edituri sumus, dubiam praebuerunt materiam opinioni, quae temere credita fuit; D. Petrum scilicet, Sancii I. filium, qui illorum Martyrum ossa ex Morochio adduxit, quasdam etiam secum tulisse sagittas, quibus illi confossi fuerant: nihil sane de hac re verba illa indicant. Aliud tamen censendum de narratione a Mathaeo Olisiponensi episcopo scripta, quam Wadingus manuscriptam, sua servatam aetate, nunc certe amissam, laudat.

*Certum tandem habendum est, narrationem illam prolixiorem, in Sanctae Crucis bibliotheca quondam extantem, et nunc a nobis hîc vulgatam, anno 1476 a Fr. Francisco Hispalensi, Fr. Joannis a Povoa, provincialis praesulis sive iussu, sive precibus scriptam fuisse; hoc enim in istius narrationis fine admonitum legitur. Brevior autem altera narratio, etsi Fr. Joanni Tisserando tribuenda sit, quod, sicut nos, dubium habuit Wadingus *, certe ex priori illa Fr. Francisci Hispalensis hausta et excerpta videtur.*

* Annal. ad ann. 1220.

Legenda sanctorum martirum quinque fratrum minorum colimbriensium, in venerabili conuentu sancte crucis eiusdem quiescentium.

Passio sanctorum martirum quinque fratrum minorum, scilicet, octonis presbiteri, beraldi, accursi, petri, et adiuti, qui passi sunt in ciuitate marrochii sub rege almiramolino pagano XVII.° kalendas februarii, Anno dominice incarnationis Millessimo ducentessimo vicessimo.

Lectio I.

Tempore domini inocencii pape tercii felicis recordationis, quidam spectabilis uir de assisio, franciscus nomine, magnarum prerrogatiua uirtutum insignis et celeber, ac alii boni uiri cum eo, spiritu sancto repleti, sub quadam euuangelica regula, apostolica autoritate confirmata, humiliter uiuere pecierunt. Quorum pie intencioni ac peticioni dominus papa non solum annuere uoluit, sed et postulata cuncta concessit, ipsumque fratrem franciscum aliorum superiorem instituens, petitum quoque ordinem apostolica autoritate munitum, fratrum minorum de cetero ordinem ipsum nuncupari mandauit, inducens eos per hoc et docens,-et uelud carissimos filios benigne demulcens, quatinus apostolorum uestigiis inherendo, ipsorum euuangelicam uitam imitarentur et mores: Celibem quoque uitam ducerent, nullum proprium possidentes in terra, de crastino non cogitantes, incalciati et seminudi per orbem incederent, penitenciam in remissionem peccatorum tam christianis quam etiam paganis per mundum uniuersum fideliter predicantes, christum iesum deum uiuum et uerum, uerbo pariter et exemplo, cunctis creaturis fideliter insinuarent.

Lectio II.

At ubi bini et bini missi sunt fratres ubique terrarum, quorum semper unus clericus uel laicus superioris uices supplebat. De mandato itaque et licentia supradicti fratris francisci, quidam frater, uitalis nomine, et octo sacerdos,

et beraldus ac accursus, petrus quoque, et adiutus, Roboratis eorum cordibus gracia diuini amoris, terras yspaniarum simul intrantes pertranseunt. Erant enim dicti fratres preclari uirtutibus, quorum primus vitalis nomine, qui uelud presidens maioris uices supplebat: item beraldus in lingua arabica predicator maximus, Ottusque sacerdos, Petrus diaconus, Adiutus laycus, pariter et accursus. Qui, cum essent uirtute altissimi prediti, et gracia spiritus sancti perfusi, ipsiusque intus et foris unctione peruncti, tam christianis quam hereticis in yspania tunc degentibus nimium placuerunt: Audiebant enim eos cuncti liberter, et benigno fauore tractabant, consiliis quoque eorum quamplurimum acquiescere humiliter satagebant.

Lectio III.

Appropinquantes autem castro alanqueriensi, in finibus ultimis yspaniarum situato in montibus infra regnum quod portugalie dicitur, a quadam domna ipsius castri, sancia nomine, illustrissima femina, benigne et caritatiue sunt ab eadem inibi recepti. Cui deuotissime femine fratres martirii sui reuelantes secretum, et quomodo nimium affectabant pro nomine christi iesu inter infideles uitam per martirium carnis finire presentem, habita cum ea super hiis colacione non parua, disposuerunt omnino, mutato habitu barbaque nutrita, terra quoque christianorum relicta, sarracenorum prouincias causa predicandi simul intrare. Quibus predicta domna sancia in suo castro alanqueriensi in omnibus, que potuit, temperare curauit.

Lectio IV.

Erat reuera et ipsa uirgo pulcherrima, prudentissima ualde, moribus sanctis deuota, facieque decora, soror illustrissimi quondam alfonsi portugalie regis secundi. Erat insuper pauperibus pia, amica fratrum singularissima, timens deum, ac affectu carissimo diligens beatum achuc uiuentem franciscum. Ob cuius deuocionem, ipso uiuente, domna sancia in castro iam dicto alanqueriensi, iuxta amenam ripariam opulentam nimis ac nemorosam et pulcram, fertilem quoque pomariis et ortis innumerabilibus, uberrimis irrigatam aquarum decursibus, admirandorum foncium ibidem nascensium, honestum sui ordinis fecit a solo edificari conuentum, Quem domna ipsa longo post tempore ad palacium regium foras castrum predictum, in montis discensu, reedificandum iussit transferri. In quo fratrum sanctissime uite inuidens inimicus diabolus in forma humana, non sine permissione diuina, habitum religionis assumens, medici formam mendaciter gerens, medicinasque carnales componere fingens, fratribus conabatur ministrare infirmis, secularium proinde impor-

tunitate frequenti fratrum quietem simul et pacem, prorsus ut assolet, nitebatur turbare. Quod ut percepit uirtutibus plenus gardianus ipsius conuentus, discipulus quondam beati patris francisci, demonen fugando non solum deiecit, sed et conuentum simul et fratres ad pristinam paupertatem et pacem discrete reduxit.

Lectio v.

Erat quippe tunc temporis ille solus conuentus regularibus disciplinis tam strictissime deditus, quod uisibiles demones, ut fertur, sepissime in fratres et locum crudeles insultus facere publicos impudenter auderent; Sed protectio fortis sacre benedictionis francisci fratres conuentus illius tunc a demonum furiis non solum cunctis protexit, sed et quosdam futuros ibidem ipse pater franciscus, ad regularem obseruanciam sublimandos, prenouit, consignandos in posterum etiam uaticinando predixit. Quanta nimirum deus per eosdem fratres ibidem miracula fecerit, quotque uiri sanctissimi socii patris francisci in eodem sint tumulati conuentu, in diffusiori fratrum primitiuorum legenda, gesta eorum simul et actus, qualia fuerint, plenius ibidem aperte leguntur. Cui iam iniciato conuentui alanqueriensi beatus presbiter franciscus, postquam sibi constitit de suorum quinque fratrum circunspecto martirio, benedixit dicens: Flores uernantes rubore, odore martirii flagrantes minorum quinque peperisti geminos flores, regni polorum gloriose nunc iam possessores. Ex te nunquam deficiant fratres sacrosancti euuangelii deuotissimi obseruatores.

Lectio vi.

Igitur quinque fratres predicti, de mandato et licencia fratris uitalis sui superioris iam dicti, spiritu sancto nimium inflamati, eo in terra christianorum dimisso mutato habitu in superficie, et relicta fidelium terra, uale facto domne sancie, omnes simul quinque, ab eodem recedentes conuentu alanqueriensi, fines ingrediuntur maurorum. Qui beatissimi uiri, uigiliis et orationibus atque ieiuniis plurimis cum essent intenti, die ac nocte diuersis afflictionibus macerati, dissimiles mundo, pauperes et nudis pedibus incedentes, cum difficultate non modica, ad optatum sarracenorum locum, qui yspalim dicitur, utcumque perueniunt. Qui in domo cuiusdam nobilis uiri sunt hospitati, apud quem deposito habitu seculari, quem super habitum religionis gestabant, intus cum eo diebus octo cogitantes quid facerent octius permanserunt; Non enim poterant absque habitu seculari sarracenorum prouincias faciliter peragrare.

Lectio vii.

Elapsis uero diebus paucis, nobili uiro christiano hospiti suo negocium pro quo uenerant narrare ceperunt. Ipse uero, audito eorum negocio, dissuadebat eis tamquam ignotis, timens humanum disturbium, quod ex hoc, si fieret, oriri poterat fidei, sibi quoque ac negociatoribus christianis, qui illic aderant illis diebus. Quapropter fratres, hoc audito sermone, hospite suo propterea insalutato omnibusque relictis, gracia spiritus sancti roborati, una dierum hospicium exierunt, mortem pro christi nomine subire non dubitantes; Sed urgente eos inedia infidelium, inter quosdam christianos sibi deuotos paululum latuerunt. Fratres uero post pusilum, abiecto procul pauore et sine alio conductore, ad locum properant ubi sarraceni macometum prophanum uenerari solebant, et eum altissimis uocibus inuocare. Quem locum audacter intrant, et fidem christi coram innumera multitudine infidelium predicare nituntur. In quos protinus nequissimi non modicum seuientes, dentibus stridentes in eos, uclud rabidissimi canes, multis iniuriis et uulneribus affectos longius abiecerunt, putantes eos esse fatuos et prorsus sensu carentes.

Lectio viii.

Tunc fratres liquido roborati in domino, cum leticia magna, quia digni sunt pro christi nomine contumeliam pati, maiorem misquitam uel templum eorum intrare iterum tentant. Qui illico cum iniuria propulsi, ab eis sunt prorsus deiecti. Sed mox inflammati diuinitus, mutuo se adortabantur dicentes: Quid hic facere uolumus fratres? Mori pro christo timere nolite, ex quo firmiter credimus quod hec pena breuis nos in celo faciet sanctorum fieri perpetuos comites. A predicacione igitur nominis eius cessare nolite, quia patens est nobis aditus regni celestis. Ad regem istorum paganorum celeriter adeamus ueritatem fidei christiane eidem intrepide annunciantes, baptismum et penitenciam in peccatorum remissionem propalando fideliter. Confiteamur coram eo iesum dei filium uerum deum esse, et uerum hominem, qui pro peccatoribus nascens, pro peccatoribus et mori uoluit, pro quibus etiam non dubitauit manibus tradi nocencium, et crucis subire tormentum. Quique post tercium diem a mortuis resurgens, ad dexteram patris iam sedet in gloria.

Lectio ix.

Hiis finitis sermonibus, fratres rugientes pie more leonum, uoluntatem suam in deum solum firmiter dirigentes, corporali morti pro christo se ipsos fortiter exponentes, que sunt fidei christiane eidem regi maurorum annunciare curarunt. Quos intuens rex infelix alienatos a sensu esse considerans, tam propter uerba contumelie, sic cum audacia in ipsum prolata, quam propter difformitatem habitus, rudis et breuis dixit ad eos: Unde estis, o uiri fatui, qui mortem carnis non formidantes, malo fine uultis concludi? Fratres uero sibi respondentes dixerunt: De regno portugalie modo uenimus, sumusque oriundi de romanorum partibus et nacione italica. Tunc rex protinus ait: Et quid queritis in regno nostro, uel qua de causa sic temerario ausu nobis yrrequisito, ad nostram etiam presenciam cum iniuria uenire uoluistis? Qui sancto spiritu edocti dixerunt: Pro salute anime tue populique tibi conmissi, ad te iam uenisse gratulamur; Et utinam te, regnumque tuum, christiane fidei subiugari totaliter mereamur. Respondens protinus rex sarracenus ait ad eos: Habetis licteras uel cartas alicuius in testimonium ueritatis horum omnium, que impie protulistis? Cui fratres dixerunt. Has, quas tu cartas papireas nuncupasti, mentibus et linguis nos ipsi intus deferimus: Sed, o rex, unum tibi annunciamus in uerbo domini nostri iesu christi quod, nisi fideliter credideris hec, que tibi annunciauimus, baptizatus quoque fueris in nomine eius, nunquam uitam eternam habebis, nec regnum celorum intrabis, sed et regnum tuum terrenum diutius minime possidebis.

Lectio x.

Consulimus ergo tibi, o rex, mortalium hominum baptizare confestin credens, et illuminaberis intus et foris. Noli credere seudum prophetam macometum fallacem et lubricum, qui suis decepcionibus pessimis totum mundum peruertere nititur, cuius infelix anima, cum animabus omnium sibi credencium, in inferno proculdubio ardoribus sempiternis tenetur captiua. Audiens nimirum rex infelix talia de suo propheta narrari, nimio furore respersus, uehementique ira commotus, dixit ad eos: Mali et peruersi ribaldi, dicitis hoc mihi soli, an mihi et uniuerso populo? Cui fratres sancti uultu iocundo dixerunt: Tibi, o rex terrenorum annunciamus uerbum salutis eterne; sed tu certe, nisi credideris, inter ceteros maiori cruciatu punieris, cum sis caput omnium tibi subiectorum, sicut tibi per uerba ueritatis ostendere loculenter satagimus. Quibus denuo rex ait: Cuius precepto talia mihi asseritis? Fratres dixerunt: De mandato domini nostri ie-

su christi, filii dei unigeniti, dicentis in euuangelio discipulis suis: Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, et filii, et spiritus sancti. Et qui crediderit, aquam baptismi suscipiens, saluus erit: Qui uero non crediderit condempnabitur. Et alibi: Nisi qui renatus fuerit ex aqua et spiritu sancto, non poterit intrare in regnum celorum. Respondens autem rex iniquus dicere cepit in lingua arabica: zayde beloule. Hoc est: Pessime sonat hoc, quod isti maledicti dicere non uerentur. Et prosequens ulterius adiecit dicens: O miserabiles culpa magna ualde decepti rey mortis, filii diaboli, abiecti nimis, recedite si uultis ab insania ista nequissima, et conuertimini ad fidem inuictissimi macometi, Et dabo uobis delicias huius mundi, uosque ditabo multis diuitiis, ac exaltabo nomen uestrum inter mortales. Ponam quoque memorias uestras in libris annalibus meorum potentum, et eritis gloriosi in curia nostra, Nichilque uobis deerit quandiu uiuam. Alioquin si hoc renueritis facere, diuersis uos tormentorum generibus faciam inique finiri. Nam non est maior gloria sarracenis, quam ut religiose persone sibi conuertantur de christianis fidelibus, Et quamto notabiliores sunt, aut religiosiores, eo amplius sibi cariores fiunt.

Lectio XI.

Tunc quinque fratres minores, fortes nimis in christo, uoce unanimi regi respondentes dixerunt: Tu non habes fidem, et fides tua, quam asseris fidem, potius est secta quam fides, Quia fides christi perducit credentes suos ad spiritualem uitam, sed tua carnalis secta peruersa et nequam ducit suos sectatores iniquos ad interitum sempiternum. Tesauros quippe tuos et diuitias fallaces omnino contempnimus; Nolumus enim thesaurum huius mundi, quem christus dixit a suis fore contempnendum apostolis, qui tempore mortis inopes relinquit suos miserabiles possessores. Tu autem conuertere ad ueritatem immaculate fidei christianorum, et baptizare in nomine domini nostri iesu christi, qui dicit in euuangelio: Nolite thesaurizare uobis thesauros in terra, sed tantum in celo, ubi nec erugo, neque tinea demolitur. Quod si feceris, luce iocunda et splendida perfrueris in uita perhemni, alioquin tu et omnes infelices cultores macometi nefandi seudo prophete uestri in inferno sine termino orribiliter cruciabimini, penas perpetuas cum demonibus dolorissime sustinendo.

Lectio XII.

Tunc rex paganus credere nolens, auditis sue maledicte secte obprobriis, irascens totus et furens plus solito, iussit eos flagellis et alapis cedi, et a se amoueri, et statim capitibus detruncari. Fratres uero hylari uultu animoque libenti, post constantissimam christi confessionem, ad locum decollacionis cum gaudio properabant, attendentes illud aperte quod dominus dicit in euuangelio sancto: Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; Sed pocius eum timete, qui potest animam et corpus perdere in gehemnam. Taliter enim in domino plurimum confortati exultantes ibant, portantes cum gaudio manipulos suos. Dicebantque mutuo: Ecce, fratres carissimi, Hoc est quod semper desiderauimus; constantes stemus, spiculatores pacienter sustinentes, quia non est christiane religionis penas corporales propter christum susceptas animo pusilanimi formidare. Offeramus domino deo nostro sacrificium sanctum in paciencia, in qua christus dixit animas nostras utiliter posse saluari.

Lectio XIII.

Unus autem de principibus regis dixit fratribus ad martirium iam uadentibus: Cur cupitis miseri utranque uitam ammictere? Renunciate etiam nunc omnibus, que contra legem nostram, regianque maiestatem ausu temerario inique protulistis, et uiuere adhuc poteritis, deliciis et diuiciis nimium affluentes. Metuebant enim plurimi christiani qui aderant fratres a christi fide pro acerbitate tormentorum posse diueli uel declinari. Tunc fratres respondentes dixerunt principi: Diuicie tue et opes huius mundi falaces tecum sint, nobis autem pro christo gloriosissime pati est lucrum certissimum reportare in uitam eternam, quod et libenti amore omnibus uoluptatibus carnis preponimus. Propheta quippe uester impius macometus, quem colitis, penas infernales iam sustinet, Et ideo nec sibi nec uobis poterit esse propicius.

Lectio XIV.

Igitur post hec, filius regis unicus, qui illic aderat, uidens patris sentenciam contra fratres inconsultam proferri, dixit patri suo pagano: Conuoca peritos et seniores legis maurorum, et conuincantur isti pessimi christiani, tam racione naturali, quam autoritate legali, quod nisi feceris, iniuste et contra nostras leges ciuiles eos finali sentencia iubes interfici. Cuius solerti consilio regis ira parum deferbuit, et mitigari iam cepit, mandans nichilominus in turri fortissima fratres quinque simul recludi quousque de hiis quid faciendum foret decerneret. Videntes autem fratres suum proinde differri martirium sumitatem turris ascendunt, et de superiori arce ipsius altissimis uocibus personare ceperunt dicentes: Jesum christum credite, macometum impium spernite, alias peribitis uos omnes, una cum principe uestro. Tempus uisitacionis adest uobis, suscipite illud cum gaudio, et nolite locum dare diabulo, decipit enim credentes in se, et omnes peccatores ualde disperdet. Credite ueritati agnite et non peribitis, sicut et predecessores uestros perisse non ambigimus.

Lectio XV.

Hec et hiis similia in cacumine turris fratres alcius proclamantes, protinus regi est intimatum, Qui iussit eos confestim descendere, et uelut insanos hamentes seu furientes, in artissimo carcere precepit recludi. Fratres uero diebus multis ibidem manentes, spiritu sancto optime consolidati, die noctuque uigiliis ieiuniis et orationibus feruenter intenti, aliis reclusis secum et incarceratis uerbum domini cum fiducia magna auide predicabant.

Lectio XVI.

Transactis autem diebus aliquot, iussit eos rex in presentia sua sisti. Quibus improperans ait: O abominabiles mundo, celerati et peccatores nimis, reuocate etiam nunc animos uestros ab hac stulticia nequam quam predicatis, et propiciabitur uobis clementia nostra. Sed et macometum prophetam egregium, quem blasfemastis, intercessorem promptissimum apud altissimum deum habere poteritis. Quod si renuentes minime facere uultis, mox in eo gladio perire non dubitetis. Cui fratres beatissimi confestim dixerunt: Corda nostra simul et corpora in christi fide sunt fortiter roborata: alium preter illum propiciatorem negligimus; Ipse enim, ut pius redemptor, saluat omnes sperantes in se, quos suo sanguine dignissimo pie etiam redimere uoluit. Clementia tua mortali in seculo nos uallere non cupimus, sed desideramus dissolui et esse cum christo. Tibi autem nisi credideris, cum omnibus infidelibus pessimis, cruciatus preparatur eternus, ubi non est spes amplius resurgendi, nec a pena liberandi, sed cum demonibus erit iugiter habitacio uestra perhemnis. Ibique clamabitis et nemo exaudiet. Ibi erit terror et horror, timor et memor, ac dolor et fetor in secula seculorum. Sed christus deus uerus uisibilium rerum et inuisibilium, in die ulcionis extreme, adducet retribucionem unicuique, tribuens iuxta opera uniuscuiusque, quando uiuos et mortuos iudicabit, et seculum per ignem. Et nemo tunc erit qui se abscondat a calore eius, quia absconditur cordis hominum sibi erunt plenarie manifesta.

Lectio XVII.

Tunc rex iniquus istis auditis sermonibus timuit ualde, sed turbatum est insipiens cor eius, et fecit fratres plus solito artari carceribus, ciboque parcissimo refici, et, habito seniorum consilio, nolens eis uelud stultis amplius nocere, quasi fatuos et insanos ad christianorum prouincias cogitauit remictere. Quod ut percipiunt fratres, sibi ualde displicuit, quia in hoc suum uidebatur deferri omnino martirium. Post dies autem quinque rex persuasus a quodam iussit fratres cum quibusdam aliis nauem intrare, et ad marrochium trans mare mediumterrenum protinus ire, Qui diebus multis nauigando incerti, uento flante diuerso, ad litus tandem peruenerunt marrochii. Ingredientes uero ipsam marrochiorum ciuitatem maiorem hospitati sunt in domo illustrissimi infantis domni petri utique uiri famosi, filii regis portugalie, qui in curia regis marrochii illis diebus pro directione negotiorum quorumdam aduenerat. Quos infans clementer suscipiens, cibo quoque et potu benigne et caritatiue reficiens, mirabatur tandem in aspectu tam penitencium hominum. Erat enim aspectus eorum et uultus macilentus et palidus, rugatus et siccus, cutis uero ipsa adherens ossibus difformata. Erant eorum oculi nimium concaui, corpora curua, totaliterque debilitata, Facies eorum honesta et uenusta, placida ac leta, uerba suauia nimium feruencia de domino iesu meliflua promptitudine de clibano cordis ipsorum merifice procedencia.

Lectio XVIII.

Habitus quoque eorum uilis et rudis, curtus et breuis. Videbantur introrsus spiritu feruentes, Exterius uero homines mortui, uel alterius seculi mundo totaliter crucifixi, Sed et zelos eorum ad animarum salutem, incomparabilis ualde. Hoc cum infans preditus mente deuota considerasset, et respexisset eos ueros christi catholicos, seruosque fideles altissimi dei uolentes pro christo omnino subire carnis martirium, et predicare penitenciam ac baptismum in remissionem peccaminum, sed et euuangelium sanctum cunctis paganis publice annunciare, dissuasit eis tam arduum, tamque insolitum opus peragere, ne impedimentum ex hoc sue facerent expedicioni fiende, que iam multum in breui erat plenarie consumanda.

Lectio XIX.

Fratres uero causam pro qua uenerant considerantes, hospite suo insalutato, summo mane recedunt, et regi reuertenti a regum sepulturis obuiare nituntur. Ascendentes uero currum seu crepidinem cuiusdam altitudinis, sic quod potuissent clarius a rege audiri, altissimis uocibus clamare incipiunt audater, omnia illa dicentes, que secundum catholicam fidem sunt tenenda ueraciter. Rex uero tunc non attendens quid dicerent, fecit eos tamen postea suis conspectibus exhiberi. Sed rex necessitate compulsus inmediate recessit, pergens ad alium locum non parum distantem, ita quod quando fratres in aula regali fuerunt exhibiti, regem ibidem minime inuenerunt. Milites uero qui fratres portabant, eos infra curiales domos palacii in hospicio cuiusdam christiani heretici sub custodia retinuerunt, quousque rex a loco quo iuerat denuo reuerteretur. Sequenti uero die, aurora iam in alto clarente, princeps unus fecit fratres de carcere extrahi, in quo custodiebantur afflicti, et adduci ad locum in quo rex iudicium consueuerat facere. Rex tandem occupatus in arduis, amplius pro tunc redire non potuit.

Lectio XX.

Preterea fratres uidentes se suo desiderio utcumque fraudari, diuina tamen gracia perfusi, spiritu sancto consolati, omnibus qui in uinculis aderant catholice fidei documenta intimare nituntur, dampnantes publice macometum profanum cum omnibus pessimis erroribus suis. Sarraceni uero audito obprobrio fidei sue, irruentes in fratres minores, ictibus lignorum cum punis et alapis, plagis etiam innumeris fortiter affecerunt, recludentes eos semiuiuos in tenebroso et scalido carcere, serpentibus et inmundiciis ualde repleto, cibum nichilominus et potum eis totaliter denegantes.

Lectio XXI.

Elapsis post hec diebus non multis, in quibus christiani per ocultas ad inueneiones cibum et potum parcissimum fratribus ministrauerant, sunt fratres iterum inde exclusi. Quibus adheserunt christiani secrete, eis suadentes tacere. Et ocultantes eos, ne comparerent in publico, promictebant sibi facilem et pacificum ad christianorum terras in pace regressum. Sed fratres hoc facere renuentes fugam capiunt clam christianis, et uenientes repente ad ciuitatis forum, ubi erat populus innumerabilis ualde, Ibique personare incipiunt animo constanti dicentes: Unus est deus pater et filius et spiritus sanctus, tres tantum persone, unaque sola diuinitas, adoranda, tremenda, et metuenda, ac totis conatibus diligenda. Et qui hoc credere noluerit, nouerit se omnino dampnari, et in inferno recludi cum diabolo et angelis eius nequissimis. Quam miserabilem et nunquam terminandam miseriam, iam experitur in se ille profanus et impius macometus, cum omnibus qui suam sectam tenere, et in ea mori et uiuere uoluerunt.

Lectio XXII.

Ad hanc uocem frementes nimium sarraceni, nudauerunt protinus fratres minores, et ligatis fortiter post terga manibus, grauissimis uerberibus eorum corpora acriter discerpserunt. Quibus sic dilaceratis, dixit memoratus princeps: Unde estis o nostre merito illibate fidei hostes ferocissimi? Cui beati quinque martires dixerunt: De regno portugalie modo uenimus, sumusque de romanorum partibus, et nacione ytalica. Ad quid, ait, uoluistis huc uenire, et sine regis nostri mandato prouinciam nostram intrare, ac nouam dotrinam in obprobrium legis maurorum ausu temerario sic intrepide predicare? Cui frater octo, qui erat sacerdos, audacter respondit: Oportet obedire deo magis quam hominibus. Jesus quippe noster dominus et magister, sub cuius potestate cuncta sunt posita, et non est qui sue possit resistere uoluntati, mandauit nobis huiusmodi euuangelium sanctum suum omni creature fideliter predicare. Sed nos cupimus regi uestro incredulo, qui dicitur princeps huius prouincie, uerbum uite proponere, tamquam pociori capiti, ut si deus misericorditer cor eius illustrauerit, ceteri eius exemplo ducti, ad dominum facilius conuertentur. Unde beatus franciscus pater noster sanctissimus dedit nobis euuangelicam regulam a domino papa utiliter confirmatam, in cuius obseruancia licet indigni mori decernimus, Que nichil aliud continet preter euangelium sanctum, ab ore diuino prolatum, cuius nos confidimus patrocinio coronari. Qua in re si tibi placet hoc beneficium nobis impertiri digneris ut faciem regis indilate ostendas, Qui, ueritate christi comperta, eiusdem ueritatis deffensor ipse fidelis existat.

Lectio XXIII.

Cui princeps abozayde respondit: Vos alii de ueritate facitis uerbum, preter uos asserentes omnes alios esse nugaces. Dicite ergo miseri, quid est infalibilis ueritas, uel que est huiusmodi ueritatis uia? Cui frater octo respondit: Christus est ueritas summa; sed et uia ueritatis est credere in deum patrem omnipotentem, et filium, et spiritum sanctum, trinum in personis, et unum tantum in diuina essencia. Et qui hoc discredens credere noluerit,

nunquam saluari merebitur. Tunc princeps abozayde subridens adiecit: Vos diabolico spiritu decepti eius ore loquimini fatua; Verunptamen etiam nunc si placet, reuertimini ad fidem maurorum, quam maior pars uiuencium hominum tenet, alioquim peribitis omnes.

Lectio xxiv.

Martires hoc audientes in audacia sancta dixerunt: Christus iesus in euuangelio dixit: Multi uocantur, sed pauci eliguntur. Si nos formido mortis terreret, utique faciliter tibi credere potuissemus; Sed mors carnis sumpta pro christo est ianua patens, qua intratur ad ipsum. Idcirco non est adhibenda fides mendacio. Qui autem perseuerauerit usque in finem, dicit ipse iesus, hic saluus esse non dubitamus; Infideles uero, qui hoc credere nolunt, morti adiudicabuntur eternam.

Lectio xxv.

Preterea uidens regis princeps fratres irreuocabiles esse, et mente constantes in christo, separauit eos ab inuicem, et tandiu flagellari crudeliter iussit, quousque cedentes lassi deficerent, ac sic cesos, seuissimis iussit mancipari carceribus. Sequenti uero die tradidit eos princeps insanus populo infideli, ut quod defuit eis in penis, ipse populus suppleret. Qui, in uindictam sue maledicte secte, acceperunt martires christi trahentes de carcere cum funibus ad colla ligatis, fractis sibi enormiter nasis aceto et sale perfusis, supra framenta uitrorum eos planta nuda coegerunt incedere. Et flagellantes eos durius quam prius, dicebant: Accipite mercedem pro uituperiis nostre sacre fidei cum iniuria irrogatis. Sed o infelices, aiunt, et miseri, cur sponte tam grauia uultis subire mortis tormenta? Reuertimini cito etiam nunc ab hac prauitate, quam impie predicatis, et credite post deum uerum fuisse macometum egregium, dei fidelem nuncium et prophetam celsissimum, cuius patrocinio suffragante cunctis auxilium prestatur diuinum.

Lectio xxvi.

Hoc cum audissent fratres, pacienter omnia tormentorum genera tollerantes, mortem carnis non metuentes, ad uitam cum gaudio aspirabant eternam; Sed et macometo insultantes nequissimo, iniurias et uituperia irrogabant. Tota quippe nocte sequenti, de tormentis sumptis pro christo fratres nimium gloriantes, mutuo se adortabantur eloquio ut pro lege diuina aduersa queque equali mente fortiter tollerassent. Qui in hymnis et laudibus iugiter persistentes, premium retribucionis eternum oculo mentali iam de propinquo uidebant.

Lectio xxvii.

Verum sequenti die, summo diluculo, cum rex iam esset reuersus de locis longinquis, ad que cum necessitate perrexerat, martires extrahi fecit de carcere, ac sibi protinus exhiberi. Quibus rex ait: Hostes uos publicos uel amicos carissimos conspicio? Didicerat enim rex qualia iam tormenta diebus preteritis acriter pertulissent. Videbantur enim coram presencia regis stantes pre acerbitate penarum homines semimortui, sed in tollerandis supliciis ut leones erant fortissimi. Cui martires audacter dixerunt: Pro salute tua tuique populi fines tuos uisitandos uenimus, Sumus namque precones altissimi iudicis ad annunciandum tibi transmissi fidem domini nostri iesu christi, quam nisi firmiter credendo tenueris, morti eterne adiudicatus peribis, concremandus et puniendus cum macometo seudo propheta tuo nequissimo.

Lectio xxviii.

Hoc cum audisset rex incredulus, uehementi ira turbatus, parum abscessit. Martires uero beatissimi, mutuo conamine facto dicebant: Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Nimium congratulari debemus quia, domino dirigente, isti regi infidelissimo, populoque sibi commisso, uerbum meruimus annunciare diuinum. Penas igitur iam receptas ac recipiendas forti animo toleremus, ut mortui peccatis, iusticie christi uiuamus, cuius liuore sanati sumus.

Lectio xxix.

Sed postquam regis defferbuit ira iterum uoluit fratres audire, mictens crudeles aparitores, qui eos inhumane confestin adducerent. Martires tandem, ministris illis proteruis, et cunctis audire uolentibus, uerbum dei predicare non cessant. Satellites uero impii, in fratres sibi predicantes nimium seuientes, examinacione ferali, eos ad presenciam regis tirampni celeriter adire fecerunt. Quos ut uidit princeps unus de minoribus uoluit persuasionibus suis, antequam regem uiderent, ad negandum fidem christi fratrum corda allicere. Quem frater octo sacerdos uirili animo redarguit dicens: uade retro sathana. Patrem et filium et spiritum sanctum fideliter confitemur, unum deum uiuum et uerum, quem nisi quisque crediderit saluus esse minime poterit. Et expuens frater octo in faciem principis dixit: O miserrime fidei dampnate, noli locum dare diabolo, qui in te est et de te loquitur, sed cole et uenerare fidem domini nostri iesu christi, et baptizare in nomine eius et sic saluari mereberis. Alioquin tibi et populo infideli, una cum macometo turpissimo luxurioso, societas indiuidua demonum infernalium uobis debetur in baratro.

Lectio xxx.

Tunc princeps aborrabe audiens huiuscemodi contumelie uerba sic in eum audacter proferri, indignatus nimis, uoluit eum confestim gladio quo erat precinctus iugulare, et fecisset nisi editum regis timuisset, in cuius curia occidens aliquem, statim occiditur, cuiuscumque condicionis existat. Sed erecto brachio dextro, uallidissimo ictu maxilam percussit fratris octonis dicens: Obmutesce insane, qui, alienatus a sensu, stultam rem fecisse letaris, quasi hamens prorsus effectus. Cui frater octo post alapam sibi illatam protinus respondisse fertur: Deus tibi indulgeat frater mi, quia nescis quid facis. Et prebens illico percucienti se alteram faciem dixit: Percute etiam istam aliam si uis, iuxta uocem domini dicentis in euuangelio: Qui te percuserit in una maxilla, regire sibi aliam. Quod audiens et non intelligens princeps aborrabe, interrogauit latinos qui aderant dicens: Quid intullit canis iste uerbosus, et nequam? Cui responderunt latini: Hoc tantum protulit, uidelicet, Deus tibi indulgeat frater mi. Et mirari cepit aborrabe, quia fratrem appellasset suum illico percussorem. Et ait astantibus: Nullo modo castigabuntur isti, nisi per gladium domini regis almiramolini. Qua propter cum rex fuerit quietus, prout mandauerat prius, sibi indilate isti exhibeantur maligni.

Lectio xxxi.

Positis uero fratribus ante regis presenciam, omnes qui aderant precepit rex foras exire. Quibus exclusis, nullum adesse permisit secum in camera, preter quinque fratres minores, et paucas quasdam pulcherrimas feminas, facie nimium decoras et uirgines, in curia regali nutritas. Tunc rex fratribus ait: Estis uos illi pertinaces uiri nequissimi nostre sacre legis ualde contrarii? Cui fratres respondentes dixerunt: Nos nullam fidem uituperamus, Quia nulla inuenitur fides, preter fidem christianorum,

quam profecto credimus firmiter esse uerissimam. Et sicut unus est deus in celo et in terra omnipotens et inmensus, dominus enim rerum uisibilium et inuisibilium, ita nulla habetur optima fides, nec inuenitur preter istam, que deum per christum iesum peccatoribus penitentibus facit pium esse atque propicium. Aliter credere, est deum cum iniuria peruerse negare.

Lectio xxxii.

Audiens rex sanctorum fratrum constantissima uerba, uidens quoque firmissimam animorum eorum constanciam, disperauit eos posse ab hac christiana credulitate reuocare. Tamen confisus in uanitate cuiusdam carnalis obiectionis inique blandiendo sagaciter suadebat eis dicens: Conuertimini etiam nunc si uultis ad fidem maurorum indubiam, quam uniuersa machina mundi confiteri dignatur, et dabo uobis delectabilia seculi, nec non ditabo uos multis diuiciis et copiosis muneribus, Eritisque gloriosi inter nobiliores regni marrochii, et nemo nocebit uobis quandiu uiuam. Sed et has pulcherrimas feminas, ualde decoras et nobiles, quas in presenciarum uestris oculis cernitis, uobis in uxores libenter promicto. Scio enim quod inopia et deffectus necessariorum uite presentis, uos deduxit ad istam penalem miseriam, penuriam quoque et paupertatem extremam, Optime quippe uideo in uultibus uestris tenuis ac macilentis semper hiis omnibus hactenus caruisse.

Lectio xxxiii.

Quod audientes martires gloriosi, uoluptates carnales sibi oblatas cum horrore contempnunt. Regem uero nimium pro hiis arguentes, dixerunt ad eum: Mulieres tuas cum omnibus oblectacionibus carnis corruptibilis, sed et pecuniam cum falsis promissionibus tuis, catholica mente pro christo contempnimus; Nam ista talia possidere, a primordio nostre conuersionis ad ordinem, uirili neglex imus corde, propter illum, qui nobis spiritualia pro temporalibus repromisit. Sed tu magis conuertere ad domini nostri iesu christi fidem sanctissimam, et baptizare in nomine eius, ut saluus fieri merearis. Quod si facere nolueris, scias te proculdubio, cum macometo spurcissimo, penas habiturum eternas; Nam macometus ipse prophanus quam dicimus, nequam est et malignissimus, qui ad huiusmodi miserie peruenit excidium, ut quanto amplius crescit suorum in terra numerus sarracenorum, eo amplius sibi augetur pena grauissima in penis infernorum.

Lectio xxxiv.

Rex uero totus tenebrosus, ira magna succensus, ac ualde ultra quam dici potest mente turbatus et corpore, uidens se suumque prophetam, ac legem sic uilissime contempni a fratribus, dixit protinus eis iracundia plenus: Potestas mea et gladius meus inuincibilis castigabit rebelles uos, et impios hostes mihi et legi grauiter insultantes, ut qualia fuerunt a uobis irrogata obprobria, talia uobis erunt destinata tormenta. Fratres uero ipsum non metuentes, nec minas eius formidantes, eidem dixerunt: Corpora nostra in manu tua sunt. Quidquid eis mali inferre poteris, faciens facito. Justorum enim anime in manu dei sunt, et non tanget eos tormentum malicie. Parati enim sumus pro ueritate fidei christiane firmiter mori. Scimus denique quod quandiu anime nostre separabuntur a corpore, si pro christo morimur, tandiu cum christo erimus iocundantes in gloria que finem nescit. Quia qui socii passionum sunt, erunt et consolacionum, Et qui mala tollerauerunt propter christum, debent habere gloriam cum christo. Tibi autem cum omnibus infidelibus, nisi credentes salutis baptismum susceperitis, debetur interitus cum miseria sempiternus, Ubi anime uestre coniuncte corporibus, tanquam potentes, potenter tormenta perpetua sustinebitis in secula seculorum.

Myraculum.

Interea cum semel nunciatum fuisset regi marrochiorum impiissimo quod gentes arabes aduersarii sui uiolenter suam perlustrassent prouinciam, uillas uastantes et rura, simul cum hominibus et iumentis, mox ut rex cognouit, agregato pugnatorum exercitu, cum nimia militari potencia, processit ad bellum, Erat enim et ipse uir bellicosus, cunctisque aduersariis suis formidabilis ualde. Fatigato tandem populo, propter aquarum penuriam, descendit ad concaua uallium pro aquarum subsidio, Erat quippe estus magnus, et calor terribilis, sed et terra per circuitum inaquosa et arida omni carens potus auxilio. Custodes autem regis, qui habebant in uinculis quinque fratres minores, quemadmodum ceteri, fuerunt ad bellum post regem exire compulsi. Fratres uero, qui erant in carcere, uidentes se absque custodibus derelinqui, exierunt continuo de domo, in qua custodiebantur, et uenientes in castra predicare ceperunt cum magna fiducia omni uolenti audire. Videntes tandem fratres populum pre nimia siti grauari, mugitum propterea unanimiter facientes, incipiunt feruenter de domino iesu diuinum facere uerbum affirmantes populo uniuerso quod, si crederent, aquarum habundanciam immediate susciperent. Quod quidem uerbum sic a fratribus confidenter prolatum peruenit ad regem, Qui parum subrridens adiecit: Ideo proculdubio populus siti concutitur, quia tales macometi cultores nobiscum portamus. Sed ultro punientur custodes, qui uinctos, mortisque reos, permiserunt abire. Fratres uero audita regis in christum irrogata blasfemia, fidentes nimis in domino iesu, premissa prius orationis instancia, frater beraldus acepto breui pasillo terram fodit, et statim fons erupit, de quo ad plenum biberunt homines et iumenta, et utres etiam impleuerunt. Quo facto fons omnino siccatur. Omnes uero, tanto miraculo uiso, eos in maiori reuerencia et deuocione postmodum habuerunt, Et multis ex eis pedes fratrum obsculari uolebant.

Lectio xxxv.

Auditis uero rex impius sermonibus fratrum, ut superius dictum est, nimio furore respersus, sibi astantibus dixit: Non est amplius contra istos rebelles malignos differenda mortis sentencia. Afferte, inquit, confestim gladium meum, et uindicabor in eis. Qui gladium accipiens in publico foro regalis palacii fratres separauit ab inuicem. Quibus separatis, rex uehementer irascens, propria manu gladium accipiens, sanctis ab inuicem separatis, uni post alium caput per medium frontis fregit, atque tres gladios simul coniunctos constringens propria manu ferali crudelitate eos decolauit, tres exercens gladiaturas enormes, cruentum sanguinem per pauimentum orribiliter fundens. Martires uero gloriosissimi in hora sue decolacionis iam positi, uultu iocundo et mente serena, christum constantissime profitentes, impium strenue sustinuerunt gladium, suas in pace animas possidentes feliciter.

Lectio xxxvi.

Compleuerunt autem martirium suum xvii.° kalendas februarii, in ciuitate marrochii, sub almiramolino impio rege, Anno domini millesimo cc.°xx.° Contra quem ira diuina deseuiens eodem anno, quo sancti fuerunt interfecti, contra regem marrochiorum et eius regnum indignacio dei in uindictam sanctorum efferbuit. Nam manus dextra, eiusque brachium, quibus occiderat sanctos fratres, et eiusdem partis omnia membra usque ad dextrum pedem fuerunt totaliter dessicata. In patria etiam illa tribus annis immediate sequentibus nichil pluit, ex quo secuta est tanta sterilitas rerum, et hominum pestilencia, per quinque annos continuos, quod maior pars illius gentis fuit per mortalitatem deleta, ut iuxta numerum fratrum

in uindictam pestilencialium annorum numerus sequentur.

Hora siquidem illa, qua beatissimi martires sunt coronati martirio, in alanqueriensi castello, illustrissime sancie carissime fratrum, fertur hic, non frustra, diei hora undecima, in camera sua feruenter oranti, fulgentes ut sol, cum crucis triumpho in manu, christi martires apparuerunt dicentes: Aue, que meruisti in tua domo suscipere, et ex tuo castro procedere quinque fratres minores christi pio triumphantes martirio. Stola fulgenti immortalitatis inducti, uestigia christi secuti, ad gloriam celi iam pergimus, illic ab omni malo securi. Quod illa audiens mox motatur in melius. Cameram quoque illam fieri fecit ecclesiam, mundoque relicto, innupta semper manens et uirgo, multarumque prerrogatiua uirtutum non parum munita, postea tempore longo ipsa ibidem migrauit ad christum, odoriferum post se bonum uite relinquens exemplum.

Igitur post hec, beatorum martirum finito martirio, corpora ipsorum cum capitibus a mulieribus et seruitoribus regie domus per murum sunt curiose foras proiecta. Quod uidentes insani crudeles, funibus ad pedes fratrum ligatis, per deuia queque hinc inde currentes, totaliter corpora martirum dissipantes et in frustra scindentes, per campos et sterquilinia indecenter dispergunt. Verum, congregatis postmodum magnis uirgultorum fascibus, igne apposito, corpora sancta comburere satagebant, Sed dei cooperante uirtute ab igne cremari nullatenus potuerunt.

Lectio xxxvii.

Quorum gloriosam uictoriam martirum christiani cernentes, miracula etiam cuncta uidentes, deum in sanctis suis collaudare ceperunt dicentes: Benedictus deus in donis suis, qui est sanctus in omnibus operibus suis, faciens prodigia et signa magna in populo. Ipsi honor et gloria, qui talem uictoriam contulit martiribus istis, Ut respuentes mundum cum flore, tormentorum terrores superantes, gaudium iam nunc obtinent omnium beatorum, Et memoriam eorum manet in secula, quia iusti in perpetuum uiuent, et apud dominum est merces eorum.

Lectio xxxviii.

Infideles uero uidentes christianos fideles nimium de uictoria martirum publica laude deuina letari, manus quoque proinde ad celum cum hynis et canticis in sublime leuari, maximum contra eos impetum facientes, non pigrescunt ultro seuire. Ita quod tantus fuit lapidum iactus missus super eosdem, quod aer fere pre dempsitate uolancium lapidum uideri minime poterat. Sed christiani concito gressu fugientes fugam celerem capiunt, putantes nichilominus propter hoc se ipsos confestin a mauris interfici. Pietas uero diuina per merita suorum sanctorum cunctos sic protexit, quod quilibet eorum in domum suam cum gaudio absque ullo periculo illesus euadere potuit.

Lectio xxxix.

Corpora tandem martirum et membra iterum ab infidelibus in giro ciuitatis, per uicos et campos immundos et fetidos, dillacerata sunt et dispersa, ululantibus mauris atque dicentibus: Hic honor impenditur nostre sacre legis inpiis blasfematoribus. Sed nocte imminente, dispersis hinc inde reliquiis, pagani ad propria redierunt. Et ecce subito tanta fuit tonitruorum et fulgurum undique horrenda commocio desuper, quod tota fere ciuitas finali exterminio uidebatur utcumque sobuerti. Christiani uero hoc cernentes, aptum tempus ad colligendas reliquias martirum esse putantes, exierunt foras continuo clam sarracenis, et corruscante fulmine terramque lustrante, non sine magno christi miraculo, reliquias martirum multas, absque ullo tempestatis pauore, seu maurorum timore, cum gaudio colligunt, infantique domno petro custodiendas fideliter tradunt. Quarum reliquiarum dispersiones isdem illustrissimus infans domnus petrus sancii regis portugalie filius, cum maxima deuocione collegit, et in arcaciis ligneis et locellis argenteis in domo sua debita ueneracione reposuit. Nemo tamen christianorum timore paganorum reliquias colligere publice, nec penes se conseruare prorsus audebat. Multi tamen pauperes mauri christianis reliquias martirum precio occulte uendebant, credentes in hoc nimium etiam christianis placere.

Lectio xl.

Verum predictus infans maxima iam reliquiarum parte collecta sicut melius potuit, cum decenti honore preciosum illud thesaurum occultare curauit, siccari quoque mandauit ac reponi, ut diximus, in locis honestis infra hospicium suum occultis. Consumatis tandem negociis suis, pro quarum expedicione de regno portugalie uenerat, rex almiramolinus liberam sibi licenciam redeundi concessit, contra suorum consilium senum, qui ut eum occideret antea consulebant. Cum uero infans cum suis licenceatus recederet, post diem et noctem, uenerunt ad locum quendam ubi de prope audiebant rugitus leonum et terribilis animalium ululatus brutorum. Qui territi positis reliquiis inter se et locum illum periculis plenum, ad quem uidebant leones exire, mox disparuerunt, ut nec leones uiderent, nec eorum rugitus audirent.

Lectio xli.

Cum uero procedentes ad multiuium accessissent, et quam eligere uiam penitus ignorarent, dominus infans precepit mulam, que sacras reliquias defferebat, antecedere parum, eamque omnes sequerentur post tergum. Mula uero, domino dirigente, statin a uia diuertit, seu declinauit, in qua parate erant infanti capitales insidie sarracenorum, ut sibi postea a fidedignis fuit ueraciter nunciatum, Et per quandam inusitatam et asperam uiam mula sola incedens, per montes et ualles diuertebat hinc inde. Et sic brutum animal per uiam securiorem eos usque ad ciuitatem ceptensem direxit, nauesque paratas, domino disponente, ascendentes, postea nauigauerunt in pace.

Lectio xlii.

Unde antequam ciuitati ceptensi aplicuissent, rex marrochiorum indignatus nimis quod infans reliquias martirum secum tulisset, cursu uelocissimo, cum multis armatis, infantis quam tocius sequebatur uestigia. Infans uero cum suis hoc de nocte percipiens, iamque equorum regis strepitum prope se cum audisset, uehementer formidare cepit; Sed emisso uoto sanctis reliquiis martirum, intrepidus iam de cetero mansit. Sarraceni uero tota nocte christianos circum circa girantes, eosque iam cognoscentes realiter non longe distare, nunquam tamen potuerunt sibi omnino nocere, nec ubi erant clare uidere. Quapropter mauri frustra laborantes, et christiani per uiam ulterius prosequentes, rex incredulus reuertitur, et cetus fidelium diuinitus liberatur.

Lectio xliii.

Preterea apropinquantes, ut diximus, ciuitati ceptensi, et naues aptas inuenientes ibidem, mare mediumterrenum, non sine magno periculo, transeunt. Et prima nocte superuenientibus tenebris timebant naute ne in aliquos scopulos irruerent et perirent. Et tunc omnes ante reliquias prostrati, sanctis martiribus supplicabant ut eos a tanto periculo liberarent. Et ecce subito claritas quedam effulsit, ita ut hinc inde nauigantes mare possent conspicere, et tunc clare uidere quod ad illos scapulos naues duce-

bantur, sed lucis beneficio ab illis diuertentes, saluis omnibus ad desiderata lictora aliazire, et tariffe, deinde yspalim peruenerunt. Et peragrantes ex inde tam sarracenorum quam christianorum plurima loca, cum peruenissent astoricam, in regno galicie, hospes, in cuius domo hospitabantur, a triginta annis erat morbo paralitico sic afflictus ut loquela et membrorum officio priuaretur, cum audiuisset tota mirabilia martirum, prostratus ante arcam ubi sanctorum reliquie seruabantur orans pro remedio sanctos fratres, mox ibidem cunctis uidentibus loquelam et omnium membrorum obtinuit pristinam sanitatem.

Lectio XLIV.

Cum uero colimbrie apropinquassent, ubi iam sanctorum martirum fama peruenerat, domna orraca regina portugalie supradicta cum uniuerso populo sanctis occurrit reliquiis cum magna solemnitate et deuocione. Unde istud beatorum prenosticum martirum gloriosa memoria commendandum ad memoriam reuocemus. Cum illustrissima domna orraca predicta regina semel considerasset beatissimos quinque fratres minores, adhuc colimbrie secum in carne degentes, magnarum esse uirtutum et gracie, curiose cepit ab eis cum lacrimis multis perquirere utrum ipsa, uel rex alfonsus secundus, uir eius deuotus, prior de hac uita presenti migraret ad christum. Fratres uero cum ad prescrutanda secreta diuina se ipsos iudicarent minus ydoneos, tamen ipsius lacrimis inclinati pro causa sibi illata oraturos spondent. Habito uero per oracionis deuote instanciam circa casum diuino responso, protinus regine dixerunt: Ille qui ex uobis duobus nostris reliquiis de partibus affrice reuertentibus obuiauerit prior, ipse proculdubio de hac uita primus migrabit ad dominum. Hoc fratrum pronosticum seu uaticinium regina sibi semper seruauit secretum. Elapsis uero diebus non multis, redeunte infante domno petro cum reliquiis sanctis de regno marrochii, eius insperatum tam cito regressum fuit prefate regine relatum in ciuitate colimbrie, illo tunc cum rege degenti. Que prenosticum fratrum non immemor existens, regem sagaciter se preire rogauit. Rex uero uir eius, cui causa hec prorsus erat ignota, protinus exiit ad obuiandum sanctis reliquiis, non nisi per leucam a ciuitate distantibus. Sed antequam ad locum, in quo erant, propius accedere posset, ecce subito uenatores ipsius bestiam siluestrem fugientem secuntur, Quam rex ut uidit mox declinauit a uia, et cepit per montes remocius hinc inde incertus uagari. Regina uero deuota, concito gressu uecta uehiculo, sequebatur cum gaudio uestigia regis existimans ipsum iam per spacium trium horarum sanctorum reliquiis deuotus adesse, et sic pro inde ipsa rege posterior mori debere, iuxta fratrum sanctorum presagium, Ignorabat quippe regina regem in montibus uenacioni uacasse. Que cum ad sanctas peruenisset reliquias martirum, et se priorem rege illuc accessisse conspiceret mox cepit clamoribus magnis astantibus dicere: Nemo uiuencium effugere poterit circa se diuinum iudicium. Ecce ego credens decipere, sum ipsa decepta. Moriar et ego prior domino nostro carissimo rege. Nam me de hac uita migrante, ipse uiuens manebit prorsus incolumis. Et tunc cepit pandere cunctis futurorum presagium beatorum quinque fratrum minorum dicens: Huc usque ego ipsa sola mihi de propria morte seruaui secretum, existimans fallere, et decepta sum. Gracias tamen altissimo deo, absconditorum uerissimo iudici, qui per suos carissimos seruos, sicut optaueram, de propria morte certificare mihi dignatus est clementer.

Lectio XLV.

Et ut sanctorum martirum uaticinium mortis regine compleretur, ipsa orraca illustrissima et deuota femina, post modicum tempus a sanctorum martirum sepultura, plena uirtutibus ex hac uita migrauit. Eadem hora noctis profunda domnus petrus nunii, canonicus monasterii sancte crucis colimbriensis, ac ibidem in omni sanctitate preclarus, et eiusdem regine confessor, uidit innumerabiles fratres minores chorum intrantes, Inter quos erat unus cum magna solempnitate precedens, et post alii quinque quodam singulari honore inter alios precellentes. Statin uero dum chorum processionaliter intrauerunt, matutinum cum melodia indicibili cantauerunt. Domnus uero petrus nunii totus actonitus quesiuit ab uno eorum ad quid, et per quem, locum tali hora tot fratres intrassent, cum omnes porte essent monasterii clause. Qui respondit: Nos omnes, quos hic uides, fuimus sumusque fratres minores, et nunc cum christo gloriose regnamus. Ille uero cum tanta gloria precedens est sanctus franciscus, quem tantum desiderasti in hac uita uidere, Alii uero quinque inter alios precellentes sunt fratres quinque pro christo in marrochio interfecti, et in isto monasterio tumulati. Et scias quod domna orraca regina portugalie ex hac uita migrauit. Et quia ex toto corde nostrum dilexit ordinem, dominus iezus christus nos omnes huc misit ut pro eius honore hic diceremus sic solemniter matutinum. Et quia tu eras eius confessor, deus uoluit quod tu ista uideres. De morte uero regine non dubites, Nam statim cum recedemus, de eius certissimo obitu seu morte audies certa noua. Tunc illa deuota processio, clausis ianuis, monasterium exiuit, Et statin illi de familia dicte regine ad portam conuentus pulsauerunt, et denunciauerunt reginam tunc carnis debitum in pace soluisse.

Lectio XLVI.

Igitur ad propositum redeuntes, rex portugalie domnus alfonsus et regina domna orraca eius coniux, existentes colimbrie, infantis filii sui eum reliquiis martirum audientes aduentum, quia ipsos martires adhuc uiuentes optime nouerant, etiam mortuis pro christo feliciter congaudere uolebant. Ordinatis tandem processionaliter clero et populo uniuerso, cum crucibus et uexillis in signum magne uictorie martirum uersus campum, qui de bollam nuncupatur, ad aquillonarem ipsius ciuitatis plagam iacentem, reliquiis sanctis obuiam processerunt. Mulla uero, cui insidebant sancte reliquie martirum, antecedebat semper infantem. Facta uero mutua reuerencia, salutacioneque premissa, rex et regina pedestres incedunt, sanctorum reliquias humiliter prosequentes. Mulla uero nemine dirigente seu conducente, sola cunctos precedens, ciuitatem colimbrie per uicum sansonis, qui dicitur ficus ueteris, sola intrauit. Perueniens uero ad magnum sancte crucis conuentum, ad portam ecclesie quousque aperiretur stetit, Nam ad cathedralem ecclesiam uniuersa tendebat processio. Aperta tandem conuentus ecclesia, ecce sola mula ingreditur et ante maius altare mox genua figens, ex inde surgere noluit quousque a reliquiarum capsa, ut decuit, se exoneratam esse persensit. Ad quod insuetum miraculum omnes in stuporem conuersi, deum et beatos martires mente deuota laudare conantur. Sed quia mulla ad maius altare propius accedere noluit, rex alfonsus secundus, qui aderat, in eodem loco, ubi mula prius figerat gressum, reliquias martirum in precioso sacrario honorifice iussit deponi.

De beato antonio.

Illo denique die, quando omnia ista fiebant, inter alios regulares canonicos eiusdem sancte crucis conuentus, affuit et tunc beatus presbiter antonius, de ordine fratrum minorum, qui existens canonicus tunc in eodem conuentu fernandus martini uulgariter nuncupabatur, uir utique famosus, deuotus, et pius, magna licteratura ornatus, gloria meritorum stipatus, qui uisis et auditis in presenciarum martirum gestis, ad maiora incrementa uirtutum ex inde gressus suos direxit in melius postmodum optime commutandos.

Verum die illa, qua sanctorum martirum corpora in eadem ecclesia, ut diximus, fuerunt recondita, multi infirmi a diuersis infirmitatibus sunt a deo miraculose sanati. Tantaque ex tunc deuocio populo crescere cepit, ut a diuersis mundi climatibus concurrentes illuc, beneficium salutis simul et gracie cum sancto incremento uirtutum meritis sanctorum fratrum copiose omnes habere merentur. Quod et ipse nobis prestare dignetur iesus dei filius, Qui cum patre et spiritu sancto uiuit et regnat in secula seculorum. Amen.

Miraculum martirum de quodam qui in peccato mortali existens uoluit tangere sanctas reliquias.

Quidam, petrus rosarius nomine, miles habens concubinam, nomine rosariam, cum ascenderet solarium, ubi sacre reliquie seruabantur, in medio factus immobilis fortiter clamauit dicens: Sucurrite, sucurrite, date mihi confessionem. Et facta confessione uni canonico sancte crucis, iohani roberti uocato, qui cum infante domno petro illo tunc erat apud marrochium, et abiurata concubina, descendit continuo liber uiribus corporis recuperatis, sed ultra loqui non potuit quousque de mandato infantis dictus canonicus ei caput unius martirum posuit super pectus, et statim loquelam et uires recuperauit ut prius. Nullus autem audebat intrare locum ubi sacre reliquie seruabantur, quem alicuius facinoris etiam sola consciencia arguebat.

Myraculum.

Quidam etiam scutifer qui aliquando sanctorum reliquias, que super scutum desiccabantur, deuote contrectabat, semel auctui fornicationis se ingessit. Et cum rediens uellet ut prius sacras reliquias adaptare, scutum, in quo erant, subito se leuauit in altum ut ipsum tangere non ualeret. Penitencia uero ductus mox ut fuit confessus et contrictus, ad locum solitum reliquie descenderunt, et se contrectare manibus eiusdem scutiferi permiserunt.

Alliud miraculum.

Illo tempore quo sancti martires erant in uinculis sarracenorum apud marrochium, uisum est de nocte custodibus quod lux magna de celo descendebat, et sanctos fratres recipiens ad celos cum innumerabili multitudine sublimabat. Qui stupefacti et territi ad carcerem accedentes eos deuote orantes inuenerunt. Nam illic diebus illis petrus fernandi et martinus alfonsi scutiferi domini infantis per sarracenos in foro interfecti fuerunt.

* . . . .

Dei gratia et diligencia fratris iohanis de pouoa, prouincialis obseruancie ordinis minorum portugalie, anno christi 1476.

Frater franciscus yspalensis scripsit legendam.

Prollogus in Legenda sanctorum martirum quinque fratrum minorum.

Non enim hominis est, quibus sane uerbis dici possit, quam admirandum sit minorum religionis sacre misterium; quodque immortalis summus deus optimus, religione, sanctimonia, uirtute denique omni, atque immaculata christi fide, iam pene abrutis, ut alterum christum ad collapsum humanum genus sibi conciliandum, patriarcham franciscum stigmatibus nostre redemptionis insignitum euocauerit: cuius sanctam religionem non solum in temporum decursu amplissimis dignitatibus, summisque honoribus adauxit; uerum etiam quodam tam illustri tanque excelentissimo dono in ipsius regule primordiis omnipotens ipse exornauit atque comprobauit. Nam quinque minorum fratrum, institutore francisco adhuc uiuente, pro ipsius ueri dei cultu ac christi iesu promulganda et tuenda religione, celeberrimo martirio, preclare intelligimus, auctore deo, summaque clemencia sua inspirante, hanc pauperum regulam in puritate euangelii institutam esse, confirmatam, aprobatam. ad quam strictissime obseruandam illustrissimi reges et principes, potentissimi nobiles, ciues opulentissimi, hominesque celeratissimi, abiectis abdicatisque seculi rebus omnibus et eius uoluptatibus, diuino quodam fulgure perculsi, se penitus deuouerunt; Quidam purissima uirginitate tanquam peculiari ornamento; Alii doctrinarum gloria, admirabilique sanctitate, ac constantissima fidei predicatione; Alii uero, ueluti apostoli ad predicandum missi, seuissimo martirio celeste sedes sibi uendicarunt. quos pene omnes hi quinque religionis minorum prothomartires ad huius regule francisci professionem et obseruanciam, qua ad immortales delicias, ad eternanque gloriam peruenitur, inuitarunt et actraxerunt; quod indubie probat illud grande, stupendumque lumen sanctus anthonius de padua e canonico regulari eorum exemplo in minorem transformatum, ut in sua legenda plenius habetur. Et ne rem quam diligentissime memorie prodendam deleret obliuio, sanctissimus dominus sixtus IIII,[us] pontificatus sui felicissimi anno decimo, declarauit, et uniuersali decreto sancitum esse uoluit, hos quinque christi martires per uniuersum orbem, ut cathalago sanctorum apud omnes populos ascriptos, a cunctis fidelibus colendos esse: ut longe ante per suos predecessores in ciuitate colimbrie regnorum portugalie, ubi eorum corpora requiescunt, de eisdem sanctis specialiter decretum fuerat, Anno a nathali christiano M.°CCCC.°LXXX.° secundo die mensis nouembris.

Lectio I.

Anno domini millesimo ducentesimo X.°VIIII.° a prima conuersione sancti francisci anno X.°III.° misit beatus franciscus de uoluntate domini sex fratres mire sanctitatis ad regnum marrochiorum, uidelicet fratrem uitalem, berardum, octonem, accursum, petrum, et adiutum: Fratrem uero uitalem dedit eis prelatum. Cum autem fuerunt in regno aragonie, frater uitalis cepit grauiter infirmari; et uidens prolongari suam infirmitatem, nolens suo corporali morbo dei negocium impedire, precepit aliis quinque supradictis fratribus, ut dei et fratris francisci preceptum, marrochium pergentes, adimplerent. Sancti uero fratres obedientes, dimisso ibi fratre uitale infirmo, colimbriam peruenerunt. Domna uero orracha regina portugalie, que tunc ibi erat, eos ad se uocans, et cum eis de deo loquens, uidensque in eis tantum mundi contemptum, tantumque ad moriendum pro christo feruorem, eos perfectissimos dei seruos iudicauit; rogauitque eos instanter quatinus a domino suis orationibus peterent ut eis reuelaret sue uite terminum. Qui cum se indignos diuina secreta exposcere humilime dicerent, tandem ob deuotissi-

* *Sequuntur Orationes ad usum Chori.*

mas cum lacrimis preces regine oraturos se promiserunt. Quibus firma fide exorantibus, non solum quod expostularunt, uerum etiam eorum martirium diuino oraculo reuelatum est. Ipsi uero extremum diem regine post breue tempus futurum eidem predixerunt, atque eorum corpora post martirium a marrochio illuc defferenda, et ab ea cum toto populo honorifice recipienda: quod et factum est.

Lectio II.

Et inde sancti procedentes alanquerium castrum deuenerunt, et domne sancie sorori regine * portugalie totum suum propositum reuelarunt. Ipsa uero sanctissima eorum negocium approbans, induit eos super habitus secularibus uestimentis; quia aliter non possent ad sarracenos transire. Et sic dissimulato habitu, hyspalim ciuitatem tunc sarracenorum, que nunc dicitur sibilia, peruenerunt: et in hospicio cuiusdam christiani per dies octo depositis secularibus uestimentis latuerunt. Quodam uero die, spiritu feruentes, usque ad principalem mizquitam, hoc est ipsorum templum, sine aliquo ductore uenerunt. Quod cum uelent intrare, sarraceni indignati eos clamoribus, impulsibus, et uerberibus impetentes, mizquitam intrare nullatenus permiserunt. Hec enim est eorum institucio, ut nullus christianorum, aut alterius cuiuscumque secte, ipsorum templum ingredi permictatur. Tandem ad portam palacii accedentes, ad regem legatos se dicunt a rege regum domino iesu christo missos. Cumque regi multa de fide catholica proposuissent, ad conuersionem et baptismum suscipiendum ipsum inducendo, et multa turpia de macumeto et eius dampnabili lege detexissent; rex furore excandescens, capitibus eos truncari iubet: sed ad uerba filii mitigatus rex, iussit eos in sumitate turris includi. Illi uero e turris altitudine christi fidem ingredientibus curiam predicabant; macumetum et eius prophane secte obseruatores eterno supplicio dampnandos. Quod audiens rex, precepit eos in fundo eiusdem turris recludi: Et post, seniorum consilio, misit eos marrochium, ut ipsi optabant, cum domino petro nobili christiano catholico, et quibusdam aliis christianis. Et intrauerunt hospicium in quo morabatur supradictus domnus petrus infans; In hyspania enim filii regum post primogenitum inffantes appellantur; Qui sanctos fratres fecit cum magna deuocione recipi, eisque ad uictum necessaria ministrare.

Lectio III.

Tunc fratres ubicumque uidebant sarracenos, eisque feruentissime predicabant. Cum uero frater beraldus quendam currum ascendens, populo predicaret, miramolinus rex inde transiens, qui ad uidendum regum sepulcra, que sunt extra muros, pergebat, cum uideret fratrem predicantem, nec a predicacione, eo presente, desistentem, fatuum eum existimans, precepit ut omnes quinque fratres de ciuitate expellerentur, et per christianos ad partes fidelium remiterentur sine mora. Tunc dictus dominus petrus infans quosdam de suis seruitoribus eis dedit, qui eos usque ceptam conducerent, et inde ad partes fidelium transfretarent. Sancti uero fratres, illis in uia dimissis, marrochium reuertuntur: et ciuitatem ingressi, ceperunt statim sarracenis in foro existentibus predicare. Quod rex audiens precepit eos in carcere recludi, ubi sine cibo et potu uiginti diebus fuerunt; sola diuina consolacione refecti. Postmodum accidit quod immoderatus calor et magna intemperies aeris superuenit. Estimantes autem aliqui, quod propter carcerem sanctorum fratrum illa tempestas euenisset, rex de consilio aboturim, qui christianos diligebat, ipsos a carcere liberauit, precipiens christianis quod ad partes christianorum eos remicterent sine mora. Cepit tamen mirari cum aliis sarracenis, quando eos uidit corpore incolumes, et mente constantes, cum xx. diebus continuis fuissent in carcere sine cibo. Et cum liberi fuissent, statim uoluerunt sarracenis proponere uerbum dei: sed christiani timore regis nullatinus permiserunt, sed dederunt eis ductores, cum quibus uersus partes fidelium remearent. Fratres uero illis in uia dimissis, marrochium iterum reuertuntur. Tunc, habito inter christianos consilio, domnus petrus infans eos in suo hospicio tenuit, et in publicum prodire, adhibitis eis custodibus, non permisit. Post hec domnus infans cum multis aliis christianis et sarracenis congregato exercitu, ad quosdam sarracenos regi rebelles expugnandos perrexit. qui redeundo per tres dietas non potuerunt pro se et equis aquam ad bibendum alicubi inuenire. Cum uero angustia sitis de uita desperarent, frater beraldus, preuia oracione premissa, accepto breui pasilo, terram fodit, et statim fons erupit, de quo ad plenum biberunt homines et iumenta, et utres etiam impleuerunt. Et hoc facto, statim fuit fons ille exsicatus. Omnes uero, tanto miraculo uisu, eos in maiori reuerencia et deuotione habuerunt, et multi eis osculabantur pedes.

Lectio IIII.

Cum uero reuersi marrochium custodirentur, quadam feria VI.ª domum clam exeuntes, miramolino regi, ad uisitandum regum sepulcra eunti, se audacter presentarunt. Frater uero beraldus currum ascendens cepit eo presente intrepide predicare. Quo uiso rex iracundia plenus precepit cuidam principi sarraceno, qui miraculum aque uiderat, ut eos capitali pena puniret. Tunc omnes christiani timore mortis ad propria hospicia confugerunt, ubi firmatis ianuis latitabant. Dictus uero princeps missis apparitoribus iussit eos ad se uenire. Qui cum fuissent ad principis domum bis adducti, illo absente, ministri diaboli eos alapis et ictibus percucientes in maiorem carcerem recluserunt; et ibi sancti fratres christianis et hereticis uerbum dei continue predicabant. Tunc princeps fecit eos ad se adduci. Quos cum uidisset constantissime fidem catholicam confitentes, et iniqua macumeti et sue legis exprobando audacter reserarent, ira magna succensus precepit eos uariis tormentis torqueri, et in diuersis domibus ab inuicem separatos fortiter flagellari. Tunc iniqui ministri, ligatis manibus sanctorum et pedibus, funibus in colis eorum positis, ipsos per terram trahentes et retrahentes, sic grauiter flagellarunt, quod fere uiscera apparebant. Super ipsorum etiam uulnera ebuliens oleum et acetum superinfundebant, eosque super aspera stragmenta uasorum feruentis olei et aceti, fragmentis impositis hinc inde uoluptabant, et sic per totam noctem afflicti a triginta sarracenis fuerunt crudeliter flagellati. Eadem nocte uisum fuit custodibus quod lux magna de celo descendebat, et sanctos fratres recipiens ad celos cum innumerabili multitudine sublimabat. Qui stupefacti et territi ad carcerem accedentes, eos deuote orantes inuenerunt. Rex uero marrochiorum, hiis audictis, furore succensus, precepit ut sibi ducerentur. Ligatis itaque manibus, nudis pedibus, spoliati sancti, afflicti, plagati, fustibus continue acti, ad regem ducuntur. Quos cum uidisset rex in fide solidissimos, introductis quibusdam mulieribus, ceteris exclusis, dixit eis: Conuertimini ad fidem nostram, et dabo uobis mulieres has in uxores, et pecuniam magnam, et eritis honorati in regno meo. Beati uero martires responderunt: Mulieres et pecuniam tuam nolumus; sed omnia contempnimus propter christum. Tunc rex ira succensus gladium arripiens, sanctis ab inuicem separatis uni post alium capud per medium frontis fregit: atque tres gladios simul coniunctos constringens propria manu, ferali crudelitate, eos decollauit.

Lectio V.

Compleuerunt autem suum martirium anno domini milesimo ducentesimo uicesimo, XVII.º kalendas februarii, domini pape honorii tercii anno quarto, ferme septem annis ante mortem sancti francisci. Post hec corporibus et capitibus sanctorum a mulieribus extra proiectis, nequis-

* *Lege:* Regis.

simi populi funes pedibus et brachiis ligantes, extra muros ciuitatis traxerunt, ac sacra corpora, ululatibus et clamoribus maximis per girum ciuitatis tracta, tandem urgente nocte ipsa membratim dilacerata in campis reliquerunt. Tunc uero christiani eleuatis manibus in celum, dominum pro eorum martirio triumphali collaudantes, reliquias sanctorum deuotissime ac latenter colligere ceperunt. Quod cum uiderent sarraceni, omnes ut rabidi canes tantam lapidum multitudinem in christianos iactauerunt, ut grandinis tempestas uideretur. Sed meritis sanctorum christiani omnes fugientes ad propria redierunt: et sic timore mortis in propriis domibus clausi per triduum latuerunt. Nam illo tempore petrus fernandi, et martinus alfonsi scutiferi domini infantis per sarracenos in foro interfecti fuerunt. Postmodum vero facto magno igne in campo, corpora sanctorum fratrum in illum proiecta fuerunt, ut totaliter cremarentur. Sed ignis diuina uirtute a sanctis reliquiis, tanquam a materia contraria, declinabat, et totaliter extinguebatur: ymo caput unius martirum frequenter in igne proiectum nec in capillis ullum combustionis signum sensit, quod adhuc cum pelle et capillis in monasterio sancte crucis de colimbria regni portugalie ostenditur incorruptum. Sarraceni autem quidam propter amiciciam, quidam propter lucrum, necnon christiani ibidem captiuati, sanctorum reliquias colligentes, domino infanti obtulerunt, Qui cum magna deuocione eas recipiens commisit iohani roberti, canonico sancte crucis de colimbria, uiro perfecto, et tribus innocentibus domicellis. Nullus autem audebat intrare locum, ubi sacre reliquie seruabantur, quem alicuius facinoris etiam sola consciencia arguebat. Unde illo tempore quidam, petrus rosarius nomine, miles, habens concubinam, rosariam nomine, cum ascenderet solarium, ubi sacre reliquie seruabantur, in medio factus immobilis, fortiter clamauit, dicens: Succurrite, succurrite, date mihi confessionem. Et facta confessione predicto canonico, et abiurata concubina, descendit liber, uiribus corporis recuperatis; sed ultra loqui non potuit, quousque de mandato infantis dictus canonicus ei caput unius martirum posuit supra pectus; et statim loquelam et uires recuperauit, ut prius.

Lectio VI.

Quidam etiam scutifer, qui aliquando sanctorum reliquias, que super scutum desiccabantur, deuote contrectabat, semel actui fornicacionis se ingessit. Et cum rediens uelet, ut prius, sacras reliquias adaptare, scutum, in quo erant, subito se leuauit in altum, ut ipsum tangere non ualeret. Penitentia uero ductus, mox ut fuit confessus et contrictus, ad locum solitum reliquie descenderunt et se contrectari manibus eiusdem scutiferi permiserunt. Post hec dominus infans fecit fieri duas arcas argenteas; ita quod in una erant capita, in alia vero corporum ossa. Ipse uero in sua capella reposuit, ibique continue sanctos deuotissime exorabat, ut ad propria redire posset obtinerent; cum iam iuuictus longo tempore ibidem detentus perdurasset. Tunc rex miramolinus dedit sibi liberam licenciam redeundi contra suorum consilium, qui ut eum occideret ante consulebant. Cum vero infans cum suis licenciatus recederet, post diem et noctem uenerunt ad quendam locum, ubi prope audiebant rugitus leonum et terribiles ululatus animalium. Qui territi, positis reliquiis inter se et locum illum, ad quem uidebant leones conuenire; mox disparuerunt, ut nec leones uiderent, nec eorum rugitus audirent. Cum vero procedentes ad multiuium accessissent, et quam eligerent uiam penitus ignorarent, dominus infans precepit mulam, que sacras reliquias defferebat, antecedere, eanque omnes insequerentur. Mula vero, domino dirigente, statim a uia diuertit, in qua parate erant infanti insidie sarracenorum, ut sibi postea fuit sub certitudine affirmatum: Et per quandam inusitatam et asperam incedens uiam, per montes et ualles diuertebat: et sic brutum animal per uiam securiorem eos usque ceptam direxit, nauesque paratas, domino disponente, ascendentes nauigauerunt. Et prima nocte superuenientibus tenebris timebant naute, ne in aliquos scopulos irruerent et perirent: Et tunc omnes ante reliquias prostrati sanctis martiribus supplicabant, ut eos a tanto periculo liberarent. Et ecce subito claritas quedam efulsit, ita ut hinc inde mare possent conspicere nauigantes: et tunc clare uiderunt quod ad illos scopulos naues ducebantur; sed lucis beneficio ab illis diuertentes, saluis omnibus, ad desiderata lictora aliazire et tariffe, deinde hyspalim peruenerunt: ubi per christianos infanti nunciatum est, sarracenos ad eum capiendum a rege missos. Quo audito in castellam omnes quamcicius se·dederunt. Et uix naute uella leuauerant, et ecce milites regis marrochiorum affuerunt, ut infantem etiam inuictum reducerent, et suos capitibus detruncarent: Sed sanctorum meritis liberati cum salute hispaniam intrauerunt.

Lectio VII.

Cum vero astoricam peruenissent, et hospes, in cuius domo hospitabantur, a triginta annis esset morbo paralitico sic afflictus, ut loquella et membrorum officio priuaretur, et sanctorum tot mirabilia audiuisset, prostratus ante archam, ubi sanctorum reliquie seruabantur, orans pro remedio sanctos fratres, ibidem cunctis uidentibus loquellam et omnium menbrorum obtinuit sanitatem. Cum uero colimbriam appropinquassent, ubi iam sanctorum martirum fama peruenerat, domna orracha regina portugalie supradicta cum uniuerso populo sanctis occurrit reliquiis, cum magna solempnitate et deuocione, usque ad monasterium sancte crucis de colimbria ipsas deducentes, ibidem honorifice collocarunt. Cum autem beatus franciscus eorum martirium audiuisset, Et quod de conuentu alanqueriensi regni portugalie ad martirium processissent, conuentui sic iniciato benedixit dicens: Ex te nunquam defficiant fratres sacrosancti euangelii deuotissimi obseruatores. Et exultans in spiritu adiecit: Nunc ueraciter dicere possum quod habeo quinque fratres minores regni celesti per martirium iam possessores. Et eodem anno quo sancti fuerunt interfecti, contra regem marrochiorum et eius regnum indignacio dei in uindittam sanctorum efferbuit. Nam manus dextra eiusque brachium, quibus occiderat sanctos fratres, et eiusdem partis omnia membra usque ad dextrum pedem fuerunt dessicata. In patria etiam illa tribus annis immediate sequentibus nichil pluit: ex quo secuta est tanta sterilitas rerum, et hominum pestilencia per quinque annos continuos, quod maior pars illius gentis fuit per mortalitatem delecta, ut iuxta numerum fratrum in uindictam pestilencialium annorum sequeretur. Et ut sanctorum fratrum supradictum uaticinium compleretur, regina portugalie orracha predicta, post modicum tempus a sanctorum martirum sepultura, plena uirtutibus ex hac uita migrauit.

Lectio VIII.

Et eadem hora nocte profunda domnus petrus nunii canonicus et sacrista, omni sanctitate preclarus, et eiusdem regine confessor, uidit innumerabiles fratres minores chorum intrantes, inter quos erat unus cum magna solempnitate precedens, et post alii quinque quodam singulari honore inter alios precelentes. Statim vero dum chorum processionaliter intrauerunt matutinum cum melodia indicibili cantauerunt. Domnus vero petrus totus actonitus quesiuit ab uno eorum ad quid et per quem locum tali hora tot fratres intrassent, cum omnes porte monasterii essent clause. Qui respondit: Nos omnes, quos hic uides, fuimus fratres minores, et nunc cum christo gloriose regnamus. Ille vero cum tanta gloria precedens est franciscus, quem tantum desiderasti in hac uita uidere. Alii vero quinque inter alios precelentes sunt fratres pro christo marrochio interfecti, et in isto monasterio tumulati. Et scias quod domna orracha regina portugalie ex hac uita migrauit. Et quia ex toto corde nostrum dilexit ordinem, dominus iesus christus nos omnes huc misit ut pro eius honore hic di-

ceremus sic solempniter matutinum. Et quia tu eras eius confessor deus uoluit quod tu ista uideres. De morte vero regine non dubites nam statim cum recedemus de hoc audies certa noua. Tunc illa processio clausis ianuis, monasterium exiuit, Et statim illi de familia dicte regine ad portam pulssauerunt, et denunciauerunt reginam tunc carnis debitum exsoluisse.

Lectio IX.

Postea sancti magnis ceperunt corruscare miraculis, quorum aliqua in eorum diffusiori legenda plenius continetur. Istorum autem exemplo sanctorum beatus anthonius, tunc canonicus in eodem monasterio sancte crucis colimbriensis, qui fernandus martini uocabatur, zelo martirii flagrans ordinem fratrum minorum, etatis sue anno xx.ºv.º, intrauit, Et annos decem in ordine plenus sanctitate et preclarus doctrina et miraculis consumauit. In illa autem fratrum dispersione beatus franciscus ob feruorem martirii ad partes syrie cum duodecim fratribus aliis transfretauit, et ad soldanum se contulit; eumque constantissime christi fidem predicantem soldanus cum omni reuerencia domino disponente ad propria remisit.

VITA SANCTI ANTONII.

In nostram hanc monumentorum collectionem Sancti Antonii vitam inducendam eo tantum oportere censemus, quod ille ex hac Portugaliae regione oriundus sit; non quod utilitatis aliquid in nostrae historiae studium incumbentibus narratio factorum, vel etiam virtutum huius sancti viri, piis licet, religiosisque utilissima, suppeditare videatur: facta enim haec ad Italiam praecipue referuntur, et ab Italo scriptore collecta, narrata, et scripta manifeste apparent.

Inter Alcobacensis monasterii MSS. duo extant codices Sancti Antonii vitam narrantes, 286 *et* 293 *numerati. Horum primus cum aliis codicibus, a numero* 284 *ad* 288, *collectionem quandam* agiographicam, *de Sanctorum nempe vitis et gestis, perficiens, ex quo, ut superius animadversum fuit, translationis et miraculorum S. Vincentii, nuper hîc editam, narrationem hausimus, postremo S. Antonii vitam refert, aliis tamen litteris, ac totus fere codex, sed eadem aetate, vel XIV. saeculo vix incipiente, scriptam: huiusce codicis textum nunc etiam sequimur. Alter item codex,* 293 *numeratus, eiusdem Sancti vitam, sed non integram, complectitur: litterarum tamen forma et genus vetustatem, si non aequalem, paululum saltem minorem, ac illius MS. in codice* 286 *reperti, prae se ferunt: istius denique codicis textum praeferre adducti sumus; non quod integram tantum exhibeat vitam illam; sed quod, cum apographa sint ambo, illud codicis* 293 *ab ita indocto librario adeo leviter descriptum fuerit, ut supra modum mendosum, incorrectumque evaserit; quod nos, in varias etiam lectiones annotando, magna ibi cum cautione agendum praemonuit.*

Qui de hac re diffusius se instructos cupiunt, Fr. Fortunati a D. Bonaventura dissertationem, quae vitam Sancti illius sequitur, Conimbricae editam anno 1830 *adeant: nos typis hanc mandamus vitam, ut a methodo huius operis non recedamus.*

Incipit prologus in vita Sancti Antonii confessoris, et de miraculis eiusdem, que approbata fuerunt per domnum Gregorium papam nonum et cardinales Romane ecclesie.

Assidua fratrum postulatione deductus, nec non et obediencie salutaris fructu prouocatus, ad laudem et gloriam omnipotentis dei, uitam et actus beatissimi patris ac fratris nostri Antonii caritate fidelium, ac deuotioni scribere dignum duxi: Id namque in uita sanctorum agitur, que posteritati fidelium scripto mandatur, quatinus auditis miraculorum signis, que deus operatur in sanctis, semper et in omnibus laudetur dominus, et uite correctionis regula, una cum deuotionis feruore ministretur fidelibus. Et quidem ad opus tantum me insuficientem scio, nec tamen labia mea prohibebo, sperans quia propositum meum perficiet, qui intentionem cordis uidet. Succinte enim, preuia tamen ueritate uerbis licet imperitis loquar christi supplicibus, ne facunda uerborum loquacitas aurium seruiat pruritus, et foliis utantur homines pro fructu. Denique non nulla scribo, que oculis ipse non uidi, domno tamen Sugerio secundo, ulixbonensi episcopo, et aliis uiris catholicis referentibus ipsa cognoui. Sic nempe Marcus et Lucas euangelium, sic beatus Gregorius dialogum petro interrogante conscribit, cum tamen uirorum fide digno-

rum narratione tamen ipso teste, que refert, didicerit. Ut autem fidelibus deuote uitam istam legentibus detur occasio cicius ueniendi ad id quod queritur, opus istud in duas partes distinxi, et rubricas singulas singulis capitulis inserui. In priori quidem particula conuersationis eius insignia a primaria regularis habitus susceptione, de multis quedam breuitatis causa excipiendo digessi. In sequenti uero mira, que per eum dominus operatus est fratribus nostris, et fidelibus aliis mihi astruentibus subiciendo compegi. Hortor autem lectorem ego, qui scripsi, ut cum hec legerit, et me in aliquo minus dixisse, uel certe incauta loquacitate ueritatis metas uspiam excessisse perspexerit, non me mendacii aut falsitatis arguat, quin pocius ignorancie, aut obliuioni me misericorditer ignoscat.

De ciuitate, in qua natus fuit Sanctus Antonius.

* Est namque, ut fertur, in regno portugalie ciuitas quedam ad occidentalem eius plagam, in extremis mundi finibus sita, que ab incolis nuncupatur vlixbona, eo quod sicut uulgo dicitur ab ulixe bene sit condita. ** Et ysidorus in libro ethimologiarum de eadem ciuitate dixit: Olisipona quasi ab vlixe posita, et secundum quod hystoriografi dicunt, ibi celum, mare distinguntur a terris; Intra cuius muros ecclesia quedam mire magnitudinis ad honorem gloriose uirginis marie fabricata consistit, In qua preciosum illud, et omni ueneracione dignum beati uincencii martiris corpus honorifice conditum requiescit; Ad cuius plagam occidentalem felices beati antonii progenitores, dignum iuxta conditionis sue statum domicilium possidebant, quod ipsi ostio templi propinquo limine imminebat. Qui cum in primo iuuentutis flore felicem hunc genuissent filium, ab ipso sacri baptismatis fonte fernandus ei nomen imponunt. Hunc nimirum in supradicte sancte dei genitricis ecclesia, sacris litteris inbuendum tradunt, et futurum christi preconem quodam presagio ministrorum christi educationi committunt.

Quomodo intrauit ordinem sancti Augustini.

Puerilibus igitur annis simpliciter domi transactis, annum quintum decimum [1] felici cursu compleuit. Cumque etate iam nubili, succrescentibus in carne corruptionis motibus, se preter solitum sentiret illicite perurgeri, adolescentie, et uoluptati nequaquam frena laxauit, sed fragilitatis humane conditionem transcendens, currentis cum impetu concupiscencie carnalis habenas strinxit. Jamque mundus cotidianis ei desipiebat incrementis, et quem non pene [2] introitu eius posuerat, retraxit pedem, timens ne forte ei puluis terrene felicitatis aliquatenus inhereret, qui currenti uelociter animo in uia dei offendiculum generaret. Est autem iuxta eandem, quam prediximus, ciuitatem monasterium quoddam de ordine sancti Augustini non [3] longe a menibus distans, in quo uiri religione famosi in canonici regularis habitu deo famulantur. Ad hunc denique locum uir dei spretis mundi oblectationibus se transtulit, et canonici regularis habitum humili deuotione suscepit. Ubi cum annis ferme duobus commoratus, frequencia amicorum piis mentibus sustinuisset importunitatem, ut omnem sibi perturbationis eiuscemodi occasionem tolleret, natale solum, quod ad neruandos [4] uiriles animos non mediocriter potest, derelinquere statuit; quatenus alieni aggeris littore tutatus, domino quiecius militare posset. Obtenta igitur uix precibus supperioris licencia, non ordinem, sed locum mutauit, et ad monasterium sancte crucis de Colimbria in spiritus feruore se transtulit.

Qualiter ibidem profecit in moribus et sciencia.

Seuerioris igitur discipline zelo, et quietis uberioris amore, seruo dei antonio ad monasterium uiuifice crucis translato, non tam loci, quam morum translationem fecisse solito feruencior ostendebat. Et quoniam scriptura teste, non iherosolymis fuisse, sed ibidem bene uixisse laudabile est, ita se moribus aptum exibuit, ut cunctis liquido claresceret, quod ob comprehendendam perfectionis summam loci commoditatem exquisisset. Non mediocri autem studio semper colebat ingenium, et animum meditationibus exercebat, nec diebus ac noctibus, pro temporis conueniencia a lectione diuina cessabat. Nunc hystorie ueritatis textum legens, allegorica comparatione roborabat fidem, nunc conuersis scripture uerbis edificabat moribus affectionem. Hinc profunda sermonum dei felici curiositate perscrutans, contra errorum foueas testimoniis scripture intellectum muniuit; hinc sanctorum dicta sedula indagatione reuoluit. Ita domum [5] lecta tenaci commendabat memorie, ut insperata cunctis scripture sciencia festinato mereretur affluere.

Quomodo ordinem fratrum minorum intrauit beatus antonius, et de mutatione nominis eius.

Post hec autem cum reliquias sanctorum martirum fratrum uidelicet minorum domnus petrus infans a marochio [6] portasset [7], et eorumdem meritis miraculose se liberatum per omnes hispanie prouincias diuulgasset, audiens seruus dei antonius mira, que per eos fiebant, directus est et ipse in fortitudine spiritus sancti, Ascingensque cinctorio fidei renes suos, roborabat brachium armatura zeli illius, Dicebatque in corde suo: O si me sanctorum martirum suorum corone, participem fore dignaretur altissimus. O si me flexo poplite pro nomine iesu colla tendentem lictoris inueniret gladius. Putas uidebo? Putas iocunditatis illud tempus implebo? Hec et his similia tacitus secum loquebatur. Mirabantur [8] autem eo tempore non longe a ciuitate colinbria, in loco, qui sanctus antonius appellatur, fratres de ordine minorum, litteras quidem nescientes, sed uirtutem littere operibus edocentes, qui et iuxta ordinis statuta elemosine petende gratia ad monasterium, in quo uir dei conuersabatur, quam sepe ueniebant, ad quos cum ex more, die quadam uir dei uisitandi gratia secrecius accessisset, inter cetera, que locutus est, hec quoque dixit: Ordinis uestri habitum, fratres karissimi, animo desideranti suscipiam, si me mox ut introgressus fuero, ad terram sarracenorum mittere spoponderitis, quatinus cum sanctis martiribus merear et ego consequi corone participium. Qui non mediocri gaudio ex tanti uiri uerbis exhilarati, die [9], quo hec fiant, proximo sequentem constituunt, et ne mora periculum trahat, tempus dilationis precidunt. Fratribus igitur letabunde domum redeuntibus, remansit seruus dei antonius super dictis a priore licen-

* *Hic incipit fragmentum de vita S. Antonii in codice Alcobacensi* 293 *exaratum; et in margine hæc legitur rubrica, scripta litteris minutissimis eiusdem manus:* Incipit vita beati antonii confessoris de ordine fratrum minorum.

** *Desunt quæ a verbis* Et ysidorus *usque ad* a terris *leguntur.*

1 annum circiter xv.^{cim}

2 plene

3 haut

4 eneruandos

5 demum

6 Morrochio

7 deportasset

8 Morabantur

9 diem

ciam petiturus, Qua [1] nimirum uix precibus extorta, fratres promissi non immemores iuxta conditione [2] facto mane conueniunt, et religionis sue habitum in monasterio uiro dei cicius imponunt. Quod cum factum fuisset, occurrens quidam de fratribus ac canonicis [3] eius in amaritudine cordis loquebatur dicens: Vade, uade, quia sanctus eris. Ad quem conuersus uir dei antonius humili uoce respondit dicens: Cum me sanctum fore audieris, deum collaudabis [4]. Et his dictis fratres gradu concito domum properant, et e uestigio sequentem nouum hospitem in ostensione caritatis suscipiunt. Verum quia irruencium in se parentum suorum impetum dei seruus formidabat, requirentium eum sollicitudinem sagacius declinare satagebat;. Nam et mutato uocabulo antonius ipse sibi nomen imposuit, et quamto [5] uerbi dei preco futurus esset, quodam presagio designauit. Antonius enim quasi alte tonans dicitur; Et reuera uox eius ut tuba uehemens, cum sapientiam dei in misterio absconditam inter perfectos loqueretur, talia et tam profunda de scripturis tonuit [6], ut uel rarus pro consuetudine, sensu exercitatus, disertitudinem lingue ipsius intelligere posset.

Quomodo iuit marrochium, et de reditu eius.

Sensum [7] igitur et per incrementa zelus fidei eum enixius perurgebat, et martirii sitis in corde illius accensa, quiescere eum nullatenus permittebat. Unde factum est, ut iuxta promissum data sibi licentia, terram sarracenorum festinus adiret; Sed que sunt hominis cognoscens altissimus, in faciem ei restitit ac intentato graui morbo per totum hyemis spatium acrius flagellauit. Sicque factum [8], ut eum [9] de proposito suo nichil prospere actum cerneret, pro recuperanda saltem corporis sanitate ad natale solum compulsus remearet; Qui cum nauigando in finibus hispanie applicare disponeret, in cilicie [10] partibus uentorum pulsu se positum cernebat. Circa tempus autem illud capitulum generale apud assisium constitutum est celebrari, Quod ut uiro dei antonio per fratres miscene ciuitatis innotuit, semetipso robustior factus ad locum capituli utcumque peruenit.

Quomodo uenit romaniolam et qualiter ibidem uixit.

Finito igitur ex more capitulo, cum ministri commissis [11] sibi fratres ad loca sua premitterent, solus in manibus ministri generalis derelictus est antonius, Quippe qui [12] homo nouicius ac parue, ut arbitrabatur, utilitatis a nullo ministrorum petitus est, quia nec cognitus est [13]. Denique uocato in partem fratre graciano, qui tunc in romaniola ministerium fratrum gerebat, supplicare cepit seruus dei antonius, quatenus susceptum se a ministro generali, in romaniolam duceret [14], et deductum discipline spiritualis rudimentis informaret; Nulla prorsus date sibi litterature mentio, nulla exercitationis ecclesiastice ab ipsius ore personabat iactacio, sed scienciam omnem et intellectum captiuans in obsequium christi, ipsum solum, et hunc crucifixum, scire, sitire, amplecti uelle proclamabat. Frater ergo [15] gracianus miram ipsius amplexatus deuotionem, uiri dei uotis annuit, et susceptum in romaniolam deduxit. Quo cum uir dei antonius, disponente domino, peruenisset, impetrata licencia heremum montis pauli deuotus subiit, et relictis secularium turbis loca quietis conscia penetrauit. Faciente autem [16] ipso moram in dicto heremo loco, frater quidam cellam orationibus [17] aptam in cripta quadam construxerit [18], ut ibidem domino licencius uaccare posset, Quam cum die quadam uir dei perspexisset, et deuotionis aptitudinem loci congruitatem pensaret, fratrem precibus adiit, et ut dictam sibi cellam concederet, supplex postulauit. Adepto denique quietis loco, soluto cotidie hora matutinali capitulo, seruus dei antonius ad dictam cellam secessit, assumptaque modica panis porciuncula, uas aque secum tulit, Sicque carnem seruire agens [19] spiritui, solitariam transegit diem, iuxta tamen sacre obseruationis statuta semper reuertebatur ad horam; Nam semel cum uocante eum campana ad fratres redire disponeret, afectum [20] uigiliis corpus et abstinentia maceratum, imicante [21] uestigio, labefacta membra precipitabat. Ita demum maxillam carnis abstinentie freno quandoque constrinxerat, ut non nisi a fratribus supportatus, ipso teste qui affuit, ullatenus redire potuisset.

Qualiter scientia illius fratribus innotuit.

Post multum uero temporis contigit fratres ad ciuitatem quamdam pro suscipiendis ordinibus transmitti. Conuenientibus igitur ex diuersis partibus ob dictam causam fratribus [22] ac predicatoribus, affuit inter eos antonius. Instante autem collocutionis [23] hora, nec non et fratribus ex more congregatis, minister loci fratribus de ordine predicatorum, qui in presencia erant, supplicare cepit, ut exortationis gratia sicientibus salutis uerbum proponerent. Cumque inprouisum se quisque, nec debere predicare, constancius asseruisset, conuersus ille ad fratrem Antonium precepit, ut quodcumque sancti spiritus suggereret gratia, congregatis fratribus annunciaret; Non enim credebat eum quicquam de scripturis nosse, sed nec quicquam, nisi forte que ad officium ecclesiasticum spectant, putabat legisse, uno tantum presumptionis confisus suffragio, quod uidelicet eum litteraliter loqui, uix cum necessitas exegisset, audierat. Reuera enim cum talis esset industrie, ut memoria pro libris uteretur, et eloquii mistici gratia copiosus affleret [24], paritorem [25] eum fratres in abluenda supelectili coquine nouerant, quam in exponendis misteriis scripture. Quid multa? Viribus totis, quoad potuit, renitens, tandem ad clamorem simpliciter [26] loqui exorsus est; Cumque calamus ille sancti spiritus, linguam [27] ipsius, luculenta satis expositione, ac breui sermonis compendio multa prudenter disseruisset, stupenda fratres admiratione percussi, intentis auribus perorantem uirum unanimiter intendebant. Dabat quippe stuporis augmentum insperata dictorum profunditas, sed nec minus edificabat spiritus, quo loquebatur, et feruentissima caritas. Omnes denique sancta consolatione perfusi, humilitatis meritum in seruo dei antonio cum dono sciencie uenerati sunt.

1 quasi
2 condictum
3 conuocationis
4 utique collaudabis
5 quamtus
6 intonuit
7 Sensim
8 factum est
9 cum
10 sicilie
11 commissos
12 quia
13 nec cognitus.
14 deduceret
15 igitur
16 igitur
17 sibi orationibus
18 construxerat
19 cogens
20 confectum
21 nutante
22 fratribus nostris
23 collationis
24 afflueret
25 periticiorem
26 omnium simpliciter
27 lingua

De predicatione eius per romaniolam, et conuersione [1] hereticorum.

Quoniam autem, testante domino, non potest ciuitas abscondi super montem posita, non post multo tempore delata ad ministrum eorum, que contigerant, relatione, interrupto quietis silentio ad publicum uenire compulsus est antonius. Iniuncto namque sibi predicationis officio heremi cultor emittitur, et ad euangelizandum dei gloriam diu clausa ora laxantur. Mittentis igitur auctoritate suffultus in tantum predicationis opus explere studuit, ut nomen euangeliste gestorum [2] strenuitate compensaret. Circuibat proinde ciuitates et castra, uicos atque campestria, et uite seminarium, sicut affluentissime ita et feruentissime, cunctis spargebat [3]. Discurrente autem eo, et ob animarum zelum requiem sibi prorsus negante, contigit eum ad ciuitatem arminensem celitus applicuisse, Ubi multos [4] heretica cerneret prauitate delusos, conuocato mox totius ciuitatis populo, in feruore spiritus predicare cepit; Et quia philosophorum nouit [5] argutias, uersuta hereticorum docmata sole lucidius confutauit. Ita demum uerbum uirtutis eius, et doctrina salutaris in cordibus audientium radices fixit, ut eliminata erroris spurcicia non parua credencium turba domino fideliter adhereret; In quibus heresiarcham uirum [6] bonillum nomine, ab annis xxx.[a] errore infidelitatis abductum, per seruum suum antonium dominus ad uiam ueritatis conuertit, qui et accepta penitencia, mandatis sancte ecclesie romane usque in [7] finem deuotus obtemperauit.

De fama eius, et efficacia predicationis eius.

Post hec autem cum urgente familiari causa minister ordinis seruum dei antonium ad curiam destinasset, tali eum fauore apud uenerabiles ecclesie principes donauit [8] altissimus, ut a summo pontifice et uniuersa cardinalium multitudine, ardentissima deuotione audiretur predicatio illius. Nempe enim talia et tam profunda de scripturis facundo eructabat eloquio, ut ab ipso domno papa familiari quadam prerogatiua archa testamenti uocaretur; Sermo namque ipsius in gratia sale conditus, non mediocriter audientibus gratiam conferebat. Mirabantur maiores uirum pube tenus ydiotam spiritalia spiritalibus subtiliter comparantem, stupebant minores peccati causas et occasiones uellentem, et uirtutum mores caucius inserentem; Omnis demum conditionis, ordinis et etatis uiri, congruentia sibi uite documenta suscepisse letati sunt. Nulla prorsus flectebat eum personarum acceptio, nulla fauoris humani permulcebat oppinio, sed iuxta prophete uocem quasi plaustrum triturans, rostra habens sarrancia, montes comminuit, et colles quasi puluerem posuit.

Quomodo paduam uenit, et qualiter ibidem predicauit.

Sed quia longum est narrare quot lustrauerit prouincias, quot uerbi dei semine repleuerit terrarum partes, ad ea, que magis necessaria occurrunt, et euidentiora uirtutum eius experimenta declarant, manum conuertimus. Tempore namque capituli generalis, quo sacratissime beati patris [9] francisci reliquie ad locum, ubi debita ueneratione requiescunt, translate sunt, solutus ab aministratione fratrum seruus dei antonius generalem predicationis libertatem a ministro generali suscepit. Uerum quia alio in tempore, cum uidelicet sermones per annum dominicales componeret, apud ciuitatem paduanam residenciam fecerat, et sinceram ciuium expertus fidem quodam eos sibi caritatis glutino copulauerat, mira eorum tractus deuotione, primo libertatis sue cursu eosdem decreuit uisitare. Postquam ergo diuino nutu ad ciuitatem paduam peruenit, interpolata predicatione, per totum yemis spacium cor studiis honestatis applicuit, et ad preces domni hostiensis in festiuitatibus sanctorum per anni circulum sermonum compositioni se contulit. Talibus autem proximorum utilitatibus occupato seruo dei antonio, quadragesimale tempus instabat; Videns igitur tempus acceptabile, et dies salutis imminere, ab incepto destitit, et ad predicandum sitienti populo tota mentis occupatione se contulit. Tantus namque predicandi eum feruor accenderat, ut per continuos quadraginta dies predicare disponeret; Quod et indubitanter fecit. Et mirum certe, quia cum corpulentia quadam naturali pressus, continua nichilominus egrotatione laboraret, propter infatigabilem tamen animarum zelum, predicando, docendo *, confessiones audiendo usque ad solis occasum, quam sepe ieiunus perseuerabat.

De persecutione diaboli, et de miraculo lucis, quam uidit.

Verum quia uirtutis emulus, hostis antiquus bonis operibus obuiare non cessat, uolens dei seruum antonium a proposito salutis inflectere, nocturnis eum illusionibus lascescere satagebat. Rem narro non fictam, sed per ipsum dei sanctum, dum adhuc uiueret, cuidam fratrum reuelatum [10]. Cum nocte quadam in principio quadragesimalis, quam prefati sumus, occupationis, fatiscentes arctus somni benificio recrearet, ecce diabolus guttur uiri dei ausus est uiolenter comprimere, ac pressum nisus est suffocare; At ille inuocato gloriose uirginis nomine, fronti signum uiuifice crucis impressit, fugatoque humani generis inimico, confestim leuamen sensit; Cumque fugientem cernere cupiens oculos aperuisset, ecce tota, in qua iacebat, cella luce celitus illustrata fulgebat, Quod nimirum lumen diuine uirtutis auctoritate celle illapsum credimus, cuius radios ferre non sustinens tenebrarum cultor recedebat confusus.

De deuotione populi paduani, et fructu predicationis eius.

Igitur postquam seruus dei antonius hostium sibi sermonis aperiri cernebat, et populus in multitudinis [11] graui quasi area ymbrem sitiens, ad eum undique conueniret, cotidianas per ciuitatis ecclesias stationes constituit [12]; Cumque pre multitudine aduentantium uirorum ac mulierum ecclesiarum ambitus pro tantorum captu populorum, nequaquam sufficerent, ad spatiosa pratorum loca, numero crescente, secessit. Ueniebant enim de ciuitatibus, castris et uillis paduam circunstantibus utriusque sexus turba pene innumerabilis, omnes uerbum uite summa deuotione sicientes, et salutem suam in doctrina ipsius spe firma constituentes; Medio namque noctis tempore surgentes, mutuo se preuenire contendebant, et accensis lu-

[1] et de conversione
[2] testorum
[3] sic affluentissime cunctis spargebat
[4] cum multos
[5] non nouit
[6] unum
[7] ad
[8] dotauit
[9] fratris
* *Deest.*
[10] reuelatam
[11] in multitudine
[12] fieri constituit

minaribus ad locum, ubi predicaturus erat, ardentissime properabant. Milites ac matronas nobiles mediis tenebris cerneres accurrentes, et qui resoluta corpore membra stramentis mollioribus fouentes non paruam diei partem consumere consueuerant, absque ullo, ut ferunt, grauamine predicantis faciem uigiles preoccupabant. Aderant senes, currebant iuuenes, uiri simul et mulieres, etas omnis atque condicio, qui omnes, depositis ornamentorum faleris, habitu, ut ita dixerim, utebantur religioso. Denique et uenerabilis paduanorum episcopus cum clero suo predicantem dei seruum antonium deuote secutus est [1], formaque gregis factus ex animo audire monuit humilitatis exemplo. Tanto autem omnes et singuli hiis, que dicebantur, intendebant desiderio, ut cum [2] sepe xxx.ª, ut ferunt, hominum milia predicanti assisterent, nec uox clamoris, aut murmur tante multitudinis sonuit, sed continuato, quasi uir unus, silencio, omnis suspensa mentis et corporis aure loquentem sustinebant. Stationarii quoque sexus cuiuscumque, artis apothecas pro uendendis mentibus [3] tenentes, pre nimio audiendi desiderio, non nisi finita predicatione uenalia transeuntibus exponebant. Mulieres denique deuotione feruentes, allatis forficibus, tunicam ipsius reliquiarum uice precidebant, et qui uel finbriam uestimenti eius tangere potuit, beatum se fore censebat; Sed nec ab irruencium hominum manu tutari potuit, nisi copia [4] forcium iuuentute circundatus, uel fugiendi locum sollicitus obseruaret, uel recedentibus tandem populis, ipse temporum uices expectaret. Discordantes ad fraternam pacem reuocabat, captiuitate pressos libertati donabat, usuras ac uiolentas predationes restitui faciebat, in tantum, ut pignori obligatis domibus et agris ante pedes eius precium ponerent, et consilio ipsius ablata queque prece uel precio spoliatis restituerent. Meretrices quoque a nefario prohibebat flagitio, fures malefactis famosos a contactu alieni compescebat illicito, Adque in hunc modum quadraginta dierum curricula felici consumatione percurrens, gratam domino messem sollicitus congregauit. Nec silendum puto, quod tantam utriusque sexus multitudinem ad confitenda peccata mittebat, ut nec fratres, nec alii sacerdotes, quorum non parua sequebatur eum frequencia, audiendis confessionibus sufficerent. Dicebant autem et qui ad penitenciam ueniebant, quod diuina uisione commoniti, et ad antonium transmissi, eius per omnia consiliis obtemperare in mandatis accepissent. Quidam uero post mortem eius ad fratres secrecius accedentes, ipsum beatum antonium dormientibus apparuisse, et nomina fratrum, ad quos eos mittebat, docuisse testati sunt.

Quomodo mortem suam predixit.

Gloriosus igitur confessor dei antonius obitum suum longe ante presciuit; Tamen et ne fratres admodum desolatos redderet, tanta dissolutionem sui corporis imminentem dissimulatione celabat [5]; Nam quintodecimo circiter die antequam debitum carnis exsolueret, cum super collem quendam constratus [6] amenam paduane planiciem perspexisset, exultans in spiritu, ciuitatis situm mirificis laudibus extollebat; Conuersusque ad fratrem itineris comitem, magno eam honore in proximo decoratam [7] predixit; quis tamen honor, aut quo conferendus esset, auctor [8] nequaquam subintulit; Quem profecto paduane ciuitatis decorem, non aliud quam sanctitatis eius merita, quibus e uicino illustranda fuerat, credimus, quibus tam admirabili, quam singulari laude magnificatam uidemus.

De cella, quam super nucem construi fecit.

Factum est autem, dum hec agerentur, ut e uicino tempus messis instaret. Uidens igitur fidelis ac prudens dei seruus necessariam populo messis occupationem, usque ad tempus apti sermonis cessandum sibi a predicatione censebat, dimissisque secularium turbis loca secreti conscia peciit, et ad locum, qui campus sancti petri dicitur, quiete solitudinis gratia se contulit, Cuius aduentu non mediocriter exhilaratus uir quidam nobilis tyrso nomine, sedula humanitatis [9] obsequia uiro dei antonio deuotus exibuit, qui et loci fratrum dominium possedit [10]. Habebat namque uir dictus locum quendam nemoribus consitum aut procul a domo fratrum, ubi simul inter ligna siluarum nux quedam procere dispositionis exercuerat, De cuius stipite sex calami in altum porrecti coronam quamdam ramorum exprimebant; Cuius miram cum die quadam uir dei pulcritudinem conspexisset, mox dictante spiritu cellam [11] super eam decreuit fieri, eo maxime, quod sollicitudinis [12] oportunitatem et amicam contemplationi quietem locus pretenderet; Quod cum dicto nobili uiro per fratres innotuit, colligatis per quadrum, et ex transuerso ramorum sudibus cellam de cistoriis, propriis manibus parauit. Duobus quoque sociis ipsius structure consimilis cellas fecit, superiorem quidem ampliori cura ad opus sancti preparans, ceteras uero pro libitu fratrum cultu licet inferiori conponens; In hac nimirum cella celibem uitam ducens dei seruus antonius, quasi apis argumentosa studiis sacre contemplationis insistebat; Hec denique inter mortales extrema domus habitationis, in hac celo se apropinquare conscendendo monstrauit.

Explicit pars prima.

Incipit pars secunda [13]

In superiori tractatus nostri opusculo, quod gratia et uirtute altissimi ad finem usque prosecuti sumus, uitam et actus beatissimi patris ac fratris nostri antonii humili deuocione, sed preuia ueritate conscripsimus. Mira uero, que circa eum, et per eum deus maiestatis operari dignatus est a die obitus sui, et deinceps, uirorum nobis fide dignorum relatione relata, sequenti opusculo duximus inserenda. Verum quia non omnia scire potuimus, ac ne legentibus ob multitudinem miraculorum legendi fastidium prebeamus, ea sola, que necessario [14] magis occurrunt, annotare proponimus, ut habeat deuocio fidelium quibus se diuinis occupet laudibus, et qui plus dicere ad fidei edificationem cupiunt, semper inuenire possint quod addant.

De transitu beati Antonii.

Anno siquidem dominice incarnationis M.°CC.°XXX.°I.°, indicione IIII.ª, tercia decima die mensis Junii, feria VI.ª, beatissimus pater ac frater noster antonius, natione hyspanus, in ciuitate paduana, in qua per eum nomen suum magnificauit altissimus, apud cellam in loco fratrum uiam uniuerse carnis ingressus, ad celestium spirituum mansiones feliciter transmigrauit. Hic cum tempore quodam relictis populorum turbis, que ad audiendum et uidendum

[1] secutis
[2] quam
[3] mercibus
[4] copiosa
[5] redderet, cauta dissimulatione iminentem sui corporis dissolutionem celabat.
[6] constitutus
[7] decorandam
[8] aut quo conferendus esset auctore,
[9] humilitatis
[10] qui et loci dominium possedit
[11] cellam sibi
[12] sollitudinis
[13] Incipit pars secunda pro miracula.
[14] necessaria

eum undique confluebant, ad campum sancti petri quietis gratia a ciuitate paduana recessisset, soli deo uaccare cepit, cupiens siquid ei [1] pulueris ex secularium conuersatione, ut assolet, ullatenus adhesisset, lacrimis deuocionis, ac sacre meditationis capillis extergere. Cumque die quadam a cella sua, quam super nucem construi fecerat, uocante eum campana ad horam prandii descendisset, cum fratribus ceteris ex more discubuit. Facta est autem super eum ibi manus dei, et tocius corporis uiribus cepit repente destitui, Crescenteque infirmitate, sustentantibus eum fratribus, a mensa surrexit, et fatiscentes artus sustinere non preualens, stramentis se lectuli, cuiusdam precibus [2] inclinauit. Senciens igitur seruus dei Antonius dissolutionem sui corporis imminere, euocato ad se quodam de fratribus et consociis suis rogerio, dixit ei: Si consulis, frater, pro euitando fratrum istorum grauamine uado paduam ad locum sancte Marie. Quod cum frater persuasum haberet, iuncto curru [3] pater sanctus imponitur, fratribus loci pro posse retinentibus [4], ne ad locum alterum ullatenus deferretur; Quia tamen beatissimum antonium hoc uelle cernebant, inuiti facto cesserunt. Cumque iam apropinquasset ciuitati, occurrit ei frater innotus, qui uisitandi gratia ibat ad uirum dei, Quem cum nimia infirmitate cerneret aggrauatum, rogare cepit ut ad cellam diuerteret in domum fratrum; Erant enim ibi fratres prope monasterium dominarum pauperum commorantes, et iuxta consuetudinem ordinis diuina illis [5] ministrantes; Allegabat pro inde dictus frater tumultum magnum, et turbationem non paruam fore in loco fratrum, maxime quia intra ciuitatem positi secularium exponerentur inportune concursioni. Audiens autem hec seruus dei antonius precibus supplicantis annuit, et uotis eius acquiescens ad locum diuertit. Seruo igitur dei antonio in cella [6] cum fratribus constituto, aggrauata est super eum manus dei, crescenteque uehemencius infirmitate non mediocris signa dabat anxietatis, Cumque temporis modico spacio quieuisset, facta confessione, nec non et accepta absolutione, hymnum gloriose uirginis cantare cepit, ac dicere: O gloriosa domina, excelsa etc [7]. Quo dicto erectis mox in celum occulis, atonitisque luminibus in directum prolixus inspiciebat [8]; Quem cum frater, qui eum sustentabat, quid cerneret, interrogasset, respondit: Video dominum meum. Videntes autem fratres, qui aderant, felicem eius exitum apropinquare, unctionis sacre oleo sanctum dei statuerunt perungere. Ad quem cum ex more frater quidam unctionem sacram ferens peruenisset, intuens eum beatus antonius ait: Non est necesse, frater, ut hec mihi facias, habeo enim unctionem hanc intra me; Verumtamen bonum mihi est, et bene placet. Extensisque manibus ac iunctis palmis, psalmos penitenciales cum fratribus decantans, ad finem usque compleuit. Cumque dimidia fere hora sustinuisset, sanctissima illa anima carnis ergastulo soluta, in abissum claritatis absorta est; Corpus uero dormientis omnino speciem preferebat; Nam et manus eius in candorem conuerse, pristini coloris pulcritudinem uicere, Cetera uero corporis membra pro contrectancium libitu [9] se prebebant ductilia. O uere sanctus altissimi seruus, qui uno tempore uiuere meruit, et dominum uidere. O sanctissima anima, quam etsi crudelitas persecutoris non abstulit, desiderium tamen martirii et compassionis gladius milies pertransiuit. Te ergo digne pater deuotionis hostiis prosequentes, benignus assumme, et quibus per se nondum licet accedere uultui dei, pro nobis precator assiste. amen.

De clamore puerorum, et populi concursu et planctu.

Fratribus igitur studiosissime ab extraneis et ab amicis ac notis cautissime felicem eius transitum celantibus, ne uidelicet populorum frequentium premeretur [10] incursu, pueri per ciuitatem cateruatim incedentes clamabant dicentes: Mortuus est pater sanctus; mortuus est sanctus Antonius. Audientes autem hec populi, et glomeratis [11] agminibus ad cellam currunt, et artis sue penitus obliti, cuius beneficio uictum consequi debuissent, quasi apes locum fratrum circumdant. Pre ceteris uero ciues, qui caput pontis inhabitant, in multitudine graui, et copiosa forcium iuuentute ocius aduolant, et mox armata manu custodes in giro ponunt; Adsunt pro inde uiri religiosi, ruit turba sexus promiscui, iuuenes ac uirgines, cum iunioribus senes, paruus ac magnus, liber et seruus, omnes una uoce et unanimi cordis amaritudine lamentum sumunt, et pium mentis affectum multiplicatis gemitibus collacrimantes ostendunt. Quo, inquiunt, irrediturus abhis, pater, pater, inquam, padue currus eius et auriga ipsius? Quo progrederis sine filiis, uenerande pater, aut quos [12] nobis orphanis tui similis inuenitur, uerbi dei ueridicus annunciator? in christo iesu per euangelium tu nos genuisti. Sic, sic nimirum communis omnium dolor, et mesticia singularis, ingeminatis suspiriis, et eleuatis in aera uocibus, intuencium animos ad lamentationem et luctum inuitabat.

De planctu dominarum, et quomodo laborauerunt ad habendum corpus eius.

Quantus luctus hominum, quanta precipue lamenta pauperum dominarum! Que quia mulieribus ut erant animi imperare nequaquam ualebant fletui, sed et de profundo cordis ingemiscentes plorabant fletu inconsolabili: Heu nobis, ingeminant, benignissime pater, ut quod te nobis irreuocabiliter sublato, mater amaritudinis mors ad tempus pepercit, ut crudelius laniaret? Sufficiebat nobis paupertas nostra, ut diuicias computaremus, quod uidelicet, quem occulis carnis uidere non meruimus, saltem uerbum uite ceteris predicantem audire utrumque possemus. Cumque hec et alia gemebundis uocibus conclamarent, fuerunt que dicerent: Ut quid tot lacrimas, et suspiria singultu plena inuentum proferimus, aut quasi unum ex mortuis luctu prosequimur quem immortalitate fretum conciues angeli gaudent in celis? Unicum tantum superest egre separationis huius remedium ut qui corporalem nobis exibere presentiam prohibitus est uiuus, maneat nobiscum uel defunctus. Sed hec, inquiunt, quonammodo fieri potest? Non enim credimus quod fratres, qui ad australem ciuitatis plagam commorantur, sacratissimum beati antonii corpus manere nobiscum sustineant, nisi [13] forte maiorum precibus ducti, iuri suo misericorditer cedant. Mittamus ergo qui maiores ciuitatis religiosos, ac potentia seculari nobiles, ex parte nostra precibus adeant, ut quasi sine nobis ad habendum cum pace fratrem, quod deuote poscimus, simul omnes pro nobis elaborent. Quod et factum est. Quid multa? Omnes unanimi uoluntate consensu ancillarum christi uotis annuunt, et subsidium ferre sine contraditione promittunt.

[1] eum
[2] preceps
[3] cum
[4] renitentibus
[5] illud
[6] cellam
[7] excelsa super sidera etc.
[8] respiciebat
[9] libitum
[10] premerentur
[11] conglobatis
[12] quis
[13] corpus nobiscum manere sustineant, nichil

Qualiter ciues capitis pontis restituerunt [1] fratribus, corpus eius ad locum suum portare disponentibus.

Venientes igitur ad cellam fratres, qui ad ecclesiam sancte genitricis habitant, sacratissimum beati antonii corpus ad locum suum transferre disponebant; Indignum enim nimis, et malum intolerabile fore iudicabant tanto priuari thesauro, maxime quia sanctus ipse, dum uiueret, super omnia prouincie illius loca ampliori hunc amplexatus est uoto; Tanto enim loci illius ferebatur desiderio, ut cum mortis exitum apropinquare sentiret, fratri, qui sibi asistebat, per obedienciam preciperet, quod ad ecclesiam sancte dei genitricis marie corpus eius deferetur [2] modis omnibus procuraret. Videntes autem hec ciues, qui caput pontis inhabitant, fratribus unanimiter in faciem restiterunt, ac ne quod disposuerant ullatenus fieri posset, multiplicatis armatorum manibus, die noctuque locum custodiri fecerunt. Ignorantes igitur fratres quod facto opus esset, episcopum ciuitatis festinanter adeunt, et omnem sollicitudinem suam in pupillorum patrem proiciunt. Qui conuocatis fratribus ac canonicis suis, causam aduentus fratrum diligenter exposuit, et consultationis gratia singulorum sentenciam super facto requisiuit; Quidam autem ex eis precibus domnarum pauperum preuenti, petitioni fratrum nequaquam standum censebant, quin pocius rationes suas ad medium deducentes, pro parte earum enixius allegabant; Sed non minus fratres ea, que ad cause sue commendationem expedire nouerant, condiciones persone et facti introducentes, rationibus pro parte sua non leuibus persuadere conati sunt. Episcopus igitur rationabilem fratrum adtendens petitionem, uotis eorum in omnibus annuit, et ut eis presidio foret, potestati ciuitatis mandauit.

* De deuotione populi, et miraculo celitus exibito.

Interea dum hec agerentur, pars capitis pontis ad habendum beati antonii corpus uehemencius accenditur, et in potestatem recalcitrans eorum animus in irretitum enixius conatur. Fit conuentus seniorum, nec non et omnium, in quibus spes ulla poterat esse consilii, et ut eis auxilio fiant, per ciuitatem conuocantur amici. Denique in unum omnes eo usque conueniunt, quod personas, possessiones, et omnia, que habebant, exponenda iurent discrimini, priusquam beatissimi antonii corpus sinant uel loco permutari. Et mirum certe quod narro; In tantum etenim zelus ac feruor deuotionis omnes in idipsum uoluntates coegerat, ut cum quidam eorum ab antiquis temporibus inueterato odio, et bello intestino discordes extitissent, ueterum inimiciciarum, ut uidebatur, obliti, in detinendo beati antonii corpore unanimiter ac familiariter conuenerunt. Timentes igitur ne cuiusquam fraudulenta machinatione a spe sua frustrari possent, inito consilio corpus rapere disposuerunt. Uerum quia minister prouincialis presens non erat, ad cuius nutum fratrum causa pendebat, uocatis in partem senioribus eorum, supplicare ceperunt fratres, quatinus aduentum ipsius uel modicum prestolantes ab incepto desistent, et ad ipsius dispositionem cuncta in integrum conseruata remanerent. Placuit sermo, quem dixerant, nam et communis omnium ciuium sentencia hec eadem proclamabat. Instante igitur noctis tempore, nec non emissis turbis, fratres ostia domorum claudunt, ac ne occasione aliqua populorum premerentur incursu, uectibus et seris claustra communiunt; Media autem nocte, cum adhuc uigiles obseruarent excubias, inportuna populorum turba desiderio uidendi corporis estuans, Facto inpetu in domum, ubi sanctum requiescebat corpus, iruit, et repagula omnia simul cum ostiis inpudenter confregit; Cumque iam tercio hec eadem replicando impetu spiritus fratres lacessisset, dictum mirabile, nec semel domum ingredi ullo conamine ualuerunt, Sed, ut proprio subsequente ore confessi sunt, apertis ostiis stabant stupefacti; et cum plena esset domus lumine, introitum non uidentes circuibant aurugine fascinati. Mane autem de ciuitate, uillis et castris ad uidendum beatissimi antonii corpus populi fideles adueniunt, et qui semel illud uel tangere utcumque poterat, beatum se fore indubitanter estimabat; Siqui uero pre multitudine accedere non ualebant, zonas, et cingula, anulos, et monilia, claues, et cetera ornamenta per fenestras et ostia passim proiciebant, quidam uero perticis hec ipsa appendentes inferenda porrigebant, ut contacta sacratissimi corporis sanctificata reciperent.

De turbatione populi et adventu ministri.

Moram autem faciente ministro, quia tempus estiuum erat, et humandis corporibus inimicum, fratres eum in capsella lignea, quemadmodum turbatis licuit, celerius condunt, ac paululum fossa humo, expectationis gratia capsam sumittunt; Quod cum factum fuisset, subito audita est uox dicentis: Asportatum est corpus. Audientes hec autem populi, mox in seditionem uersi, cum gladiis et fustibus in domum fratrum irruunt, ac sepibus et ostiis in terram uiolenter deiectis, ad locum, in quo sacrum corpus iacebat, unanimiter concurrerunt; Sed nec prius a concepto, quod dicam, furore, an pocius animi feruore desistunt, quoad usque capsam, in qua preciosus ille iacebat thesaurus, terram fodientes inueniant. Inuenta autem illa preciosa margarita, nec dum fratribus intra archam corpus fore asserentibus credunt, quin pocius feriente desuper palo soni raucitate sibi securitatem promittunt. Vespere autem sabbati minister prouincialis aduenit, ad cuius reditum tota ciuitas suspensa pendebat; Quem cum uidissent ciues, qui caput pontis inhabitant, conuocato consilio, mox corpus beati antonii instanter petebant, Atque in cause sue fauorem rationes exquisitas allegant, et ut fratres timori cederent, rationibus suis minas addebant. Ad ultimum denique instrumentum, in quo compromissionem suam digesserant, ad medium deducunt, palam omnibus denunciantes, quos nec ferro, nec gladiis, sed nec morti pro cause sue defensione cederent, nec ullatenus uita comite a condito resilirent. Ad que minister respondit: De iure quidem; quod concionantes ostendere nitimini, nichil petere potestis, karissimi; Sed si de misericordia sermo fieret, de fratrum nostrorum consilio prosequeremur opere quod dominus inspiraret. Verumtamen pro bono pacis, ac ne me uobis in dolo locutum fuisse, egra suspitione timeatis, concedo ut quoad usque super hiis, que petistis, cum fratribus habita deliberatione aliter disposuerimus, ipsi locum, ubi beati antonii corpus requiescit, custodiri faciatis.

De sententia pro fratribus data, et pontis confractione.

Facta autem die tercia, uidens minister quia tantorum et talium uoluntati resistere soli sibi fore difficile, maxime quia multitudinem causa tangebat, potestatem ciuitatis adiit, ac conuocato communitatis concilio, ab eis consilium pariter et auxilium suppliciter postulauit. Potestas uero de communi omnium uoluntate locum, ubi sacrum

[1] restiterunt
[2] deferri

* *Hoc et proximum caput desiderantur.*

corpus iacebat, custodiri fecit [1], ac ne quis fratribus uiolenciam faceret, sed nec ad locum arma portaret, sub pena librarum centum prohibuit, quo usque per ciuitatis episcopum, et clerum, ad quos factum spectabat, quid iuris statueretur, constaret. Quarta igitur die post mortem beati antonii episcopus, conuocato ciuitatis clero, cum eis consilium iniit, et de conseruanda pace ciuium ac saluando iure fratrum fideliter ac sinceriter tractare cepit. Requisita denique seniorum ac sapiencium per ordinem sentencia super cause cognitione processit, sed sicut ante iam diximus, maiores eorum precibus dominarum preuentos, et in earum partem declinantes inuenit. Exurgens igitur minister de medio fratrum, et manu silencium indicens, ait: Non satis equa, ut arbitror, iudicii lance, salua maiorum pace, iusticiam et misericordiam ponderant, qui utraque discretionis pensa, totum affectionis, et nichil rationis imponunt. Fateor, zelum dei quidem habent, sed non secundum scienciam. Nostre igitur congregationis frater, instituit, et uidentibus occulis eorum, si dissimulare nolunt, intrans et exiens nobiscum mansit; Propterea et nos comendatum requirimus, quem, dum adhuc uiueret, sepulture locum, sancte dei genitricis ecclesiam pre ceteris elegisse non dubitamus. Quod si forte eum non posse sepulturam eligere contenditis, eo scilicet, quod uelle ligatum habuerit uinculis obediencie salutaris, cui, inquimus, nisi superiori eius potestatem hanc et electionis libertatem reseruari iudicatis? ideoque et nos, qui licet indigni superioris uice fungimur, dari nobis suppliciter poscimus, quod iuris ordine, et oculata ratione debetur. Episcopus igitur, auditis utrorumque rationibus diffinitiua sentencia statuit ut pro uoluntate ministri deinceps omnia fierent, et infirmanda, uel confirmanda, que dicta, uel facta fuerant, ipsius arbitrio subiacerent. Ipsi denique clero precipit [2] ut ad diem proximam, id est, post mortem beati antonii quintam, se ex more pararent, et ordinatis processionibus summo mane ad cellam conuenirent. Nichilominus autem potestati ciuitatis iterato mandauit ut presidio fratribus fieret, et paratis ciuium turmis ad transportandum beati antonii corpus, dicto tempore ad cellam properaret, qui benigne mandatum eius suscipiens, annuit, et ex transuerso fluminis, quod cellam circuit, de nauibus et lignis pontem quamtocius fieri precepit; Cauebat enim, ne si per medium capitis pontis processio fieret, indignatio seditionem in populo concitaret. Quod cum factum fuisset, deuoti populi capitis pontis, spiritu feruentes, sed ob pontis erectionem indignabunde furentes, cum securibus et gladiis ad locum currunt, et audaci pontem temeritate precidunt. Ibi reuera dolores ut parturientis, cum spiritu uehementi, quasi in silua lignorum securibus excidi cerceres [3] naues in aquis. Quid multa? Concitatur uniuersa ciuitas, eo maxime, quod delictum in communem omnium redundabat iniuriam. Adhuc autem illis uociferantibus auditum est ciues, qui australem ciuitatis plagam inhabitant, armata manu cominus aduenisse: At ciues capitis pontis hec audientes, ex aduerso ordinatis pugnatorum cuneis parati ad prelium stabant, si uel domos eorum ceteri tangerent, uel beati antonii corpus ad locum alium deportarent.

* De planctu fratrum, et transportationem Sancti Antonii.

Uidentes igitur fratres uniuersalem ciuitatis apropinquare ruinam, nimio terrore perterriti sunt, ac luctu ineffabili conlacrimantes aiebant: Heu nobis, propter quos tempestas hec orta est, et quorum occasione tota ciuitas, nisi eam dominus custodierit, propemodum euersa! ut quid nobis ultra uiuere, si tot omnium milia ad cause nostre defensionem contigerit interire? Exaudi, domine, placare, domine, attende et fac. Quare faciem tuam auertis? et tribulationis huius nostre in finem oblitus non misereris? Sustinuimus pacem, et non uenit; quesiuimus pacem, et non uenit, quesiuimus bona et ecce turbacio. Propter temetipsum, deus noster, audi, et exaudi partem tuam, nec facias ciuitatem hanc in consummationem. Similiter autem et uenerabiles christi ancille, auditis que fiebant lamentum sumpsere, Atque hec ipsa, que contigerant, sibi imputantes, corpus sanctum, quod uotis omnibus dari poposcerant, multiplicatis intercessionibus, ac fusis lacrimis auferri sibi postulabant. Omnis denique sexus, etas atque conditio dei misericordiam prestolabant corde suspenso. At qui non obliuiscitur misereri deus, adiutor factus est in oportunitatibus, Nam et qui prouidentie sue dispositione non fallitur, ad maiorem glorie sue cumulum gentes ad modicum turbari permiserat, ut mirabiliori fine concluderet, quod facere ipse disponebat; Neque enim in republica, qui eternaliter bonus est, malum fieri permitteret, nisi pariter nosceret, quod bonorum usibus utilitatis eliceret. Nam et potestas ciuitatis seditionem populi ferre non sustinens, uniuersitatem ciuium uoce preconis ad palacium uocauit, ac coacto concilio, partem illam, que pontem fregerat, ad australem ciuitatis plagam separans, ne diei illius tempore ad propria remearent sub iureiurandi interminatione, ac rerum omnium discrimine edicendo prohibuit. Post hec autem episcopus ciuitatis cum uniuerso clero, sed et potestas cum graui ciuium numero ad cellam conueniunt, et ordinatis processionibus beatissimi antonii corpus cum hymnis et laudibus, et canticis spiritualibus per medium capitis pontis ad ecclesiam sancte dei genitricis marie cum mira omnium exultatione transportant; Sed et principes populi, et tocius ciuitatis primi ad portandum humeros supponunt, beatos se fore putantes qui loculum uel leuiter tangere mererentur. Tantus denique factus est populorum concursus, ut pre multitudine simul per medium ciuitatis incedere non ualerent, quin pocius girantes per plateas, uicos ac suburbana ciuitatis, cursu rapido processionem preuenirent: Omnes autem quotquot cereos habere poterant, accensos in manibus deferebant, Tantaque erat luminarium copia, ut quasi tota ciuitas arderet igne succensa. Cumque ad ecclesiam sancte dei genitricis marie finita processione uentum fuisset, episcopus celebratis missarum sollemniis beati antonii corpus honorifice condidit, ac solutis humanitatis exequie, cum omni exaltatione ad propria remeauit.

De miraculis in generali eadem die exibitis.

Statim autem die eadem quamplures allati sunt uariis infirmitatibus detenti, qui mox beati antonii meritis pristine restituti sunt sanitati. Quam cito enim infirmus quicumque archam tetigerat, mox depositus ab omni se morbo liberatum gaudebat. Qui uero pre multitudine superuenientium infirmorum coram archa manere non poterant, extra ostium ecclesie delati uidentibus cunctis in platea salui fiebant. Ibi reuera oculi cecorum aperti sunt, ibi aures surdorum patuerunt, Ibi claudus sicut ceruus saliebat, ibi soluta mutorum lingua uelociter et plane dei laudes acclamauit, Ibi dissoluta paralysi membra in usus pristinos solidantur. Ibi gibus, grata, febris, et morborum pestes uarie mirabiliter fugantur, Ibi denique oblata fidelibus beneficia queque prestantur. Ibi salutarem peticionis effectu ex diuersis mundi partibus uenientes, uiri femineque consecuntur.

De processionibus et deuotione populi.

Miraculorum igitur luce clarissima radiante, fidelium excitatur deuotio, et edificatione deo ierusalem, noua dis-

[1] iussit
[2] precepit
[3] cerneres
* *Hoc caput et duo sequentes desunt.*

persionis israel representatur congregatio. Reuera enim ab oriente et occidente, a meridie et septemtrione ordinatis processionibus populi conueniunt, et uidentes magnalia, que beati antonii meritis in occulis eorum fiebant, honore debito merita sanctitatis eius extollunt. De his autem, qui, ut diximus, ordinatis processionibus laudum domino munia ac seruo eius beato antonio deuote persoluebant, inter primos uenere ciues, qui caput pontis inhabitant, qui et ne sibi auferretur corpus sanctum strenua animositate pontem preciderant; Hii nimirum lacrimis perfusi et pedibus discalciati clero cum crucibus et uexiliis precedente ad uisitanda beati antonii limina cum tam mira reuerencia ueniebant, ut intuencium corda fidelium ad compunctionem scinderent, ad diuini amoris incendium inuitarent; Cuius enim tam ferreum pectus non moueretur ad gemitum, non armaretur ad bone uoluntatis affectum, cum milites, delicatum omne genus ambulare cerneret uias difficiles, et matronas nobiles, pre teneritudine uix se ferentes, discalciatis pedibus uestigia precedentium insequentes? Sed et fratres miram eorum amplexantes deuotionem, maxime quia in causa ad sancti aduersariorum personam deuoti gesserant, ut ad uberiorem cordis eos pacem prouocarent, ordinatis laudancium choris, honorifice eis obuiam processerunt. Non solum autem ipsi, sed et uniuersitas ciuitatis per partes distincta, statutis diebus, eodem processionis scemate ueniebat discalciata. Religiosi quoque, quorum maxima pollet multitudine, cum parte ciuitatis, quam inhabitant, congruo processionis ordine discalciati procedebant. Episcopus denique, sacra cleri comitatus caterua, nudatis pedibus reuerenter accedunt, sed et potestas cum militum cuneis et innumeris populorum turmis adueniens calciamenta de pedibus soluit. Similiter autem sacre religiosorum conuentus, qui in uillis et castris circumadiacentis regionis copiosius habitant, sacris uestibus induti, et pedibus discalciati, uias duras alacri deuotione currebant. Adest proinde litteratorum turma scolarium, quorum non mediocri copia uiget ciuitas paduana, qui fletibus deuotionis miscentes cantica reedificantium quondam filiorum transmigrationis, templum dei, mixta iubilo representabant suspiria. Ibi uigens cantabat canticum, et mediis fletibus erumpebat in iubilum. Sic sic nimirum ordinatis, quid dicam laudantium, aut flencium cuneis? ac pedibus discalciatis incedentes, talis tanteque magnitudinis cereus precedebat, ut non nisi detrimenta magis ipsius parte intra tectum sancte dei genitricis ecclesie erigi ualeret. Nec solum ipsi, sed etiam quelibet turma ciuium, statuto die ueniencium, tante longitudinis cereos portabant, ut plerique non nisi fracti ullatenus introduci possent. Portabantur autem in humeris omnium cerei, eo quod ad unius subuectionem uix sexdecim sufficerent curuati, uel si in curribus deportaciones cereorum fierent, duo paria boum iunctis ceruicibus colla sumittebant. Erant namque cerei procere dispositionis, e quibus in modum candelabri, protensis altrinsecus brachiis, sperule simul, ac lilia, uinee, ac diuersa florum grana manu artificis diligenter expressa procedebant, quidam uero ecclesiastice stature fabricam, uel certe terribilem castrorum aciem preferebant. Nichilominus denique et qui tam miro cereorum cultu processionem ornauerant, singuli in manibus accensa lampade cereos deferebant, Cumque pre multitudine ad ualuas ecclesie accedere nullatenus possent, cereos atque candelas in platea coram ostia templi passim proiciebant, Alii uero super muros luminaria concinnantes, in plateis uigiles noctis obseruabant excubias; Et mirum certe, quia nec estiuis ad modicum cessere coloribus, nec glaciali temporum pigris requiem dabant frigoribus, sed inuictis precordiorum mentibus diem cum nocte continuantes, aliis atque aliis sibi inuicem succedentibus, quoque temporis momenta in dei laudibus expendebant. Gaudebat proinde ciuitas tantis se fulgoribus adhornatam, et multiplicatis luminaribus illustrata, tocius noctis se senserat amisisse caliginem. Currunt ueneti, properant treuisini, assunt uincentini, lumbardi, sclaui, aquilegii, theotonici, hungari, qui omnes occulata fide innouari signa et mirabilia immutati cernentes, laudabant et glorificabant omnipotentiam conditoris. Quotquot autem ueniebant, et mira, que per beati antonii merita indubitanter facta occulis conspiciebant, manibus atrectabant, sumpta fiducia in gratiam respirandi, peccata sua fratribus ad tantum numerum uix sufficientibus confessi sunt; At qui gratia curationis aduenerant, et iuxta quod scriptum est, scelera sua secrecius abscondebant, ad salutis uiam dirigi nequaquam poterant, Sed non facta confessione ea demum salubriter reliquissent, mox uideutibus cunctis misericordiam senciebant.

De missione nuntiorum ad curiam pro sancti antonii canonizatione.

Exultatur [1] igitur ecclesie fides, altissima commendatur paupertas, ac simplex humilitas honoratur, Erubescit ceca mater erroris perfidia, et liuida tabe marcescit [2] heretica prauitate mens stolida, Impietas denique suspiciosa confunditur, et infidelitatis caligo, quasi noue lucis exortu miraculorum splendoribus absorbetur. Clamat nimirum sacer cleri conuentus, uociferatur deuotus populus, omnes una uoce, et unanimi uoluntate concordant, ut pro beati antonii canonizatione [3] ad curiam mittatur modis omnibus instant. Fit pro inde huiuscemodi negotio inter clerum et populum sollempnis collatio, et ut multitudinis cor unum exaudiatur pleno diffinitur concilio. Quid plura? Scribit episcopus cum clero, potestas ciuitatis cum militibus, et populo, et necdum post mortem sancti mense completo ad apostolicam sedem nuncios morum grauitate pollentes, et conditione uenerabiles transmittunt, Qui cum paucis interiectis diebus apostolicis se aspectibus presentassent, et aduentus sui causam diligenter exposuissent, a domno Gregorio papa nono, et uniuersa curie frequencia gratissime recepti sunt; Quamuis non mediocriter multi eorum de festinata uiri dei gloria, et tantorum mirabilium subitatione superadmirarentur audita. Conuocatur reuera sacra cardinalium concio, et super nunciorum paduanorum causa sollemnis celebratur collatio. Tandem de communi omnium consilio, uenerabili paduanorum episcopo, et prioribus sancti benedicti, et fratrum predicatorum, a summo pontifice miraculorum committitur examinatio. Concurrunt undique utriusque sexus turba non modica, qui se per beati antonii merita gloriosa a diuersis cladibus liberatos, testimonio ueritatis affirmant [4], et hinc inde maxima miraculorum multitudo coruscat. Datur auditus attestationibus iureiurando firmatis [5], et multiplicatis ueritatis * testibus, approbata rediguntur in scriptis. Ad maiorem denique fidei et miraculorum assercionem, conditiones personarum, et facti subtilius inquiruntur, locus et tempus, uisus et auditus, et sique sunt cetere testibus adhibendum [6] circumstancie, studiosius innotantur [7]. Miraculorum igitur examinatione diligenter expleta, fideles populi paduani strenua deuotione ceptis insistunt, et secundo ac tercio multiplicatis nunciis [8], ad apostolicam sedem fidedignos legatos destinant [9]; Namque, ut de cause sue ueritate, et ex auditu digna deuotionem [10], apostolicam sollicitudinem et cardinalium uigilantia [11] cerciores redderent, uenerabilis paduanus episcopus fratres ad [12]

[1] Exaltatur
[2] marcesit
[3] canonicatione
[4] affirmauit
[5] firmitatis
* *Deest*
[6] adhibendo
[7] inuocantur
[8] meritis
[9] destinauit
[10] deuotione
[11] uigilantiam
[12] ac

maiores ecclesie canonicos [1], una [2] cum priore sancte Marie de monte crucis, potestas uero nobiles, et potentes, comites et milites cum non parua procerum frequencia ac populorum turba ad curiam transmisit. Scribit pro inde fauore digna magistrorum, atque scolarium uniuersitas tota, et litteras uisus et auditus testimonium perhibentes mittit litteratorum concio, non leuiter repulsam passura. Super hec autem omnia, et que agente id domno, se offerebat uenerabilium cardinalium presencia. Eo namque tempore domnus oddo [3] de monte ferrato et domnus Jacobus electus palestrensis pro reformanda quarumdam ciuitatum [4] pace, in lonbardia, et marchia ternisana [5] legatione fungebantur; Qui cum dicte legationis occasione paduam aduenissent, et mirabilia dei occulata fide, ac certissima ueritate cognouissent, facti et ipsi ueritatis testes, litterarum suarum patrocinio, miraculorum fidem astruebant. Acceptis igitur episcopis [6] nuncii celeres curiam adeunt, et tantorum ac talium patrocinantibus litteris suffulti a domno papa et uniuersa curia benignissime recepti sunt. Quid multa? Conuenitur rursum, et de beatissimi antonii canonizatione [7] in presentia domni pape [8] et cardinalium uniuersitate propensius tractatur, ac coacto demum concilio, domno iohanni sabinensi episcopo generalis miraculorum examinatio, et examinatorum approbatio commendatur. At domnus ille super commissa sibi cura aut segnius agens, causam sollicicius promouit, insperato cunctis temporis spatio, se superdictis examinatione, et approbatione penitus expediuit *.

De uisione celitus exhibita.

Inter hec autem urget noua nuncios paduanos impreuisa necessitas, ac precedencium uite successuum, emergente causa, turbatur iocunditas. Erant namque cardinales quidam moribus et litteratura inter ceteros principes ecclesie non mediocres, qui zelo consuetudinis ecclesiastice ac temporis ducti breuitate, super tanta non tam precipitanter agendum causa fore censebant, maxime quia nondum post mortem beati antonii annus effluxerat, Ideoque in eius canonizatione non nisi debita temporis congruencia se consentire posse, nec uelle caucius asserebat; At qui gloriam suam non se alteri daturum uoce prophetica testatur, hanc ad tempus uerborum repulsam fieri uoluit, ut tota simul operum consumatio gratie tribuenda noscatur, Nam et oportuno tempore misericorditer affuit, et ad sancti antonii canonizacionem unum eorum per uisionem mirabiliter induxit. Visio autem capitis eius hec fuit. Uidit, et ecce domnus papa pontificalibus infulis decoratus ad consecrandam ecclesiam, nec non altare paratus astabat, quem uenerabilium corona cardinalium sacris misteriis ex more ministratura cingebat. Apropinquante autem consecrationis hora, summus pontifex reliquias ex more in altari condendas requisiuit, At illi nullas omnino se habere reliquias, quas ponerent, singillatim respondere; Ille uero querentis more in diuersa ferens contuitum, uidit furtuitu funus nouum e uicino iacere uestitis ligatum, Quod more ut uidisset, ait: Afferte celeres reliquias has nouas, ut in altari condamus eas: Qui cum uisum funus non esse reliquias instanter asseruissent: tollite, inquit, uelamentum, quo tegitur, et uidete saltem quidnam sit, quod intrinsecus latet; At illi ad corpus accedentes pigris egressibus inuiti procedunt, et iuxta preceptum, pannum, quo inuolutum fuerat, uelociter tollunt; Quod cum discooperuissent, nullam penitus corruptionis feditatem sensissent, conuersi ad corpus, uise reliquie in tantum placuerunt, ut se mutuo preuenientes quicquid tolleret, decertarent. Ad quam concurrencium, ut uidebatur, pressuram expergefactus dominus ille post modicum surrexit, Vocatisque qui sibi astabant clericis, mox uisionem, et interpretationem eius de beati antonii canonizatione deuotus exposuit, affirmans sancti canonizationem sine dubitatione futuram; Cumque ad curiam iturus de solio suo descendisset, ecce paduani quasi diuino nutu ducti ad ianuam astiterunt, Quos cum dictus dominus ille conspexisset, ad clericos, qui sibi astabant, conuersus, ilari uultu ait: Ecce somnium uerum, et interpretacio eius. Diuina igitur uisione confortatus in tantum cause padianorum promotor effectus est, ut dei omnipotenciam non diuturnitate temporis alligari posse, nec sancti gloriam ulla consuetudine impediri debere, constancius allegaret.

De canonizatione beati antonii.

Recitatis igitur, ut predictum est, coram domno iohanni Sabinensi episcopo miraculis, attestatione iuratorum uerificatis, approbatis ac demum receptis, tota cardinalium et prelatorum, qui tunc in curia erant presentes, uniuersitas congregatur. Fit tandem de beati antonii canonizatione mencio, et concordantibus in idipsum cunctis letabunda nimis celebratur collatio. Indignum ualde est, inquiunt, nos, quod absit, beatissimi patris antonii meritis uenerationem debitam in terris subtrahere, quem gloria et honore dignatus est dominus maiestatis in celis coronare; Nempe sicut ueritati miraculorum cognite fidem non adhibere perfidie est, sicut sanctorum meritis laudem negare genus est inuidencie. Uidens denique summus pontifex unanimem omnium super sancti antonii canonizationem consensum, adtendens nichilominus infatigabilem ciuium padue deuotionem, de communi omnium consilio petitionem eorum supplex annuit, et diem, quo hec fierent, remota dilatione constituit. Jam aduenerat dies tercius, qui et tante sollemnitati fuerat prefixus, adest cardinalium sacra societas, conuocantur episcopi; ueniunt abbates, et de diuersis mundi partibus presentes ecclesiarum prelati concurrunt; Illic sacer cleri conuentus, illic populorum multitudo pene innumerabilis; Astat proinde summus pontifex in magnificencia glorie, pontificalibus infulis decoratus, sed et cardinalium ac ceterorum ecclesie principum uestibus sacris induta societas christo domini conglomeratur. Leguntur denique coram omni populo ex more miracula, et extolluntur summa deuotione ac reuerencia beati patris antonii merita gloriosa. Stans igitur pastor ecclesie sancta consolatione perfusus manus ad celum protendit, et inuocato nomine trinitatis deifice, beatissimum patrem antonium in cathalogo sanctorum conscripsit, ac festum eius die obitus sui celebrari constituit ad laudem et gloriam patris et filii et spiritus sancti cui est honor et imperium per omnia secula seculorum. Amen.

Facta sunt autem hec in ciuitate spoleti anno domini M.°CC.°XXX.°II.° inditionis quinte, sub die pentecostes, pontificatus domni Gregorii pape nono anno VI.° Nuncii uero ciuitatis padue concito gressu domum properantes ante completum post mortem beati antonii annum felici pompa reuersi sunt, et festum eius eodem die reuelato transmigrationis ipsius anno, iubili solemnitate celebrarunt. Ad laudem et gloriam omnipotentis dei patris et filii et spiritus sancti, et gloriose uirginis marie, et sancti antonii, miracula, qui coram domno Gregorio papa nono, audiente uniuerso populo, lecta sunt, succincte, preuia tamen ueritate, ad excitandum fidelium deuotionem, duximus adnotandum.

De contractis.

Die namque, quo beatissimi antonii corpus in ecclesia sancte dei genitricis marie honorifice conditum est, mulier quedam nomine cazuza per annum grauiter infirma-

1 concanonicos
2 unica
3 addo
4 ciuitate
5 treuisilla
6 episcopi litteris
7 canonicatione
8 domno papa
* *Fragmentum de vita Sancti Antonii, in codice Alcobacensi 293 descriptum, terminatur hic.*

ta instrumentis lingueis, quas feruleis uocant, sustentata ad locum usque peruenit, In cuius humero ex concrecione humorum gibbus immanis excrescens eam miserabiliter curuabat, ut non nisi ferularum sustentacione ullatenus incedere ualeret; Que cum coram beatissimi antonii tumulo in oratione prostrata paululum sustinuisset, complanato mox humero, gibbus euanuit, et dimissis ferulis erecta mulier domum remeauit.

Mulier quedam nomine guissa ab annis octo, et eo amplius, in tantum contracta fuerat, quod desiccato sinistro crure, ac neruis contractis, pedem in terra figere nequaquam ualebat, Sed cum necessitatis causa se quoquam mouere cuperet, corpus suum ferularum sustentatione difficulter trahebat, Quam uir eius Marchoardus nomine equo impositam ad ecclesiam sancte dei genitricis marie festinus duxit, et recuperande sanitatis gratia coram archa beati antonii introductam deuotus collocauit; Ad illa orationi procumbens, mox tanto urgeri cepit, ut pre angustia sudans calorem ferre non sustineret, sed subportantibus eam caris extra ostium ecclesie, haustum aure frigidioris spiritum refocillabat. Cumque post modicum reducta coram tumulo clausis occulis orasset, manum tangentis uentrem ac corpus suum leuare conantem sensit; At illa scire cupiens quisnam esset, qui eam tangeret, eleuatis occulis neminem sibi apropinquare uidebat. Intelligens igitur mulier diuinum fore auxilium, quod senserat, illico surrexit, dimisisque ferulis cum uiro suo gaudens ad propria remeauit.

Alia uero mulier richarda nomine, cum per uiginti annos crura gerens arida monstruose foret contracta in tantum, ut genua pectori, et pedes natibus adherentes collosa quadam copulatione se iungerent; die quadam mendicationis gratia cum pauperibus ceteris, ut elemosinam a transeuntibus acciperet, ad locum patris beati antonii scanellis pro pedibus utens aduenit, Cumque sopore depressa dormitans caput aliquantulum reclinasset ad terram, audiuit uocem dicentem: Deo gratias, quia liberata est; At illa apertis occulis uidit puellam, que gibbosa fuerat, sed meritis sanctissimi patris sanitati reddita, multis comitantibus recedebat. Surrexit ergo mulier, ut ipsa curationis gratia ad tumulum introiret, Dum autem iret, ecce puer quidam septennis apparuit, et clausis manibus precedens ad introeundum inuitauit dicens: Ueni in nomine domini, quia liberabit te: Illa uero precedentis sequens uestigia, ad ostium ecclesie scanellis ex more se traxit, sed cum in ostio ecclesie iam constituta fuisset, puer ille disparuit. Intrans igitur ad locum sepulcri, totam se contulit orationi. Orante autem ipsa, ecce duo globi ad instar oui erumperunt inter femur eius et ilia, Discurrenteqne introrsus humore quodam subcutaneo, globi ad pedes usque descenderunt, ac in modum concussarum manuum perstrepentes multis audientibus sonuerunt; Denique crura eius uiginti annorum spacio quasi lignum arefacta mox extensa sunt, et laxata cute carnes ad staturam pristinam crescere ceperunt. Uidentes autem custodes tumuli que fiebant, extra ostium ecclesie prepropere mulierem portantes, ut plene sanatam dimiserunt; At illa per dies decem et nouem orationibus insistens, nec non et cotidie ad locum dictum se trahens in die xx.° dimissis scanellis domum rediit, et non sine magna omnium admiratione per medium ciuitatis firmatis gressibus ambulauit.

Puer quidam albertus nomine cum a natiuitate sua usque ad annum undecimum pedem sinistrum tortum habuisset, parte superiori ad terram uersa, digitos ad calcaneum pedis dextri preposteratos portabat, Cui pater ad uidendum pedem ligna sepe ligare consueuerat, sed mox quacumque occasione solui contigeret, in tortitudinem solitam resiliebat. Die igitur quadam mater pueri ad archam beati antonii cum filio supplex accessit, et pedem ipsius ad locum utcumque intromisit, Cumque paruo ibidem tempore permanens uehementer sudasset, a custodibus arche matri restitutus, uersis ad terram planctis domum rediit.

Puella quedam nomine Agnes trium ferme annorum spatio tocius corporis uiribus destituta, egritudine, quam anatropam uocant, laborabat in tantum ut quasi lignum aridum langueret desiccata, Quam cito enim cibum sumeret, ilico crudum et penitus indigestum per os reiciebat. In tantum autem iam morbus perualuerat, ut pre siccitate nimia intercluso guture, uix saliuam uel molle quippiam deglutire posset. Ad quam con uenissent medici, ut continuum uomitum artis beneficio reprimerent, et humorem naturalem restaurarent, nichil omnino ualentes, ac de salute eius desperantes recedebant. Ducta igitur die quadam, et super archam beati antonii in oratione collocata, maximo dolore mox per totum corpus angustiata morti apropinquare uisa est; Recedente autem paululum dolore, qui eam inuaserat, matrem, que prope locum aderat, uocans, panem integrum se posse deglutire dicebat; Assumptaque tandem filia, mater domum rediit, et retento statim cibo corpus aridum humorem pristinum recuperauit.

In ciuitate ueneciarum mulier quedam cesaria nomine manum habens contractam, pedem sinistrum duobus annis, et eo amplius tortum ex transuerso ferebat; Que cum tempore messis in episcopatu paduanorum uenisset, ut spicas, que metencium manus effugerent, more pauperum colligeret, auditis que per beati antonii merita fiebant, non sine magno labore, recuperande sanitatis gratia padue peruenit; Cumque pre multitudine infirmorum ad archam non ualeret accedere, per sudes archam circumstantes immisso pede locum sepulcri conabatur pertingere; Quo cum protensa tibia pedem porrexisset, mox tantus in eam dolor irruit, ut commotis ab immo uisceribus quasi exitum minantibus pre angustia uehementer sudaret. Uidentes autem qui aderant, mulieris angustiam, iam pre debilitate loqui siquidem non poterat, ad murum ecclesie, quietis gratia, detulerunt eam. Ubi cum aliquandiu commorata sustinuisset, recedente sudore, statim surrexit, et manus et pedis sanitate percepta deo gratias agens recessit.

Proseptima quondam mainnerii uxor donerta manu sinistra, in ambobus pedibus contracta, ad beati antonii tumulum in mastello quodam delata est; Que cum super archam eleuata fuisset, per beati antonii merita mox pedes eius erecti sunt, ac pristinis usibus restituti, Manus uero eius paululum contremiscens aperta est, ac demum extensa, ut uidentibus cunctis eam clauderet et aperiret. Deposita uero de archa, statim exiliit, et obtate restituta sanitati letabunda discessit.

Ciuis quidam paduanus nomine petrus habebat filiam nomine padianam, Que cum quatuor esset annorum, omni prorsus officio pedum destituta, in modum reptilium manibus serpens incedebat. Dicebant autem, quia morbo epiletico laborans cadere et uoluptari sepe consueuerat; Quam cum pater eius, dum adhuc uiueret sanctus antonius, in brachiis baiulans, eidem die quadam iter facienti per ciuitatem obuiasset, rogare cepit ut filie sue signum crucis imprimeret, Cuius fidem pater sanctus adtendens, benedixit eam ac dimisit. Pater uero puelle domum regressus erectam filiam super pedes suos statuit, que mox sustentata scabello, huc et illuc ire cepit, Sabbato autem demum scanno, pater ei baculum tradidit, ipsa uero semper proficiens eundo et redeundo per domicilium incessit. Ita denique beatissimi antonii meritis ad plenum conualuit, ut nullus penitus sustentaculo egeret, nec ab eo tempore, quo signata est, passionem uel minimam morbi caduci sustinuerit.

Mulier quedam Maria nomine cum tempore quodam equas patris sui secuta iuxta fluuium, quod brenta dicitur, sola sub nuce quadam consedisset, uir quidam niger de flumine egrediens recto tramite ad eam uenit, assumptamque in brachiis ad nucem alteram, que e uicino erat, portauit. Cumque stupefactam, uim ei inferre cupiens, ad terram proiecisset, adeo miserabiliter confractam dimisit, ut gibbosa pectore ac genu contracto, nec non et uertebro coxe ab ancha distorto ductu patris domum remearet, Sed et quinque annis et eo amplius monstruosam hanc passa est contractionem. Post mortem igitur beati antonii nocte quadam erecta genu ac pede sine cuiusquam sustentationem surrexit, Uerumtamen gibbus in pectore, et os anche adhuc elonguatum remansit; Die

autem quadam ad tumulum beatissimi antonii delata, ex toto rediit sanitati restituta, Videbatur namque sibi, dum salua fieret, manus hominis inter carnem et ossa leniter duci, membra quoque pridem anxio confecta dolore, unguentis more, suauius deliniri.

Nassinguerra de saccili per annos duos crux dextrum habens contractum, pedem portabat suspensum. Hic cum die quadam ferulis utens ad archam beati antonii peruenisset, uehementer sudare cepit; Sed cum doloris, qui eum euaserat, anxietatem ferre nequaquam posset, aliquantulum se ab archa retraxit. Accurrentes autem qui aderant, leuare conantem erexerunt, moxque uidentibus cunctis nerui pedis eius extensi sunt; Ipse denique dimissis ferulis festinus domum rediit, cui occurrens uicinia tota fusis lacrimis, ac pulsatis campanis deo, et beato antonio gratias egit.

Mulier quedam de sanonaria Maria nomine, cum ab annis duodecim a latere dextro infra cingulum omni membrorum usu fuisset destituta in tantum, ut non nisi scanellis subuecta, contracta uix traheret membra, Die quadam ad tumulum sancti patris antonii super currum deducta est, Que cum super archam a tempore, quo intrauerat, usque ad horam ferme sextam orationi insisteret, tedio affecti custodes ut surgeret acclamabant. Ad quorum uocem sine omni amminiculo mulier surrexit, et demissis scanellis perobtime liberata domum rediit.

Uir quidam de portili nomine scotus, pedes habens putridos, et nodosa podragre inflatione tumentes, dorso uiri uectus ad locum peruenit, Qui cum facta confessione a fratre quodam penitenciam suscepisset, ad archam sancti antonii festinus ac supplex se trahi fecit. Cumque ad modicum ibidem quieuisset, mox tanta uelocitate ad fratrem regressus est sanus, ut pre temporis breuitate, admiratione maxima, dictus frater eum, qui sanus effectus fuerat, per claustrum deambulare faceret. Tandem uidentibus cunctis, qui dorso uectus aduenerat, propriis pedibus deo et beato antonio gratias agens recedebat.

In capite gauri erat puella quedam nomine samaritana, Que cum tempore quodam pro colligendis leguminibus cum puellis aliis in agrum patris sui intrasset, subito contractis genibus nequaquam redire potuit, sed portantibus eam ceteris ad paterna limina remeauit; Sicque inualescente morbo annis tribus reptans manibus incedebat et miserabili spectaculo natos herentes solo trahebat. Die igitur quadam, facta confessione, dicta puella cum matre ad beati antonii tumulum supplex aduenit, sed et breuissima hora pristine sanitati restituta propriis pedibus domum properauit, Quod cum auribus populi capitis gauri nunciatum fuisset, pulsatis campanis mox uenienti occurrerunt, et dei magnificenciam in ea uenerati sunt.

In castro de montana erat mulier quedam nomine guyna, que ab annis duobus humeri, ac manus dextre impotens affecta nichil omnino super spatulam ferre, nec manum ad os poterat leuare; Cumque die quadam ad tumulum beati antonii semel et iterum intrans nullum prorsus humeri ac brachii leuamen sensisset, accessit ad fratrem, qui audiendis confessionibus intendebant. Facta igitur confessione tercio ad archam uenit, et se in oratione prostrauit. Orante autem ipsa, mox dolore graui humerus eius urgeri cepit, et os spatule in modum fractarum nucum crepitans ad locum pristinum resiliuit. Surgens igitur mulier ilico brachii uibrauit, et uidentibus cunctis liberata domum repedauit.

Margaretha quedam de ciuitate paduana cum se nocte quadam sopori dedisset, uisum est sibi ab alto in terram corruisse. Expergefacta autem mulier inuenta est collum habens retortum, et manum sinistram cum pede contractis neruis adeo curuatam, et suspenso calcaneo, ut uix terram tangeret articulis digitorum; Sed cum die quadam super tumulum sancti antonii eleuata paulum quieuisset, mox erecto collo, caput in statum condecentem rediit, et manu ac pede sanitati restitutis, mulier liberata descendit.

Acobinus quidam abbati filius manu ac pede contractis, cum super sancti patris antonii archam orans parua hora commoratus fuisset, mox uehementer furens manum et pedem extendit, et uidentibus arche custodibus sanus et laudans recessit.

In ciuitate paduana erat puer quidam iohannes nomine, cuius mentum per annos IIII.^{or} adheserat pectori in tantum, ut nequaquam caput leuare posset, sed inclinato eo pronus incideret; Quem cum die quadam mater eius ad tumulum beati antonii deportasset, puer illico per se erigens cum matre sanus rediit; Fouea uero in pectore eius apparebat, in loco uidelicet, cui mentum applicatum fuerat.

Oredicus quidam de comitatu concordie cum tempore quodam de ecclesia recidisset, confractis renibus sine ferularum sustentatione nequaquam incedere ualebat. Facto igitur uoto, ad cumulum sancti patris antonii deuotus uenit, et mox sanitati redditus dimissis ferulis remeauit.

Mulier quedam germidis nomine per annos IIII.^{or} pedem dextrum contractum habuit, ut nec passum quidem pedis absque ferulis incedere ualeret; Que cum nocte quadam nimio sopore depressa sub nuce obdormisset, astitit ei uir quidam canus, statura pusillus, aspectu decorus, ueste uiridi indutus, et clamide coccinea desuper amictus: Qui dixit ei: Puella, Nunquid hic tibi dormiendum? Et rursum: Extende, ait, pedem tuum. Extendente igitur ea pedem suum, accepta manu neruos in directum protendit, moxque disparuit; At illa euigilans clamauit dicens: Gratias tibi ago, sancte antoni, qui liberasti me; Arreptisque in manu ferulis, sana domum rediit, et uisionem hanc multis audientibus in dei gloriam narrauit.

Explicit de contractis.

Item de paraliticis.

In ciuitate ferraciensi erat mulier quedam Maria nomine, que ab annis IIII.^{or} toto corpore paralisi dissoluta, caput et omnia membra portabat tremebunda. Cumque necessitate aliqua ad locum quempiam uellet procedere gressu retrogrado, uel ab oblico, quam sepe uestigia curare. Que cum die quadam coram sancti antonii tumulo orationem funderet, subito nerui eius dolore angustiati ceperunt extendi. Exurgensque mulier super pedes suos immobilis perstitit, ac plene sanitati restituta domum remeauit.

Armerina quedam de uicencia V.^{e} annorum spatio existens paralitica nullo conamine pedis gressum figere potuit, Sed cum aliqua occasione erecta fuisset, ante et retro tremebundis se motibus agitabat. Veniens igitur ad archam beati antonii pronam se in orationem dedit, et mox pristinam se habere sanitatem promeruit.

Maynardus de runcis cum per uiginti dies paralisi dissolutus fuisset in tantum, ut nullo penitus pedum uteretur officio, nec os ad comedendum posset aperire, super plaustrum honustum feno usque ad pratum uallis delatus est, Quo cum ducente eum plaustro peruenisset, dorso uiri uectus ad beati antonii tumulum supplex accessit. Facta igitur oratione in continenti surrexit, et aperto ore deum et beatum antonium laudans propriis pedibus domum regressus est.

Mulier quedam vilia nomine per annos tres toto corpore tremebundi ad archam beati patris antonii tremulis gressibus uenit angustiata, Cumque coram tumulo in oratione persisteret, inualescente tremore, clamor nimius in eam irruit. Flebant autem uiri et mulieres tremebundis eius sudoribus compacientes, sed cum extra ostium ecclesie delata paululum respirasset, recedente dolore mulier solidata loco discessit.

In caustro de montagna erat mulier quedam nomine solagra, que per annum et mensem paralisi resoluta, uouit se ad sancti patris antonii tumulum recuperande sanitatis gratiam uenturam. Que cum nocte quadam in stratu decubans obdormisset, audito strepitu quasi pulsato pede lectuli excitata est, Uocansque quedam e uicino commanentem, quesiuit siquid auditu percepisset; Quo respondente quia nichil omnino sonuisset, tremefacta mulier in lecto resedit, et proiecta super se tunica peruigil

Duplicado

C. g. 2698

excubuit. Cumque paululum sustinuisset, pulsato iterum lectulo, magis extimuit, et signum crucis fronti sue inprimens dixit: Quis tangit lectum? Audiuitque dicentem sibi: Audacter signa te. At illa: Quis es, domine? Cui ille respondit: Ego sum antonius. Exclamansque mulier ait: Libera me, sancte antoni. Qui respondit: Ecce salua facta es. Mane autem facto mulier roborata surrexit, et nullum prorsus ab inde grauamen sensit.

Item. De cecis.

Puella quedam aurienia nomine per annum et dimidium occulorum lumine priuata ad archam beati antonii sanitatis gratia deportata est; Que cum pannum, quo operiebatur archa, occulis suis applicuisset, mox palpebris lumen celi uidere promeruit.

Frater quidam de ordine fratrum minorum theodoricus nomine duorum annorum spacio sinistro lumine orbatus de apulie finibus ad archam sancti patris antonii deuotus accessit, Qui cum aliquandiu cum fratribus padue commoratus, sanitatis gratia instanter postulasset, oblato tandem potitus lumine deo gratias recessit.

In ciuitate treuisina erat uir quidam nomine zambonus, qui per annos VI.ex et eo amplius, sinistro occulo nichil omnino uidere potuit. Ueniens igitur die quadam ad sancti antonii sepulcrum, cum paruo super illud tempore quieuisset, recuperato mox lumine gaudens domum rediit.

Ernardus quidam de cuniglano trium annorum spatio lumine priuatus, alterum uero in tantum cecuciens, ut non nisi uoce notos ab ignotis discerneret, ad reuerendum patris antonii tumulum deuotus uenit, Cumque fusa oratione modico tempore coram archa prostratus sustinuisset, utriusque luminis donatus uisui domum reuersus est.

Alesia quedam nomine cum per annos V.e ceca utroque occulo, lumen nequaquam uidere posset, ad archam ueniens mox perditum recepit intuitum.

Flos de gemma de lauredo, cum per annos VII.em sinistri oculi penitus foret officio destituto, ducta ad beati antonii tumulum peroblime liberata domum rediit.

Mulier quedam theotonica gatolina nomine cum per annos VII.em lumine fuisset orbata, ad sanctissimi patris sepulcrum deducta est, Ubi modico temporis interuallo cum in oratione persisteret, recuperato celitus lumine letabunda, et laudans regressa est.

De surdis.

In ciuitate ueneciarum erat uir quidam leonardus nomine, qui ab annis IIII.or obturatis auribus nichil penitus audiens, surdus effectus est. Hic cum die quadam ad beati antonii tumulum supplex accessisset in continenti desideratum recuperauit auditum.

Alius autem Menicus nomine cum per annos duos surdus extitisset, ad archam ueniens, mox sanitati reditus abscessit.

Rolandus quidam cognomento bolgatus cum per uiginti annorum spatia, inualescente capitis eius egritudine quadam, surdus fuisset, fusa oratione coram sancti tumulo per eiusdem patris merita pristine sanitati restitutus domum rediit.

De mutis.

Bartholomeus quidam de plebe sacci, cum toto uite sue tempore mutus extitisset, ac per annos quatuordecim toto corpore paralisi resolutus, in lecto doloris sui iugiter uolueretur, tandem ad beati patris antonii sepulcrum delatus, soluta lingua confitebatur domino, et qui dorso uectus aduenerat, propriis pedibus domum recedebat.

Mulier quedam nomine michelota cum per annos undecim muta, et nichil omnino loquens perstitisset, tocius corporis insuper uiribus destituta languebat. Que cum mira, que per seruum dei antonium fiebant, audisset, ad eius se tumulum deportari fecit, Ubi cum fusa oratione cordis paululum permansisset, loquens, et sana discessit.

Uir quidam de foro iulii cum se officio lingue priuatum gemisset, ductu matris sue ad archam beati antonii peruenit. Qui dum coram tumulo in oratione deuotus persisteret, diu perditam reportauit loquelam.

De epileticis.

In ciuitate paduana erat mulier quedam nomine michelota, que dum per dies VIII.o egritudine quadam laboraret, tandem morbi caduci peste horribiliter occupata lumen occulorum penitus amiserat, et morti apropinquare uisa est; Quam cum mater eius ad sancti patris antonii tumulum deportari fecisset, et super archam orationis gratia collocasset, mox apertis occulis lumen recepit, et ab eo tempore epilentica nequaquam pos'e laborauit.

Puer quidam nomine symeon ab annis tribus morbi caduci passionibus tortus, pronam terre quam sepe faciem collidebat; Cumque ruinam passus miserabiliter palpitaret, nullo se conamine ad locum alium mouere potuit. Facto igitur uoto, sollicita mater eius ad sancti antonii tumulum puerum duxit, fusaque oratione domum rediens nequaquam ultra dicte infirmitati uel signa pertulit.

De Gibosis.

Juvenis quidam triatinus nomine cum V.e annorum spatio, excrescente in spina dorsi eius osse quodam, gibbosus incessisset, ferula quadam sustentatus manus ad genua protensas ferebat; Quem cum mater eius ad sancti antonii tumulum die quadam deuota perduxisset, supra sepulcrum positus mox decrescente gibbo descendit, et dimissa ferula cum matre domum rectus aduenit.

In ciuitate treuisina erat mulier nomine veneciana, que ab annis duobus, et eo amplius gibbum ad instar panis superportauerat. Que cum necessitate aliqua ad locum quempiam procederet, caput ad genua protensum reclinabat. Ueniens igitur ad beati patris antonii tumulum, diebus duobus orationi institit, et complanata gibbo, ac eleuato capite domum rediit.

Uir quidam Guidotus nomine cum tempore quodam egritudine nimia laboraret, confractis renibus gibbum contraxit. Cumque non nisi ferulis sustentatus incedere ualeret, caput suum fere ad terram applicabat; Quem cum mater eius recuperande salutis gratia ad sepulcrum beati antonii duci fecisset, mox per totum corpus tantis cepit urgeri doloribus, ut pre angustia uehementer sudaret. Recedente autem dolore uir dictus renes extendit, et per sancti merita mox gibbus ille disparuit.

De febricitantibus.

Boracus quidam de runcalia cum per VIII.o dierum curricula inflatis faucibus dolorem nimium sustinuisset, tandem seuiente acrius angustia hanelis febribus urgeri cepit. Die autem quadam duo e fratribus per locum, in quo iacebat, iter facientes, ad eum uisitationis gratia diuerterunt, Cumque multis eum consolationibus ad penitenciam prouocassent, unus eorum particulam clamidis, que beatus antonius uti solebat, protulit, et egrotanti recuperande salutis gratia applicuit, Qui presentibus fratribus ilico conualuit, et tacto pulsu febrem cecisse cognouit. Recedentibus autem illis mox eger corpus erexit, et signo crucis cum parte clamidis capiti impresso tumor gene resedit.

Puer quidam zorius nomine, quartanis languens febribus, et gutta quadam medullitus anxiatus, ad tumulum sancti patris antonii delatus est, Qui cum breui temporis spatio super archam positus sustinuisset, a gutta simul et febribus liberatus descendit.

Algumas erratas mais ou menos substanciaes, que escaparam na revisão deste fasciculo, serão apontadas, com as que subsequentemente possam occorrer, no fim do volume.

BIBLIOTECA NACIONAL DE LISBOA

Tip. Bertrand (Irmãos), Lda
Dafundo